

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ MORALIS

AD

USUM ECCLESIASTICORUM

IMPRESSÆ

TOMUS I.

Anno 1809.



VILNÆ

In Typographia Diæcesana ad Domum Congr: Mis: Montis Salvatoris.

Institutiones Theologiæ Moralis pro usu Ecclesiasticorum diligentissima opera, per quam Jllustris Viri elaboratas, Typis imprimi posse censeo. Vilnæ 10. Januarii 1809.

Ph: Ner: GOLANSKI S. P.
Per Diæces: & in JMP: Univer: Libr: Censor
mpr.

JLLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO AC
REVERENDISSIMO DOMINO

HIERONYMO

STRZEMIEŃ

STROYNOWSKI

EPISCOPO LAMBESITANENSI, NOMINATO
EPISCOPO VILNENSI, ADMINISTRATORI
DIÆCESIS VILNENSIS SEDE VACANTE.

EQUITI ORDINUM S. ANNÆ I. CLASSIS
ET S. STANISLAI.

JLLUSTRISSIME, EXCELLENTISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE, PROTECTOR ET BENEFACTOR SINGULARISSIME.

Opus manuum mearum, Institutiones nimirum Theologiae Moralis, mole quidem sua exiguum, ac incultum, sed materiae gravitate praestans, cura ac sollicitudine non modica elaboratum, utilitati ac necessitati Ecclesiasticorum inserviens: TIBI JLLUSTRISSIME, EXCELENTISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE, cum summa animi demisione offero, ac dedico, judicioque TUO, qui ex Sacratissimo EPISCOPALIS Ordinis munere, JUDEX doctrinae fidei ac morum, es constitutus, submitto. Ubique TE EXCELENTISSIME AC JLLUSTRISSIME DOMINE, magna TUA collaudant opera, semperque Nomen TUUM Clarissimum depredicabunt. Hoc liceat adiicere TUIS laudibus, quod omnes, quamquam inopes, TIBI devotos et obsequen-

tes, favore ac gratia prosequi assoleas. Hac spe fretus, operis hujus, non minus quam mei ipsius, totiusque Congregationis Missionis, cui licet immeritus praesum, praesidium TUUM JLLUSTRISSIME AC EXCELLENTISSIME DOMINE, supplex imploro, ac Deum ter Optimum Maximum, exoro, ut TE JLLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE, in Ecclesiae totius decus, amplae Diaecesis Vilnensis utilitatem, Congregationis Nostrae incrementum, quam diutissime salvum, et incolumem conservare dignetur —

JLLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
AC REVERENDISSIMI DOMINI

Humillimus, ac obsequentissimus
servus

ANDREAS PHOL CONGREGATIONIS
MISSIONIS VISITATOR.

ELENCHUS

Eorum, quæ in hoc opere continentur.

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS ET CONSCIENTIA.

Q. 23

Q. 5.

Q. 7.

Q. 12.

Q. 9.

TRACTATUS DE PECCATIS.

CAPUT I. *De natura, causisque peccati.*

ARTICULUS I. *De natura peccati.*

Q. 5.

TRACTATUS DE PRÆCIPUORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS, ET ILLORUM PECCATIS.

Q. 2.

CA-

Q. 3..

TRACTATUS DE PRECÍPUIS VIRTUTIBUS CHRISTIANIS.

ARTI-

Q. 2.

Q. 3.

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS DEI IN DECALOGO CONTENTIS.

tum

ARTI-

nemi-

CA-

CAPUT 6. *De nono, & decimo Decalogi præcepto.*

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

TRA-

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

Q. 6.

quid

Q. 6.

TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

Q. 16.

Q 10.

si





TRACTATUS
DE
ACTIBUS HUMANIS ET CONSCIENTIA.

CAPUT PRIMUM

De Actuum humanorum natura, eorumquè moralitate.

ARTICULUS 1mus

De natura actuum humanorum.

Quæres 1mo. Quotupliciter sumuntur actus humani?

Resp: Actus humani tripliciter sumuntur. *1mo*: latè, pro iis etiam actibus qui nec liberi sunt, nec voluntarii, & illi communiter dicuntur actiones hominis, ac naturales, quia fiunt sola movente natura sinè ulla advertentia, aut prævia electione. *2do*: strictius, & magis propriè pro quocunqué actu voluntario, sive liber sit, sivé non, & tales sunt omnes actus illi qui fiunt ab homine ex propensione voluntatis, cum advertentia intellectûs, sivé fiant ex prævia electione, sivé ex cogente necessitate. *3tio*. strictissimè pro omni & solo actu libero. Et hoc sensu acceptus definitur. *Actus ab hominis voluntate deliberaté & libere procedens*, quaré ut actus veré ac proprié sit humanus, necesse est ut deliberaté, & liberè fiat, quare ij omnes actus qui sine deliberatione, & cogente necessitate fiunt, non sunt actus humani proprié dicti, quia ab homine non pendent ut fiant, vel non fiant.

Quæres 2do: Quotupliciter actus ab humana voluntate procedunt?

Resp: Dupliciter, vel enim procedunt à voluntate imme-

immediaté, veluti amor odium, & tales actus dicuntur elliciti, vel mediaté tantum ut deambulatio, quæ fit ab alia potentia & imperio voluntatis, & tales actus vocantur imperati. Porró omnis actus humanus sivé imperatus, sive ellicitus, eo ipso quod á voluntate deliberatè, ac liberè procedit, est actus moralis, bonus scilicet, aut malus, prout est consentaneus regulis morum, aut dissentaneus ipsis.

Quæres 3tio. Quotuplices sunt actus humani?

Resp: Actus humani multiplices sunt, nimirum. *Elliciti*, qui immediate à voluntate procedunt. *Imperati*, qui eximperio voluntatis ab aliis emanant potentiis: *Boni*, qui regulis morum sunt conformes. *Mali* qui illis sunt difformes. Sunt etiam actus humani alii *Naturales*, qui solis naturæ viribus effici possunt, alii *Supernaturales*, qui nonnisi gratiæ Divinæ auxilio fieri possunt. Item alii sunt *Interiores*, qui nullo sensibili signo manifestantur, alii *Exteriores*, qui extrinsecus patent.

Quæres 4to. Quid, & quotuplicia sunt actuum humanorum principia.

Resp: Principia actuum humanorum illa omnia dicuntur, quæ quovis modo concurrunt ad actus humanos vel efficiendos vel dirigendos. Et duplicia sunt, *Interna* quæ in ipso sunt homine: & *Externa*, quæ extra hominem sunt posita. Principia actuum humanorum: *Interna* sunt, voluntas, quæ actus humanos vel per se immediaté, vel per potentias sibi subjectas efficit, & intellectus, qui actus humanos dirigit, atquê ad fines suos ordinat, inde fluit voluntarium, & involuntarium, libertas, & necessitas quæ imprimis in actibus humanis consideranda sunt. Principia actuum humanorum: externa sunt bonum, finis, ac beatitudo, quia his voluntas humana ad agendum excitatur: verum finis ad quem actus humani referuntur, maxime hic consideratur.

Quæres 5to. Quid sit voluntarium?

Resp: *Voluntarium est actus à voluntate procedens ex prævia cognitione eorum in quibus est actio*, hoc est illorum quæ ad actionem pertinent, ipsamquê in suo esse constituunt, quales sunt circumstantiæ etiam, quæ actioni humanæ adhærent. Quiquid ergo à voluntate non procedit, aut fit ea renitente, aut ab ea sine rationis advertentia efficitur, voluntarium censeri non potest. Undè voluntarii rationem non habent; tum ea, quæ violenta sunt, tum motus odii, vel amoris, quos aliquando contra

pro-

propriam inclinationem voluntas experitur, tum illa, quæ fiunt sine ulla intellectûs cognitione, advertentiaquè rationis. Hinc dormientium actiones simpliciter involuntariæ sunt, semidormientium vero semivoluntariæ, quia in illis nulla est advertentia, in his autem semiplena, quare in illis nullum est peccatum, in his nonnisi veniale reperitur.

Quæres 6to Quotuplex est voluntarium?

Resp: Voluntarium *1mo:* aliud est *simpliciter tale*, et dicitur *voluntarium purum*, cum aliquid fit ex plena voluntatis inlinatione, absquè illius repugnantia, aliud *secundum quid*, quod *mixtum* vocatur, cum aliquid fit ex voluntatis consensu, sed non sine ipsius repugnantia, talis est proiectio mercium in mare metu naufragii. *2do* voluntarium aliud est in se, seu *expressum*, aliud in causa seu *implicitum*. Voluntarium in se, & *expressum* tunc est, quando quidpiam in se ipso immediaté est volitum, ut si quis hominem occidat, quia vult occidere. Voluntarium in causa, seu *implicitum*, illud est, quod etsi in se ipso non intendatur, in alio tamen, quod est illius causa, volitum est, & ut ipsius effectus provideri potuit, eo sensu voluntaria est occisio illius, qui liberé se inebriat prævidens se, cum ebrius erit, ad homicidium committendum pronum esse.

Quæres 7mo. Quæ requiruntur, ut effectus, qui ex aliqua causa sequitur, sit voluntarius?

Resp: Ut effectus, qui ex aliqua causa sequitur, sit verè voluntarius, atquè ad meritum vel demeritum imputetur, tria requiruntur, *1mo.* ut operans advertat, aut saltem advertere possit effectum hunc ex hac causa secuturum esse, hinc Noe ebrietatis, & immodestiæ reus non fuit, quia vini generositatem nescivit, & immodestiam inde secuturam non prævidit, nequé scire potuit horum esse causam, utpote nullo experimento id edoctus. *2do.* ut operans hunc effectum impedire possit, auferendo ejus causam, sic graviter peccat mulier, quæ etiam sine prava intentione, & ut morem sequatur, aperto sinu incedit, quia sic fit occasio ruinæ multorum. *3tio.* ut causam illam auferre, vel non ponere teneatur, unde non peccat Sacerdos, qui confessionis occasione motus inordinatos invitus patitur, aut mulier cujus forma elegans, sed modesta, aliis tentationem, periculumqué procreat.

Quæres 8vo. Quid sit involuntarium?

Resp: Involuntarium illud est, quod fit aut sine propropensionévoluntatis, aut sine cognitione intellectùs, advertentia-

tentiaque rationis. Quoniam vero istiusmodi propensio, & advertentia, aliquando plus, aliquando minus desunt, idcirco variæ ſunt involuntarii ſpecies, & varii gradus.

Quæres 9no. Quomodo dividitur involuntarium?

Resp: Involuntarium dividitur *1mo.* in involuntarium *privativè*, quod in ſola negatione actus consistit, cum voluntas aliquid non vult, quod velle poſset, & involuntarium *contrariè*, cum aliquid non ſolum non est volitum, ſed etiam est nolitum, & voluntati adversum. *2do.* involuntarium autem contrarie ſubdividitur in involuntarium *simpliciter*, quod ita voluntati displicet, ut id nullomodo vellit, sive illud impedire poſsit ne fiat, sive non, ut si mors inferatur alicui planè nolenti, aut si motus concupiscentiæ insurgant contra voluntatem toto effectu renitentem; & involuntarium *ſecundum quid*, quod licet ſub aliquo respectu voluntati displiceat, eidem tamen ſub alia consideratione magis placet, sic proiectio mercium in mare metu naufragii facta, est respectu mercatoris involuntaria ſecundum quid, simpliciter tamen voluntaria est, & ut quid melius arripitur ad vitandum majus malum, mortem ſcilicet imminentem.

Quæres 10mo. Quæ sint involuntarii causæ?

Resp: Involuntarii causæ ſunt vis, metus, paſsio, sive concupiscentia, & ignorantia.

Quæres 11mo. Quid sit vis, motus, & quotuplex?

Resp: Vis, ſeu violentia est *motio ab agente extrinseco illata, renitente illo, qui vim patitur.* Ut enim violentum censeatur, non ſufficit, ut quis meré ſe negativê habeat, ſed neceſse est ut contrarié se habeat, atque reluctetur. Et hæc violentia, coactio dicitur, duplex autem est violentia, una *absoluta*, cum quis resistit eo omnimodo, quo potest alia *ſecundum quid*, cum quis resistit quidem, ſed minus quam poſset.

Metus est *futuri, & instantis mali, ac periculi causa, mentis trepidatio.* Metus vel *levis* est, vel *gravis*. *Levis* cum timetur malum leve, aut grave quidem, ſed non verisimiliter imminens. *Gravis* cum malum grave & verisimiliter impendens timetur. Sed & metus gravis alius est *absolute gravis*, qui quemlibet etiam virum constantem perturbare potest, talis est metus exilii, diuturni carceris, jacturæ boni notabilis; alius est metus *respective* tantummodo gravis, & est timor mali, quod etsi virum constantem non commoveat, meritò tamen formidandum

dum apparet quibusdam personis, quales ſunt fæminæ, ſenes, pueri, aut homines à natura meticuloſi.

Metus quilibet vel ab intrinſeco oritur, veluti metus mortis à gravi infirmitate, vel ab extrinſeco ut ab incendio, naufragio, ab homine, ſive is justé, vel injusté motum incutiat.

Quæres 12do. Utrum vis, ſeu violentia tollat voluntarium?

Resp: Nulla violentia efficere potest, ut actus à voluntate elliciti veluti amor, odium, ſint involuntarij, ac proinde voluntas ad actus ellicitos cogi nullatenus potest. Actus ſiquidem à voluntate elliciti, ex ipſa voluntatis inclinatione procedunt, non poſsunt ergo eſse contra inclinationem voluntatis, ac proinde, ſi adſit debita rationis advertentia ſemper ſunt voluntarii, nec involuntarii eſse poſsunt, niſi ex defectu debitæ advertentiæ. Pari modo actus qui deliberaté ex imperio voluntatis fiunt, involuntarii eſse nequeunt, quia etiam ad illos voluntas cogi nequit, ſemperqué à voluntate ex ipſius inclinatione atque propenſione imperantur. Hinc qui tormentorum vi in perſecutionibus à fide defecerunt, non propterea à culpa excuſati ſunt, quia violentia in iis locum non habuit. Quapropter in illos actus, qui à voluntate immediaté procedunt, & elliciti dicuntur; tum in eos qui à voluntate poſitivè imperantur, & ab aliis potentiis ex ipſius imperio exercentur, nulla violentia cadere potest, quia ſemper fiunt & imperantur ex propenſione & inclinatione voluntatis, ac proinde ſi adſit debita mentis advertentia, ſemper ſunt voluntarii. Actus vero, qui â voluntate non imperantur, & ab aliis potentiis extorquentur, violentiæ ſubjacere poſsunt, & tunc, ſi adſit reſiſtentia debita involuntarii ſunt. Quamobrem illi ab omni culpa immunes reputati ſunt, qui ad idolothyta deglutienda, ad thus in ignem coram idolo proijciendum, & id genus alia, vi adacti ſunt.

Verum, ut violentia, voluntarium totaliter perimat, abſoluta eſse debet, ſi vero fuerit violentia tantummodo ſecundum quid, minuit dumtaxat voluntarium, ſed illud totaliter non tollit. Actio enim quæ fit voluntate omnino renitente, penitus involuntaria est. Porro ubi est violentia abſoluta, ibi voluntas modis omnibus contrariatur. Est ergo talis actio prorſus involuntaria. Jam vero ubi voluntas non omnino reſistit, ibi remanet aliquid de voluntario, plus vel minus; prout voluntas plus, vel minus re-

sistit

sistit. Ubi autem violentia nonnisi ſecundum quid infertur, ibi voluntas non resistit modis omnibus, quibus potest. Igitur ibi ex parte manet voluntarium.

Hinc fæmina, cui interius, & exterius pro viribus resistenti; prævalidus aliquis, stuprum infert, nihil peccat, at vero mulier quæ interius quidem renititur, ſed non exterius quantum potest, & debet, clamando, repugnando, à peccato non est immunis. Et id verum est, etiamsi mulier clamando, periculum mortis incurreret, quia sicuti fæmina consentire censetur, nisi manibus, & toto corpore resistat, quantum potest, & ad sic resistendum obligatur, etiamsi stuprator mortem ipsi minetur, si resistat, ita etiam consentire censetur, nisi clamat, ubi clamor profuturus creditur.

Quæres 2tio Quæ fiunt ex metu suntne voluntaria?

Resp: Quæ fiunt ex metu sunt voluntaria simpliciter, & libera, involuntaria vero secundum quid & minus libera. Namque ibi manet voluntarium, ubi ex parte mentis non tollitur cognitio atque advertentia, nequè ex parte voluntatis electio. Jam vero metus, etiam gravis, nec tollit cognitionem, advertentiamque ex parte intellectûs, nec ex parte voluntatis electionem. Mercator enim qui suas merces proiicit in mare, & earum pretium cognoscit, & vitæ periculum, in quo versatur advertit, & ipsam actionem merces proijciendi, quam liberé eligit, quia plus vitam amat, quam merces. Licetsi ergo gravis adsit metus, nec voluntarium, nec liberum tollit. Hinc reus pejerans ne suspendatur, & puella alienæ libidini consentiens ne occidatur, graviſsimé peccant, tametsi agant ex metu gravi. Non peccarent autem, nisi voluntarium, & liberum subsisterent cum metu. Verum tamen metus gravis, & libertatem minuit, & facit ut actio sit involuntaria secundum quid. Quæ enim fiunt repugnante voluntate, & eliguntur non ex propensione, aut prædilectione, sed nonnisi ad evitanda majora, ac pejora mala, & minus sunt libera, & secundum quid involuntaria. Porro quæ ex gravi metu fiunt, repugnante voluntate fiunt, & nonnisi ad evitanda majora mala eliguntur. Gravis igitur metus & libertatem minuit, & facit ut actio sit involuntaria secundum quid. Nonnunquam etiam licet raro, contingere potest, ut actio ex gravi metu facta, penitus involuntaria sit, quando nempe malum imminens ita hominem perturbat, ut omnem prorsus tollat adver-

advertentiam, ubi enim omnis deest advertentia, ibi deest voluntarium.

Dices: Jlla absolutè & semper censenda sunt involuntaria. quæ fiunt voluntate reluctante. Quæ vero fiunt ex metu gravi, fiunt voluntate reluctante. Sunt ergo absoluté, & semper involuntaria. Unde contractus gravi metu extorti, non sunt validi.

Resp: Quæ fiunt voluntate prorsus & absolutè reluctante, illa sunt simpliciter, & absolutè involuntaria. Jam vero ubi est metus gravis, ibi quidem est voluntas reluctans, sed non absolutè, ac nonnisi secundum quid, unde qui ex metu gravi operatur nolens, volens agit, quia licetsi cum aliqua repugnantia, attamen voluntas illud ex propria electione arripit. Quare metus gravis voluntarium prorſus non tollit, sed nonnisi illud minuit.

Contractus etiam ex gravi metu facti, jure quidem positivo irritantur propter bonum humanæ Societatis, sed ex natura sua validi sunt, & tenent. Unde & ipsum matrimonium, licetsi jure positivo nullum sit, si fiat ex gravi metu injustè incusso, attamen valet, si contrahatur ex gravi metu justé incusso, qui aliquando gravior est, metu injusté incusso, ex quo apparet, Contractus matrimoniales, quemadmodum & ceteros, gravi metu extortos, ex natura sua valere, sed jure tantum positivo propter bonum humanæ Societatis irritari.

Quæres 14to: Quid sit paſsio, seu concupiscentia?

Resp: Passio, seu concupiscentia est motus animæ, prosequens quidpiam sensibile, & delectabile. Duplex potissimum est concupiscentia, *antecedens* scilicet & *consequens.* Antecedens est illa quæ præcedit voluntatis consensum, eumquè allicit, ut cum viso pulchro, & delectabili objecto, voluntas ad illud desiderandum inflammatur. Consequens, quæ oritur ex prævio voluntatis actu, ut cum ex desiderio alicujus objecti, ardentior illius excitatur paſsio. Est etiam concupiscentia alia *gravis,* quæ rationem, ac mentis advertentiam aliquantisper turbat, ſed non ita, ut illam penitus tollat, alia *graviſsima,* quæ ita vehemens est, ut penitus perimat rationis uſum, & omnem tollit advertentiam.

Quæres 15to Utrum passio, sive concupiscentia tollat voluntarium?

Resp: Concupiſcentia antecedens, vehemens ac gravis, minuit voluntarium. Ad voluntarium siquidem non ſolum voluntatis inclinatio requiritur, ſed & cognitio, adverten-

vertentiaquè eorum, in quibus est actio, maxime est necefsaria. Porro concupiscentia antecedens, & vehemens, hanc cognitionem, advertentiamquè & impedit, & minuit; efficit enim ut mens ab objecto rapta, & illecta, quodammodo cæco & inconsiderato motu in illud feratur, non advertendo & actionis turpitudinem, & Dei offensam. Ex hac ergo ratione concupiscentia antecedens, & vehemens minuit voluntarium. Et hinc sequitur per ejusmodi concupiscentiam antecedentem, & gravem, libertatem etiam minui. Nam eo major est in homine libertas, quo plénior est ad opposita & voluntatis indifferentia, & perpendendi, advertendiquè facilitas, atquè aptitudo. Porro dum concupiscentia antecedens, & vehemens hominem inflammat, & voluntas in objectum delectabile illico rapitur, & mens, sive ratio torbidis pafsionis motibus perturbata, non potest, quemadmodum necefse est, omnia quæ objectum illud concernunt perpendere, ac animadvertere. Igitur concupiscentia antecedens, & vehemens minuit libertatem. Imo aliquando totaliter illam tollit, si adeo vehemens sit passio, ut prorsus tollat ufum rationis.

Ex his fequitur, motus, qui primo primi dicuntur, quia sine voluntatis consensu, & absque rationis advertentia in nobis excitantur, non esse voluntarios, nec liberos ac proinde non sunt peccata, quia ut inquit S. Bernardus: *non nocet sensus, ubi non est consensus.* Sed motus primo secundi, ad quos advertit ratio, & iis consentit voluntas, voluntarii sunt, & liberi, unde peccata sunt.

Quæres x6to. Concupiscentia consequens, augetne an vero minuit voluntarium?

Resp: Concupiscentia consequens, non minuit, fed auget voluntarium, & peccatum. Concupiscentia namquè consequens, est effectus voluntatis, quæ in semetipsa sponté, ac provisé ardorem mali excitat, ac inflammat, ac proin de & voluntaria, & libera est, & quo ardentiore concupiscentia malum fit, eo majus peccatum est. Hinc qui ex pravo habitu peccant, graviús peccant, quia actus mali ex habitu sponté nutrito prodecentes, & sunt in causa voluntarii, ac liberi, atquè eo pejores, quo propensius illis adhæret voluntas.

Quæres x7mo: Quid sit ignorantia, & quotuplex?

Resp: Ignorantia est nescientia eorum quæ sciri debent. Sic nescientia præceptorum Dei, & Ecclesiæ in homine Christiano, est proprié dicta ignorantia, quia hæc scire homo Christianus tenetur.

Igno-

Ignorantia spectari potest vel ratione subjecti ignorantis, vel ratione rei ignoratæ, vel ratione actionis quæ fit ex ignorantia. Unde multiplex est ignorantiæ divisio.

Ignorantia ratione subjecti ignorantis spectata, alia est *invincibilis*, alia *vincibilis*. *Invincibilis*, quæ ordinariis naturæ & gratiæ mediis, diligentia videlicet, & oratione vinci non potest. *Vincibilis*, quæ iisdem naturæ & gratiæ communibus mediis superari potest. Et hæc subdividi solet *in affectatam*, cum quis ut liberius peccet affectat id nescire, quod facere, aut fugere tenetur, *et crassam*, seu ſupinam, ut si quis directé quidem non affectat nescire id, quod facere vel fugere tenetur, sed ut id sciat, vel nullam, vel vix aliquam adhibet diligentiam.

Ignorantia ratione objecti, alia est *juris* alia *facti* Ignorantia *juris* est quando lex ipsa ignoratur, ut si quis nesciat legem, quæ matrimonium cum affine contractum invalidat. Ignorantia *facti*, ut si quis prænominatam legem sciens, nesciat hanc eſse affinem, cum qua matrimonium contrahere intendit. Ignorantia *juris*, pro diversitate legum, diversa est, & alia est *juris naturalis*, alia *juris positivi*, prout jus naturale, aut positivum nescitur.

Ignorantia in ordine ad actiones triplex est *antecedens*, *concomitans*, *&* *consequens*. Ignorantia *antecedens* est, quæ nullo modo fuit volita, est tamen causa volendi id, quod alioqui homo non vellet, si illud, quale est, sciret. *Concomitans* ignorantia est illa, quæ actionem comitatur ita, ut actio adhuc fieret etiamsi ignorantia abesset, talis est ignorantia illius, qui putans se feram occidere, occidit suum inimicum, quem si cognovisset, nihilominus occidiſset, *Consequens* demum illa dicitur, quæ vel directé in se volita est, ut cum quis vult nescire, quæ scire debet, ut liberius peccet, vel saltem indirectè, ut cum quis propter scandium, & otiositatem suam negligit scire ea, quæ scire tenetur.

Ignorantia antecedens est invincibilis, quia cum nequè in se est volita, neque ex aliqua voluntaria procedat causa, vinci ac superari ipsa nequit. Ignorantia consequens semper vincibilis est, quia vel in se, vel in sua causa volita est, cum scilicet quis vel de industria vult nescire, quæ scire oportet; vel illa, addiscere ipse negligit. Ignorantia autem concommitans, si nullo modo est volita, erit invincibilis, quemadmodum ignorantia antecedens, si aliquo modo est volita, scilicet quamvis non in se directé appetatur, sed indirecté, & in sua causa, quia nimirum

rum debita diligentia non adhibetur ad illa addiscenda, quæ scire necefse est, erit vincibilis. Ex quo patet, ignorantiam concommitantem, aliquando ad antecedentem, aliquando ad consequentem revocári debere.

Quæres 28vo: Utrum ignorantia tollit voluntarium?

Resp: Ignorantia antecedens, etiam juris naturalis tollit voluntarium & excusat à peccato. Ignorantia namque antecedens est invincibilis, Porro ingnorantia invincibilis, etiamsi illa fuerít juris naturalis tollit voluntarium & à paccato excusat. Quæ enim ex ignorantia invincibili procedunt, illa & sine prævia intellectûs cognitione, & sine voluntatis in malum propensione fiunt, quod enim invincibiliter ignoratur efse malum, in illud, ut malum propendere voluntas nequit, est igitur prorsus involuntarium, & à peccato immune. Certê in eo nullum est peccatum, quod vitari non potest, quæ autem ex ignorantia antecedente fiunt vitari non possunt, siquidem istiusmodi ignorantia, quæ est illorùm causa; tolli nequit, cum enim nullo modo sit volita, in potestate non est hominis, non sublata autem causa, effectus tolli nequit. Igitur illa, quæ ex ignorantia antecedente fiunt, peccata non sunt quia nec voluntaria, nec bibera sunt. Unde S, Augustinus libro 3. de libero arbitrio Cap. 19. sic inquit. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.*

Quæres 29no: Quid sentiendum sit de ignorantia consequente, & concomitante, an etiam & illæ tollunt voluntarium?

Resp: Ignorantia consequens non tollit voluntarium, ac proinde quæ ex tali ignorantia fiunt, voluntaria sunt, & peccata. Qui enim vult causam, vult etiam effectum qui ex illa profluit. Porro ignorantia consequens est volita, ut patet, ex illius definitione, estquè illorum causa, quæ ex ipsa profluunt. Igitur & ipsa, & quæ ex ea proveniunt voluntaria sunt, & peccata. Verumtamen si ignorantia consequens non fuerit affectata, quoniam aliquomodo minuit voluntarium, minuit etiam peccatum. Enimvero quæ fiunt ex ignorantia puré consequente, & non affectata, non fiunt ex plena & totali voluntatis propensione, cum enim aliquid non cognoscitur efse peccatum, non potest dici quod voluntas directé feratur in peccatum, & totaliter in illud propendat, unde etiam ille, qui ex tali ignorantia agit supponitur sic affectus efse, ut seclusa ignorantia, id non ageret, quod agit; atquè

ex

ex hac ratione Ignorantia consequens non affectata, & voluntarium, & peccatum minuit. Quodsi ignorantia consequens fuerit affectata & voluntarium, & peccatum auget, Ignorantia siquidem non affectatur, nisi ut homo liberius peccet, ergo ipsa efficit, ut mala actio ardentius quæratur, & majori, cum deliberatione fiat, quo autem mala actio & ardentius quæritur, & cum majori deliberatione fit, eo magis est voluntaria, & majus peccatum. Quare ignorantia consequens & affectata, voluntarium, & peccatum auget.

Ignorantia autem concomitans, si fuerit antecedens, tollit voluntarium, quia opus ex ipsa profluens nullo modo, neque in ſe, neque in ſua causa est volitum, ac proinde neque ipsum peccaminosum erit, malus attamen affectus, atque peſsima cordis dispositio, quæ huiusce ignorantiæ ſemper est annexa peccatum erit, ut patet in eo, qui vehementer cupiens inimicum ſuum è medio tollere, ipsum insperaté occidit, putans & invincibiliter æstimans ſe feram occidere, quem tamen nihilominus occidiſset, si illum cognoviſset. Quodsi ignorantia concomitans fuerit consequens, non tollit voluntarium, nec excusat à peccato, quia & ipsa volita est, & opus ex illa profluens volitum reputatur, unde & ipsa talis ignorantia, & quidquid ex ea mali operatur homo peccatum est. Quare si quis non adhibita debita diligentia occidit latitantem ſuum inimicum, putans eſse feram, quem etiam detecto errore occidiſset, non ſolum ratione pravæ dispositionis, ſed etiam ratione ipsius occisionis peccat, quia licet ex ignorantia, quæ Concommitans fuit, hominem occiderit, ſed quia illa fuit consequens, & in causa volita, cum debitam non adhibuerit diligentiam, an reipsa fera, non homo latitat, ideo & voluntaria istiusmodi hominis occisio fuit, & peccaminosa. Manifestum igitur est, ignorantiam concommitantem, si consequens fuerit, nec voluntarium tollere, nec à peccato excusare.

Quæres 2omo. Præter voluntarium, quid præterea in actibus humanis considerari debet?

Resp: Considerari debet libertas, quemadmodum enim actus non est veré humanus si non est voluntarius, ita quoque si non est liber, inter actus humanos reputari nequit. Præterea libertas meriti, & demeriti actuum humanorum radix & fons meritò censetur, sine libertate namqué per actus ſuos nihil homo meretur, nihil demeretur

retur. Libertas ergo maxime in actibus humanis consideranda est.

Quæres 21mo. Quid ergo est libertas, & quotuplex?

Resp: Libertas, quæ homini est propria, *est immunitas à præmente necessitate*, quando homo ex propria electione, atqué ex ſuo arbitrio valet hoc, vel aliud agere, aut non agere, estque ad utrumque indifferens. Libertati opponitur neceſsitas, quando quis vi fortiore ad agendum potius quam non agendum, ad faciendum hoc potius quam aliud adigitur.

Libertas multipliciter dividitur, est enim *contradictionis*, *contrarietatis*, *ac disparitatis*. Libertas *contradictionis*, est potentia eligendi unum ex duobus contradictoriis *exg*. amare, vel non amare. Libertas *contrarietatis*, est potentia eligendi unum ex contrariis, *exg*. amare, vel odiſse. Libertas *disparitatis*, est potentia eligendi unum ex duobus disparatis, licet sibi non oppositis, *exg*. orare, vel legere, aut ambulare.

Neceſsitas quoque, quæ libertati opponitur, alia est *antecedens*, alia *consequens*. Neceſsitas *antecedens*, quæ etiam absoluta dicitur, illa est quæ rationis, & voluntatis usum antecedit. Neceſsitas *consequens*, quæ etiam hypothetica vocatur illa est, quæ liberam voluntatis determinationem consequitur, sic neceſse est me loqui cum ad loquendum me determinaverim.

Quæres 22do. Homo etiam in hoc statu naturæ lapsæ ac corruptæ, estne liber?

Resp: Homo etiam in hoc statu naturæ lapsæ, ac corruptæ veré liber est. Sic enim locutus est Deus ad Cain Genesis Cap. 4. *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus aderit peccatum, ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*. Potest ergo homo si voluerit, bene agere, potest dominari appetitui ad peccatum provocanti. Jam verò si homo liber non eſset, ſed ad unum *exg*. ad peccandum neceſsariò determinaretur, nec bene agere poſset, etſi vellet, nec appetitui ſuo ad peccatum provocanti dominari poſset. Quod & ipsi experientiæ opponitur, quotidie namqué, si volumus bene agere, agimus, si volumus appetitum ad malum trahentem comprimere, id in nostra eſse potestate ſentimus. Liber itaqué est homo etiam in hoc statu naturæ lapsæ, ac corruptæ.

Quæres 23tio. Hæc hominis libertas an in ſolo consistit voluntario?

Resp: Libertas hominis non consistit in ſolo voluntario, ſed ad eam neceſſariò requiritur immunitas à neceſſitate, ac indifferentia veré activa. Namqué ad veram libertatem requiritur ut homo actus ſuos in potestate habeat, & eorum dominus sit. Actus autem puré voluntarii, & à ſola coactione immunes, non ſunt in potestate & dominio hominis, ut enim inquit S. Thomas Doctor parte 1ma, quæst: 82. art: 1. *ſumus domini nostrorum actuum, ſecundum quid poſsumus hoc, vel illud eligere.* Porro qui ad unum neceſsitate adigitur, ac determinatur, licetsi voluntarié ac ſpontaneé, non potest hoc vel illud eligere, ſed unum neceſsariò aſsumit, nec ergo actionis ſuæ dominus est, nec per consequens liber dici potest. Certé in eo libertas hominis posita est, quod faciat si vult non faciat, si non vult. Porro qui neceſsariò, licet voluntarié facit, de eo dici nequit, quod faciat quia vult, ſed potius facit quia non potest non facere, cum ad faciendum neceſsitetur. Ad libertatem ergo hominis non ſufficit voluntarium, ſed ad eam omnino præerequiritur immunitas à neceſsitate.

Hinc consequitur liberum plus denotare quam voluntarium. Voluntarium siquidem id omne cenſetur, quod fit ex propenſione voluntatis, cum advertentia rationis, etiamſi neceſsariò fiat, sic *exg*: voluntarie quidem, attamen neceſsariò homo suam desiderat beatitudinem, atqué felix vult eſse, ipsa natura ad id stimulante, nequé ullo modo quispiam suam infelicitatem cupere potest. Igitur aliquid potest eſse voluntarium simul & neceſsarium: Liberum autem neceſsarium eſse nequit. Est quidem omnino voluntarium, & fieri debet ex propensione voluntatis cum advertentia rationis, ſed insuper immune eſse debet ab omni neceſsitate, ac proinde ex propria voluntatis, atqué rationis electione fieri debet. Si vero fiat aliqua vi præmente, atqué ad unum neceſsariò voluntatem determinante, licetsi id sit voluntatis inclinationi, ac propensioni respondens, liberum non erit. Omne itaqué liberum, est etiam voluntarium, ſed non omne voluntarium est liberum.

Quæres 24to. Quid sit finis, & quotuplex?

Resp: *Finis est id, propter quod, seu cujus gratia, intuituqué aliquid fit.* Finis est prima omnium humanarum actionum causa, propter finem, ad illum aſsequendum media inquiruntur, ſeliguntur, & actu usurpantur.

Finis 1mo. alius est *operis*, estqué illud ad quod opus humanum ex natura ſua ordinatur, sic finis eleemo-

synæ,

synæ, est ſublevatio pauperis, alius *ovarantis* & est id, ad quod operans, ex ſuo affectu opus ſuum ordinat, ac dirigit, sic finis dantis eleemosynam est aliquando vanitas, quam quærit ille, qui eleemosynam tribuit. *2do.* finis alius est *ultimus* ad quem homo ita ſua dirigit, ac refert opera, ut in eo conquiescat, nec jam aliud quærat. Verus ultimus finis, in quo homo conquiescere debet, est ſolus Deus, si autem in alio quopiam conquiescat, & ultimo sistat, erit finis illius ultimus, ſed præsumptus tantummodo atqué inordinatus. Alius est finis *intermedius*, & is est, ad quem actio humana ita refertur, ut ipse ad ulteriorem finem ordinetur.

ARTICULUS 2dus.

De moralitate actuum humanorum.

Quæres 1mo. Quid sit moralitas actuum humanorum?

Resp: Moralitas actuum humanorum sita est in illorum ordine & habitudine ad regulas morum, si ipsis conformes sint, boni ac laudabiles censentur, si illis difformes fuerint, mali ſunt ac vituperio digni. Porro regula actuum humanorum est recta ratio, ut enim inquit S. Augustinus libro de utilit: credendi cap: 12. *Rectum factum nullo modo eſse potest, quod non à recta ratione proficiscitur.* Verum recta ratio *primò* considerari debet prout ets in Deo, & est lex illa æterna indicans atque præmonens quid homo fugere, ac vitare, quid ſequi ac facere tenetur, *secundario* vero considerari debet prout est in homine, & ipsa est participatio rationis divinæ, sive lumen â Deo homini infusum, ostendens quid faciendum, quid fugiendum sit, quidqué fieri poſsit, & quomodo fieri debeat, unde ratio & divina & humana vel præcipit facienda, vel prohibet agenda, vel consulit tantummodo, ac permittit aliquid ut fieri, vel non fieri.

Quæres 2do Quæ considerari debent, ut actus humani censeantur eſse conformes aut difformes rectæ rationi?

Resp: Tria precipue in quolibet actu humano considerari debent, objectum scilicet, finis, & circumstantiæ, ab his enim pendet quod actio humana rectæ rationi conformis sit; vel difformis, unde ab iis tota actuum humanorum desumitur moralitas, indeque habent, quod boni sint aut mali.

Quæres

Quæres 3tio Quid intelligi debeat per objectum actûs humani ?

Resp: Per objectum actus humani id omne intelligitur sive res sit, sive persona, in quod actus humanus ex se independenter ab intentione operantis tendit, sic res aliena est objectum furti, Deus dum diligitur, objectum charitatis, homo cui quis irascitur, objectum iræ. Res autem sive persona, quæ est objectum actus humani non sumitur phisicé, & materialiter prout est ens quodpiam sed moraliter prout ſe habet in ordine morali, quia scilicet est conformis, vel difformis rectæ rationi, & prout ab agente spectatur, atquè attingitur eo modo, qui rectæ rationi aut congruit, aut illi adversatur. Multum vero refert sitne objectum actus humani ex natura ſua & intrinsecé bonum vel malum, vel solum extrinsecé vi scilicet legis positivæ, veluti commestio carnium die Veneris mala est solum extrinsecé, ebrietas mala intrinsecé,

Quæres 4to: Utrum actus humani ab objecto suam desumant moralitatem.

Resp: Actus humani moralitatem desumunt ab objecto. Actio siquidem humana ab objecto habet quod sit bona, vel mala, si enim objectum illius est bonum & ipsa est bona, si malum, & ipsa est mala, unde O eæ Cap. 9. scriptum est. *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.*

Quodsi objectum actus humanī in se spectatum sit indifferens, nequè bonum, nequè malum, tunc actus ille moralitatem suam desumit a fine operantis, atquè circumstantijs, quæ efficiunt ut actio illa cujus objectum est indifferens, ratione finis ac circumstantiarum, hic & nunc sit bona, aut mala.

Quæres 5to: Quid sunt circumstantiæ actûs humanī?

Resp: Circumstantiæ sunt adjunctæ sine quibus actus humanus in suo genere eſse potest. Sic circumstantia loci sacri, si in eo furtum committatur, est furti adjunctum, quia sine eo furtum eſse potest, quia etiam in loco profano furari quis potest. Circumstantiæ actus humani septem recensentur, quæ hoc versu exprimi solet. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Quæres 6to: Utrum actus humani suam moralitatem desumunt à circumstantijs.

Resp: Actus humani moralitatem suam desumunt a circumstantiis. Dantur siquidem actus alii aliis meliores

res, alie allij pejores, licetsi & idem habeant objectum, eundemquè finem. Porro tales actus, non aliunde sunt alii aliis meliores, aut pejores, nisi ex circumstantiis. Sic vidua pauper, quæ in gasophilacium duo minuta misit, à Christo, Marci cap. 12. prefertur divitibus, qui summas majores dederunt; actio ergo ipsius ex sola circumstantia paupertatis nobilior, & sanctior facta est. Sic etiam furtum in Ecclesia patratum aut ebrietas die festa commifsa, graviora ſunt peccata, quam si quis in loco profano furaretur, aut die feriali ſe inebriaret, & hoc nonnisi ex circumstantia loci, dieique ſacræ provenit. Ex ipsis ergo etiam circumstantiis actus humani ſuam deſumunt moralitatem. Hinc Joan: Cap. 19. dixit Christus Pilato, *qui me tibi tradidit*, *majus peccatum habet.* quia scilicet ſummi Pontifices Judæorum, ac Sacerdotes per invidiam illum Pilato ad mortem tradiderant.

Quæres 7mo: Utrum, si actioni bonæ, adjungatur circumstantia mala, ejus destruat bonitatem.

Resp: Actioni de ſe bonæ potest circumstantia mala adjungi concomitanter, seu in operis decursu, ut cum quis inchoata bonum in finem oratione, gloriam inanem, aut tædium aliquod inter orandum concipit. Sic vero actui bono adveniens circumstantia mala; talem ipsius bonitatem non destruit. Si enim omnis circumstantia mala actui bono ſuperveniens ejus totam bonitatem destrueret, vix ullus erit actus humanus qui moraliter bonus cenſeri potest, quia vix ulluf erit pietatis ac virtutis actus, in viris etiam Sanctis, qui non aliqua vitiosa circumstantia tæporis exg: tædii, impatientiæ, vanitatis inquinetur. Falſum est, & nimis durum consequens, dicendum enim efset cum Calvinianis, aliisque Hæreticis, nullam efse hominis actionem, quæ peccatum non sit, quod hæreticum est. Igitur circumstantia mala, actioni ex se bonæ adveniens talem ipsius bonitatem non destruit, illam tamen nonnihil commaculat, atquè coinquinat. Unde qui recto fine orat, jejunat, & irrepente deinceps tædio, tæpore, vanitate tantisper ei consentit, peccat quidem, ſed non totum actionis bonæ deperdit meritum.

Quæres 8vo: Unde principüé actus humani suam desumunt moralitatem.

Resp: Actus humani moralitatem ſuam maxime desumunt a fine operantis quem ipse sibi in agendo constituit, ac præfixit. Unde Christus Math. Cap. 6. inquit: *Lucerna corporis tui est occulus tuus, si occulus tuus*

fuerit

fuerit simplex, totum corpus lucidum erit, si autem oculus tuus fuerit nequam. totum corpus tuum tenebrosum erit. Et verò, finis operantis facit actum, 1mo: ex indifferente bonum, vel malum, sic deambulatio ex se indifferens, mala est, si fiat luxus ostendendi causa, bona verò, si fiat ut liberius deinceps Deo serviatur. 2do: actum ex malo pejorem, ut si quis furetur, quo posit lautius vino indulgere. 3tio: Facit actum ex bono malum, ut si quis jejunat eo fine, ut hominibus appareat jejunans. 4to: facit actum ex bono meliorem, ut si quis eleemosynam eroget, ut peccata sua redimat. Cum ergo finis operantis, quem quis in agendo intendit, faciat actum ex indifferente bonum, aut malum, ex malo pejorem, ex bono meliorem: evidens ergo est, actus humanos moralitatem suam maximè à fine operantis desumere. Quare S. Augustinus libro 4. contra Julianum Cap: 3. sic inquit. *Non officiis sed finibus distinguendas esse virtutes. Officium est, quod faciendum est, finis autem propter quem faciendum est.*

Quæres 9no Utrum actus malus in bonum, & bonus in malum finem ex intentione agentis relatus, suam amittant moralitatem, quam habent ex objecto.

Resp: Actus malus in bonum finem relatus non desinit esse malus, actus verò in se bonus, si ad malum finem referatur, eò ipsò est malus. Quando enim in actione humana reperitur disordinatio rectæ rationi contraria, semper illa mala est, utpotè rectæ rationi adversa. Porro cum malum ad bonum, vel bonum ad malum finem refertur, tunc in humana actione est disordinatio rectæ rationi contraria, siquidem tunc malum eligitur tamquam medium ad consequendum bonum, aut bonum arripitur ad adipiscendum malum, quod inordinatum, & rectæ rationi adversum est, ac proinde ipsa actio mala est. Hinc Christus severé eos redarguit, qui orabant, jejunabant, ut ab hominibus conspicerentur: & Paulus Apostolus damnat illos, qui censebant facienda esse mala, ut evenirent bona. Ergo actus malus in bonum etiam finem relatus non desinit esse malus, & actus ex se bonus, si ab agente ad malum finem referatur, malus est.

Et verò, ut inquit S. Thomas Doctor 1ma 2dæ quæst: 18. Art: 4. *Quilibet singularis defectus causat malum, bonum autem causatur ex integra causa.* Unde illud commune manavit effatum: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Quare ut actus humanus bonus moraliter censeatur, necesse est, ut ejus objectum bonum sit,

ad finem bonum ab agente referatur, ac tandem fiat, in debitis circumstantiis, quando verò actus ex se malus, ad bonum finem refertur, objectum illius non evadit bonum, ſed malum manet, atquè ex hoc solo totus actus malus est, fine bono ab agente intento non melioratur. Sed et agere mala, ut eveniant bona, præsumptio atquè intentum perversum est. Igitur actus ex se malus, ad bonum finem relatus, non solum ex objecto, sed & ex fine malus est.

Quæres 10mo: Utrum actus humanus, ut moraliter sit bonus, debeat ad Deum referri.

Resp: Ut actus humani omni ex parte sint moraliter boni, debent referri ad Deum. Eniinverò sic præcipit Paulus Apost: 1. ad Corintt: Cap: 10. *Sivé manducatis, sivè bibitis, sivè aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite:* eodem modo loquitur idem Apostolus ad Coloſs: scribens Cap. 3 *Omne quodcunquè facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi gratias agentes Deo ....* quibus in verbis manìfesté continetur divinum præceptum ut omnes actus nostros ad Deum referamus. Hinc S. Bernardus Serm: 3. de diversis inquit: *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei.* Certé: ut præclarè docet S. Thomas Doctor 1ma 2dæ quæst: 21. Art: 4. *Deus est ultimus finis hominis. Est autem debitum ut ad finem ultimum omnes actus referantur.* Ut ergò actus humani sint omnì ex parte boni, ad Deum referri debent.

Verum non est neceſsé, ut actus humani ad Deum actualiter & explicité referantur, singulis in actibus de Deo cogitando, & actiones suas ad illum dirigendo, ſed ſufficit, ut ad ipsum virtualiter & implicité referantur, quod fit, cum quis totam vitam ſuam in Dei gloriam ordinat, si non sæpius in die, saltem semel initio cujusquè diei, omnes actiones suas ad Deum dirigit tandem omnia opera ſua ad finem honestum ſemper refert, quia tunc etiam actus bonus, & propter honestum finem factus, ſuâpte naturâ ad Deum tendit, qui omnis bonitatis, ac honestatis Fons est & origo,

Quæres 11mo: Danturne Actus humani indifferentes?

Resp: Actus indifferens dicitur, qui nec bonus est, nec malus moraliter. Sed quia actus humani dupliciter spectari poſsunt. 1mo: quidem prout ſunt *inse* & ratione solius objecti, ad quod natura ſua referantur, ac præscindendo â fine agentiś, & cæteris circumstantiis, & hoc ſensu considerati actus humani, spectantur in ſua ſpecie positi.

Tali-

Taliter ſpectati actus humani, & in ſua ſpecie conſiderati, quam plurimi indifferentes ſunt, in ſe nequé boni, nequé mali. Hinc illud S. Hieronymi Epist: 89. *Bonum est continentia, malum est ſuxuria, inter utrumqué indifferens, ambulare.* 2do Spectantur actus humani in *individuo*, ſcilicet: prout fiunt ab homine, conſideratis, objecto, fine, ac circumstantiis in quibus ponitur actio. Hoc modo conſiderati actus humani nulli ſunt indifferentes, ſed aut ſunt moraliter boni aut mali. Enimvero actus humani in individuo conſiderati, vel habent objectum & finem bonum, in debitis etiam fiunt circumstantiis, & ſunt moraliter boni, vel aliquid horum ipsis deest, ſcilicet sivè objectum bonum, sivé finis bonus, aut etiam ponuntur non in debitis circumstantiis; & ſunt moraliter mali. Igitur actus humani ratione objecti, finis, ac circumstantiarum conſiderati, nequeunt eſse indifferentes. Hinc S. Augustinus Epist: 82. inquit: *Cavendum est, ne facta quædam hominum, media dicamus inter recté factum, & peccatum, quæ nequé in recté factis, nequé in peccatis numerentur.*

Dices: Actus humani poſsunt habere & objectum indifferens, & circumstantias indifferentes, si ergo habeant & finem indifferentem, plané erunt indifferentes. Porro pleriqué actus humani, aut nullum habent ab agente intentum finem, aut nonnisi indifferentem, veluti ad ſublevandam naturæ indigentiam, ambulare, manducare. Dantur ergo actus quæmadmodum inſpecie conſiderati, ita etiam in individuo ſpectati indifferentes.

Resp: Poſsunt actus humani & objectum & circumstantias habere indifferentes, quia multa ſunt, quæ in ſe ſpectata, & abſtrahendo â fine agentis conſiderata, nequé bona ſunt moraliter, neque mala, undè dantur actus humani in ſpecie conſiderati, qui indifferentes ſunt. Sed si relaté ad finem quem agens intendit, aut intendere debet, actus humani conſiderentur, indifferentes eſse nequeunt. Enimveró quotiescunqué homo deliberaté agit, tenetur propter honestum finem agere, vel ergo agit propter bonum ac honestum finem, & actio bona est, vel agit propter malum & perversum finem, & actio est mala, vel tandem, licetsi in agendo nullum malum intendat finem, ſed etiam nullum bonum, ac honestum sibi præstituit, & eó ipsò est actio mala, quia caret bono fine, ac proinde otioſa est, quemadmodum veró omne verbum otioſum peccatum est, undè juxta Christi oraculum de eo in die judicii, ho-

 mines

mines reddent Deo rationem, ita pariter opus hominis otiosum, peccatum est, sicuti verò omne verbum otiosum est, quod, ut loquitur S. Gregorius Magnus libro 7. Moralium Cap. 25. *utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis, aut piæ utilitatis caret*, ita pariter omne opus humanum otiosum, ac simul vitiosum est, quod utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necefsitatis, vel demum motivo piæ utilitatis caret. Hinc Innocentius X. damnavit istam propositionem. *Comedere, & bibere ad satietatem, ob solam voluptatem non est peccatum*, quia nimirum solam in esu, aut potu, vel in alia quacunquè re, quærere voluptatem, non est finis agendi honestus, eò verò deficiente, actio mala est. Undè præclarè inquit S. Thomas Doctor. *Cum rationis sit ordinare, actum â ratione deliberativa procedentem, si non sit ad debitum finem ordinatus ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, undè habet rationem boni. Necefsè est autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem, unde necessè est omnem actum hominis, â deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum efse vel malum.*

Quæres 12mo: Utrum actus externus, actui interno aliquam addat bonitatem, sivè malitiam.

Resp: Actus externus, est executio actus interni, ipsius terminus, consummatioqué illius, undé actus interior & exterior unum completum constituunt humanum opus. Nihil ergo actus externus, interno superaddere potest. Verum est, quod actus externus & ipse bonus, aut malus sit, sed distinctam non habet bonitatem vel malitiam à bonitate, sivé malitia actus interni, sed una utriusqué, atqué eadem est: imo bonitas sivé malitia actus externi ab interiori promanat. Actus ergó externus nequit bonitatem vel malitiam actui interno superaddere.

Dices: Cur ergo diversis mandatis actus interni ac externi, alii præcipiuntur, alii prohibentur. *Non furtum facies. Non mæchaberis. Non concupisces uxorem proximi tui, nequê bovem, nequê asinum &c.*

Resp: Actus externi in se spectati, alii boni sunt, alii mali, & propterea alii præcipiuntur atquê laudantur, alii prohibentur & vituperantur, sed bonitatem, ac malitiam ab actibus internis mutuantur, seorsivam bonitatem, aut malitiam in se non habent, ideoqué illam actibus internis superaddere non pofsunt. Non tamen idcirco pro nihilo

hilo

hilo habendi sunt. Siquidem per actus externos, interni augentur, intenduntur, prolongantur, habitus contrahuntur, quam plurimi ex iis effectus, sivé boni, sivè mali profluunt. His veró magnoperé sivè bonitas, sivè malitia actuum internorum crescit, & augetur.

CAPUT SECUNDUM

De Conscientia.

ARTICULUS 1mus.

De notione, & divisione conscientiæ.

Quæres 1mo: Quid sit Conscientia?

Resp: Conscientia est dictamen, seu actus, quò intellectus ex generalibus morum principiis judicat, ac decernit de bonitate, ac malitia eorum, quæ agenda sunt, aut iam facta sunt. Non solum ergo conscientia respicit futura quæ agenda sunt, dictans in particulari quid faciendum sit, sed & præterita, iam facta redarguendo, aut illa approbando.

Conscientia differt à Synderesi. Siquidem Synderesis est cognitio primorum bene vivendi principiorum, quibus indicatur in genere quid sit bonum, quid malum. Conscientia veró hæc generalia morum principia, ad casus particulares applicando, in individuo ostendit, hoc in particulari eſse malum, aut bonum, ac propterea aut agendum, aut fugiendum.

Quæres 2do: Quotuplex est conscientia?

Resp: Conscientia multiplex est, & varié dividitur. Conscientia siquidem alia est *vera*, seu *recta*, alia *falsa*; & *erronea*, alia est *certa* seu *tuta*, alia *incerta* seu *dubia*. Item alia est *scrupulosa*, alia *laxa*, alia *probabilis*, alia veró *improbabilis*.

Quæres 3tio: Quid sit conscientia recta, & quid erronea?

Resp: Conscientia *vera*, seu *recta* illa est, quæ dictat id licitum, vel illicitum eſse, quod revera licitum, aut illicitum est. *Erronea* seu *falsa* illa dicitur, quæ dictat

ctat id licere quod prohibitum est, aut id non liceré, quod omni lege permittitur. Et hæc erronea conscientia vel est ex errore vincibili qui vitari, aut corrigi potuit & debuit, & dicitur *vincibiliter erronea*, vel ex errore invincibili, qui vitari, aut corrigi non potest, & vocatur *invincibiliter erronea.*

Quæres 4to: Quid sit conscientia certa, quid dubia?

Resp: Conscientia *certa*, & *tuta* ea est, quâ quis prudenter, & siné timore rationabili, judicat hic & nunc aliquid eſse bonum, vel malum. Porró hæc certitudo duo exigit, prudentiam videlicet intelectûs, & firmitatem voluntatis, ut nempé & intellectus rationabiliter sit convictus de licitate, vel illicitate actûs, & voluntas firmiter siné timore judicio intellectûs adhæreat, quaré si vel rationabilis desit convictio, aut formido oppositi, non erit conscientia certa, sed vel dubium, ac perplexitas, vel siné ratione pertinacia. Conscientia *incerta*, & *dubia* est illa, qua quis ita judicat aliquid eſse licitum, ut simul judicet illud poſse eſse illicitum. Undé qui talem habet conscientiam, in illo deest firmitas, ac convictio, sed reperitur mentis hæsitatio, atqué dubitatio, utrum illud reipsa licitum sit, vel illicitum. Hæc autem hæsitatio, atqué dubitatio, vel indé provenit, quia menti, pares, & æqualis ponderis pro utraqué parte occurrunt rationes, & tunc est conscientia dubia *positivé*, vel quia nulla menti occurrunt momenta, quibus permota poſsit decernere hoc eſse licitum, aut illicitum, & est conscientia dubia *negativé*. Ad conscientiam erroneam revocatur etiam conscientia *pharisaica*, & *perplexa*. *Pharisaica* est, quæ magna parvi, & parva magni facit, ut inquit Christus Math: cap: 23. *excolentes culicem, camelum autem glutientes. Perplexa*, qua quis reputat se peccare, sivé hoc faciat, sivé omittat.

Quæres 5to: Quid sit conscientia scrupulosa & quid laxa.

Resp: Conscientia *scrupulosa*, est anxietas formidolosa peccati, ubi non est peccatum, quando nimirum aliquis ex inani, & frivola ratione concipit opinionem aliquid hic & nunc eſse præceptum, vel prohibitum, indequé animus ipsius angitur, ac torquetur *Laxa* est conscientia, cum aliquis exilibus motus ratiunculis id putat eſse licitum, quod malum eſse facilé deprehendere potest, aut etiam illud levé censet eſse peccatum, quod reipsa grandé est piaculum. Huic proxima est conscientia

cauter-

cauteriata, quæ propter longam in malo consvetudinem, ita obdurescit, ut malum non sentiat.

Quæres 6to: Quid sit conscientia probabilis, & quid improbabilis?

Resp: Conscientia *probabilis* ea dicitur, quæ fundatur in opinione probabili, & gravi quidem innititur fundamento ac motivo, sed tamen fallibili. Conscientia *improbabilis* illa est, quæ vel malis, vel levifsimis innititur rationibus, ac momentis.

Quæres 7mo: Utrum teneatur homo semper sequi conscientiam rectam?

Resp: Conscientiam rectam quæ dictat aliquid ex præcepto efse faciendum, vel omittendum, semper homo sequi tenetur. Talis enim conscientia veritati, & rectæ rationi conformis est, á recta autem ratione aberrare, veritati contraire non licet. rectam ergo conscientiam sequi, homo tenetur. Semper igitur homo peccat, quotiescunqué contra conscientiam rectam agit, quæ aliquid præceptum, aut prohibitum efse dictat, quia tum præceptum sivè imperans, sivè vetans transgreditur. Imó graviora efse peccata, quæ contra conscientiam rectam fiunt, docuit Christus Lucæ cap: 2. dicens. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.*

Quæres 8vo: Conscientiam erroneam licetné sequi, & secundum illam agere?

Resp: Conscientiam vincibiliter errantem, quæ dictat aliquid efse licitum, quod re ipsa illicitum est, nunquam sequi licet; undé qui secundum illam agit, peccat. Enimveró qui sequitur conscientiam errantem, quæ dictat efse licitum, quod re ipsa prohibitum est, verum transgreditur præceptum, à peccato ergo excusari nequit, nisi errore & ignorantia. Porro ignorantia & ex illa profluens error vincibilis, à peccato non excusat. Ergo qui secundum sic errantem conscientiam agit, peccat. Hinc S. Augustinus Epist: 154 ait. *Si quis bonum putaverit efse, quod malum est, & fecerit hoc putando, peccat.*

Quæres 9no. Qui fequitur conscientiam invincibiliter errantem peccatne?

Resp: Qui fequitur conscientiam invincibiliter errantem non peccat, licetsi quidpiam agat, quod malum est. Quia ignorantia invincibilis, & error prorsus inculpabilis à peccato excusant. Hinc S. Thomas Doctor. Quod lib: 8. quæst: 6. art: 15. inquit: *Error conscientiæ quandoqué*

habet

habet vim excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire non potest.

Quæres 10mo. Utrùm peccat qui agit contra conscientiam errantem?

Resp: Qui agit contra conscientiam errantem, sivè hæc vincibilis sit, sivè invincibilis ſemper peccat. Enimveró qui ſciens, & volens intendit peccatum, illudqué deliberaté vult, peccat. ut enim docet S. Augustinus libro 1. Retract: cap: 9. *Voluntas est, qua peccatur, & bene vivitur.* Porró qui agit contra conscientiam vincibiliter, sive invincibiliter errantem, ſciens & volens, peccatum intendit, & illud vult, quia deliberatè id eligit, & arripit quod judicat eſse malum & peccatum. Esto ergo id quod ex errore vincibili vel invincibili in ſe bonum sit, aut indifferens, ſed quoniam conscientia erronea illud apprehendit ut malum, ac illicitum, qui illud deliberaté facit, repugnante erronea conscientia malé facit, & peccat. Hinc in Jure Cap: 13. de restit; ſpoliat: generaliter dicitur: *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.* Et certè S, Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos Cap. 14. peccati reos eſse censet illos, qui ex errore putabant quosdam cibos eſse prohibitos, attamen illos manducabant conscientia repugnante, ſcilicet *quia non ex fide* id est non ex dictamine conscientiæ, id faciebant, ſed contra illius ſensum, unde generaliter concludit, quidquid non est ex dictamine conscientiæ, ſed contra illum fit, peccatum est. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.*

Quæres 11mo: Quale est peccatum illius, qui agit contra conscientiam erroneam.

Resp: Qui contra erroneam conscientiam agit, tale peccatum committit, quale ex errore judicat ineſse actioni, vel omiſsioni ſuæ. Quia qui contra conscientiam agit, tale vult peccatum, quale conscientia eſse dictat, undè si conscientia dictat grave eſse peccatum id, quod contra ejus dictamen fit, grave committit peccatum, si vero dictet illud leve eſse, leve erit peccatum, licet in se grave sit delictum: ſed hoc non tenet, nisi tunc, quando conscientia contra quam quis agit, est invincibiliter erronea. Quia enim ignorantia invincibilis â toto etiam excusat peccato, ac proinde & à gravitate ipsius eximit, qui ex invincibiliter erronea conscientia putat aliquid leve eſse, quod reipsa grave est peccatum, & tali erronea laborans conscientia, contra ipsius dictamen facit, nonnisi leviter peccat, quia à gravitate peccati error invincibilis, & inculpa-

culpabilis illum eximit. Quodsi eſset conscientia vincibiliter erronea, & ex tali vincibili errore putans aliquis leve eſse, quod reipsa grave est peccatum, & contra ſuæ conscientiæ dictamen, quæ nonnisi leve peccatum ſuspicatur ageret, non leviter, ſed graviter peccaret, quia illud quod facit reipsa grave est peccatum, & ignorantia vincibilis & error inde proveniens, qui putat illud nonnisi leve eſse, cum sit culpabilis à gravitate peccati non eximit.

Quæres 2do: Quid, si conscientia errans non distingvat, nequè determinet peccatum, quale sit, an mortale, an veniale?

Resp: Qui facit, quod ex erronea conscientia putat eſse illicitum, & non distingvit, nequè determinat, an veniale, an mortale sit, peccat mortaliter quisquis contra talem conscientiam operatur. Quia qui sic agit censetur peccatum velle qualecunquè illud sit, ac proinde etiamsi mortale fuerit. Ergo ratione ipsius tam pravæ dispositionis, quam in corde ſuo gerit, peccat mortaliter, licetsi ratione solius actionis, quæ forté leviter tantummodo mala est, non peccaret nisi venialiter.

Quæres 3tio: Quid facere tenetur qui laborat conscientia erronea, aut perplexa.

Resp. Qui laborat conscientia erronea, ac perplexa, tenetur errorem, ac perplexitatem prudenter deponere, sivé peritiores se consulendo, sivé rem profundius inspiciendo, & attentius examinando, sivé ex principiis morum generalibus statuendo, quid faciendum, quid omittendum sit. Quodsi non ſuppetat satis temporis, ut per ſapientum consultationem, & plenius rei examen, error deponatur, & perplexitas conscientiæ ſapiatur, tunc veró ac sincero dolore ignorantiæ culpa abstergenda, illudquè eligendum est, quod minus malum est. Sic enim ulterior culpa evitabitur, quia tunc error qui fuit vincibilis, fiet invincibilis, quia hic & nunc corrigi, & emendari nequit, & causa ipsius, quæ illam culpabilem faciebat, dolore sincero retractata est, & tantum à peccato receditur, quantum in iis circumstantiis fieri potest.

Quæres 4to. Qui censeri debeant pro verè scrupulosis?

Resp: Nomine scrupulosorum non ſunt illi intelligendi, qui ex justo Dei timore non solum mortalia, ſed & venialia peccata vitare enixè satagunt. Ii namquè non ſcrupulosi, ſed verè timorati dicendi ſunt. Pariter nec illi pro scrupulosis haberi debent, qui ob peccata præterita

terita male, vel leviter conffefsa, anxii ſunt, aut etiam his excruciantur, quæ liberius vivendo, ex laxitate conscientiæ perpetrarunt. Sed ii verê scrupulosi judicandi ſunt, qui ex motivo parvi, vel nullius momenti, ſæpius judicant aliquid prohibitum, aut præceptum eſse, quod reipsa tale non est, unde inaniter timoribus, atquè conscientiæ anxietatibus exagitantur.

Quæres 15. Quibus signis verè scrupulosi dignosci poſsunt?

Resp: His signis cognosci poſsunt 1mo Si cum salutis ſuæ sint studiosi, sæpe tamen dubitant & in multis alios interrogant, variisquè inquietantur anxietatibus, circa fidem, castitatem, aliasqué virtutes, contra quas, data etiam occasione non aſsolent peccare. 2do: Si nonnisi cum timore & anxietate aliorum etiam timoratorum, ac prudentum consilia, decisionesque sequantur. 3tio. Si judicant id sibi illicitum eſse, quod in aliis excusant, de omnibus feré quæ ad se pertinent dubitare solent. 4to: Si actionibus ſuis, alias bonis, maximè confeſsionis sincerê factis, semper aliquid deeſse arbitrentur, illasquè repetere velint.

Quæres 16to: Quæ scrupulorum causæ, & quæ remedia scrupulosorum?

Resp: Scrupulorum causæ sunt ſequentes. 1mo: Abundantia proprii judicii, quæ relictis etiam seniorum consiliis, suis visionibus, ac opinionibus præfracté adhæret. 2do: ſubtilitas ingenii quod dubitandi rationes ſemper invenit, easdem verè pro agitatione, & instabilitate mentis, atquè nimio timore ſolvere non valet. 3tio astutia, & fraus diaboli, qui jugum Dei ſvave, in asperum transvertere satagit, ut hominem â via virtutis, â participatione Sacramentorum avertat, ac tandem in desperationem conijciat. 4to tandem permiſsio Dei, qui præterita hominis peccata plectere, futura præmia vult augere, latitantem ſuperbiam comprimere.

Remedia autem scrupulosorum hæc sunt 1mo: Obedientia cæca ſuo Directori, ac Confeſsario fideliter in omnibus præstanda. Hæc enim sola tanto malo mederi potest. 2do: Scrupulosus debet scrupulos explodere, non disputando, non rationes intrinsecas querendo, ſed rationibus extrinsecis utendo, quæ ab authoritate confeſsarii, aut Directoris desumuntur, aut quæ erui facile poſsunt ex principiis, & casibus ab iis porrectis, ac resolutis. 3tio: Scrupulosi, qui ita dispositi sunt, ut quidquid illis in mentem

tem venit id se commisiſse credunt, & dubitant an cogitationibus blasphemiæ, impuritatis consenserint, præsumere debent, ſe reipsa non consensiſse, si præsertim timorati sunt, & eò usquè à peccato abhorreant, ut illud rarò, vel nunquam deliberaté admittant. *4to* Scrupulosi qui circa præteritas confeſsiones anxii ſunt, ac timent, ne aliquid omiserint, ne absqè neceſsario dolore fuerint confeſsi, repetere Confeſsiones non debent, si post mediocrem diligentiam, defectum certò non depræhenderint.

Hæc tamen de eo scrupulosorum genere dicta ſunt, qui timoratæ ſunt conscientiæ. Sunt enim ſcrupulosi quidam vitæ laxioris, qui in omne malum facile proruunt, & paulò post, remorsibus conscientiæ exagitantur. His permitti debet ut confeſsiones præteritas repetant, nisi forte ex ista repetitione incurrant periculum de novo peccandi, atquè talibus prosunt ſcrupuli, quia ſuperbiam illorum evertunt, vivaces paſsionum stimulos hebetant, tandem frenum injiciunt, quò mens à peccato retrahitur.

ARTICULUS 2dus

De Conscientia dubia & probabili.

Quæres 1mo: Unde oritur conscientia dubia, & probabilis?

Resp: Conscientia dubia oritur ex dubio mentis, cum mens dubitat, an actio quæpiam humana licita sit, an illicita. Conscientia etiam probabilis profluit ex opinione probabili, cum mens verisimiliter opinatur hanc actionem eſse licitam, vel illicitam, ſed istud, ut certum non statuit.

Quæres 2do. Quid ergo est dubium, & quotuplex eſse potest?

Resp: Dubium est, cum mens inter duas contradictionis partes, *exg.* actionem hanc eſse licitam, vel illicitam, ita ſuſpensa est, ut non magis in unam, quam in alteram partem se inclinet. Hoc autem contingit, vel quia mens nullas habet rationes sivé pro hac, sivé pro illa parte, & est dubium *negativum*, vel quia habet pro utraque parte rationes æquales, & est dubium *positivum*. Inde est conscientia alia dubia *negativé*, alia dubia *positivé*. Sed dubium præcipue duplex est, aliud *juris*, aliud *facti*. Dubium *juris* est illud, quô quis dubitat de jure, utrum

extet

extet lex quæ actionem aliquam prohibet, vel præcipit. Dubium etiam juris est, cum quis certus est existere legem, dubitat an in his circumstantiis illa ligatur. Ille etiam qui dubitat an ad hæc vel illa facienda, ordinanda, legitimam habeat potestatem, dubio juris laborat. Dubium *facti* est illud, quô quis certus legem existere, dubitat de facto, quod lex respicit, ut cum quis dubitat, an votum emiserit, an emissum impleverit.

In dubio pars illa, quæ à peccato removet, & illud declinat *tutior* dicitur, quæ peccato approximat, atque illius periculo hominem exponit, *minus tuta* appellatur.

Quæres 3tio: Quid sit opinio, & quotuplex?

Resp: Opinio, *est mentis persvasio*, quâ propter rationes verisimiles judicat aliquid eſse licitum vel illicitum. Opinio, opinioni comparata, alia est *probabilior*, alia *minus probabilis*. Opinio *probabilior* est illa, quæ verisimiliores habet rationes, & graviora fundamenta, ac motiva, propter quæ censet hoc vel illud eſse licitum vel illicitum. *Minus probabilis* ea dicitur, quæ non tam gravia habet fundamenta, ac motiva, atquè rationes quibus ipsa innititur, nequé adeò apparent eſse verisimiles. Opinio itaquè *probabili* semper habere debet motivum grave, cui mens innixa, prudenter judicat hoc vel illud eſse licitum, aut illicitum, ſed tamen istiusmodi motivum, licet in se grave, absoluté potest fallere, quare opinio veré probabilis, non parit quidem illam absolutam certitudinem quâ fieri nequit, ut falsum ſubsit & aliter res sit, quam appræhenditur, parit tamen certitudinem moralem, quæ omnem rationabilem erroris excludit formidinem. Opinio probabilis, alia est ab *intrinseco* probabilis, alia *ab extrinseco*. Probabilis est ab *intrinseco*, cujus momenta, & rationes desumuntur ex ipsa natura rei. Probabilis ab *extrinseco*, cujus probabilitas fundatur in authoritate Doctorum, ac Scriptorum peritiorum.

Opinio alia est adhuc *tuta*, alia *non tuta*, *Tuta* opinio illa est, quæ removet à peccato. *Non tuta*, quæ hominem exponit periculo peccandi. Quæ autem opinio magis removet hominem à peccato, & illius periculum plus excludit, illa *tutior* dicitur; quæ minus hominem removet à peccato, ac minus illius excludit periculum, *minus tuta* vocitatur. Hinc opinio tuta et probabilis, tutior, & probabilior multum à se differunt: quia enim tutioritas opinionis desumitur ex distantia ejus à peccato, quia scilicet à periculo illius hominem removet, probabi-

litas

litas verò ex veritatis apparentia, & illius approximatione: fieri nonnunquam potest, ut opinio minus probabilis sit tutior, quia in illa nulla apparet peccati species, & opinio probabilior sit minus tuta, quia in ea aliqua peccati species apparere aliquando potest.

Quæres 4to: Quid faciendum est in dubio occurrenti circa licitatem, vel illicitatem actûs?

Resp: Quando occurrit dubium positivum sivé juris, sivé facti de licitate vel illicitate actûs, tunc pars tutior omnino eligenda est. Enimveró ût inquit Apostolus ad Romanos cap: 14. *quod non est ex fide pecatum est*: igitur ùt quis rectè agat, & à peccato immunis sit, necefsè est, ut certus moraliter sit, se bene agere, ac proindè excludatur rationabilis peccati formido. Unde monet Ecclesiasticus Cap: 37. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Porrò qui positivè dubitat sivé ex ratione juris, sivé ex ratione facti de licitate vel illicitate actûs, quia æqualia, aut penè æqualia habet momenta hunc actum efse prohibitum vel permifsum, efse peccatum, vel à peccato immunem, non potest efse moraliter certus hunc actum efse licitum, & à lege permifsum, nequit prudentem habere persvasionem se bene & recté agere, imó necefsarió formidare debet peccatum. Ergò partem eligere debet tutiorem. Certé Scripturæ Sacræ præcipiunt ut homo quasi à facie colubri fugiat peccatum, illius ergò periculum modis omnibus evitare tenetur, quia scriptum est Eccles: cap: 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Sed qui fciens & volens agit id, quod prudenter dubitat an peccatum sit vel non, quia æqualiter persvasus, ac convictus est, illud efse vel non efse peccatum, sciens, & volens quærit, & vult peccatum, non veró à facie eius fugit, quemadmodum oportet, illius periculo apertifsimé se exponit. Ergô pefsime sibi consulit, & peccat. Quare ad declinandum peccati periculum, necessé omninò est, ut partem sequatur tutiorem. Hoc & Juris regula docet. *In dubiis semitam debemus eligeré tutiorem* libro 5. Decret: titulo 12. cap: 12. & alia: *In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Libro 1. Decret: tit: 1. cap: 3. Sed & Ethnici solo lumine naturali id noverant, sic enim Cicero libro 5. de officiis inquit: *Bene præcipiunt qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit an iniquum.*

Quæres 5to: Quodsi dubium sit negativum de licitate

tate, vel illicitate actus, quid tunc agendum est?

Resp: Quando occurit dubium solum negativum, sivé juris, sivé facti, quia scilicet nullæ occurrunt rationes, extare, vel non extare legem prohibentem, aut præcipientem, nulla adsunt motiva judicandi hanc actionem eſse licitam, vel illicitam, tunc *1mo*: pars tutior eligenda est, quæ removet à peccato, & illa sequenda, ac propterea ab agendo abstinendum. Quia & in negativo etiam dubio, quamdiu perseverat, nemo est moraliter certus se bene ac recté agere, nullas enim habet rationes hunc actum, quem præmeditatur eſse licitum, & à lege permiſsum. Porrò quisquis agit, cum non est moraliter certus, se bene ac recté agere, imprudenter agit, periculo peccati evidenter se exponit, ergo peccat. Itaqué pars tutior eligenda, ac sequenda est, atqué ab agendo omnino tunc abstinendum est. *2do:* quisqué tenetur debitam, atqué pro rei gravitate convenientem adhibere diligentiam, ad inveniendam, & dignoscendam veritatem, sedulô inquirendo utrùm existat lex aliqua hunc actum prohibens, vel præcipiens, an actio ipsa ex se licita sit & honesta, an turpis & illicita. Inspicienda quoqué est praxis timoratorum, ac proborum, doctiores tandem, ac peritiores consulendi sunt. *3tio:* quodsi his omnibus tentatis perseveret istiusmodi dubium negativum, sivé iuris, sivé facti, excutiendum est, & agendum id, in quo nulla ratio mali detegitur. Potest namqué homo prudenter & tutó id agere, cum nullas habet rationes illud non agendi, aut saltem tam leves, ut illas tamquam inanes scrupulos abiicere poſsit, & debeat. Sed qui negativé de aliqua actione dubitat, utrum licita sit, an illicita, adhibitò etiam seriô totius rei examine, atqué debita diligentia veritatem dignoscendo, nullas habet rationes non agendi, atqué ab illa actióne abstinendi, vel si quæ occurant non agendi ratiunculæ tam leves sunt, ut meritó sperni debeant, & poſsint. Ergo his, tanquam inanibus scrupulis contemptis, agere potest, & circa istiusmodi actionem suam, tranquillus eſse debet. Et hic servire etiam potest isthæc Juris regula. *Indubio melior est conditio poſsidentis.* Cum enim homo gaudeat libertate agendi vel non agendi, faciendi hoc vel illud, statim ergo ac animadvertit, rebus ut decet ponderatis, nullam eſse rationem, quæ persvadeat actionem hanc, quam meditatur, eſse malam, ac illicitam, eam facere potest.

Sed præterea in dubio negativo prudenter se quilibet

bet resolvere potest per hanc etiam alteram Juris regulam: *Pro eo standum est, pro quo stat præsumptio;* dummodo status sui officia bene noverit, & competentem poſsideat morum doctrinam, tunc enim ut iterum alia loquitur Juris regula: *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel, quod plerumque fieri consvevit:* indé namqué prudens desumitur præsumptio, quâ se quispiam in dubio negativo resolvere potest. Verum illi qui statui & officio quod gerunt, competentem doctrinam ac scientiam non habent, quiqué positivè dubitare nesciunt, & omnia feré ignorantes, in negativo, circa graviora quæqué iuris & facti, dubiò continûo versantur, illi imprimis, ab executione officii, quod ignari gerunt, ab exercendis statûs sui functionibus abstinere debent, & interea congruam doctrinam, competentemquè scientiam acquirere tenentur.

Quæres 6to: Facto examine, ponderatisqué rebus, capto etiam ab aliis consilio, lectis scrutatisqué libris, si duæ occurrant opiniones, quarum una, censet actionem eſse licitam, alia illicitam, quæ ex illis eligenda, ac sequenda est?

Resp: Ex duabus opinionibus æqué probabilibus quarum altera censet actionem eſse licitam, altera verò putat eſse illicitam, illa teneri debet, quæ tutior est, & removet à peccato. In tali siquidem duarum opinionum æquè probabilium concursu, positivum est dubium de licitate & illicitate actûs. Porrò in dubio positivo pars tutior semper est tenenda, & opinio quæ removet à peccato & censet actionem eſse illicitam, tutior est præ illa, quæ putat eſse licitam, sicqué hominem exponit periculo peccandi. Ergó hac postposita, illa eligenda, ac sequenda est.

Quodsi verò istiusmodi contrariæ opiniones de licitate, vel illicitate actûs, non sint æquè probabiles, ſed illa quæ actum vetat, censetquè eſse illicitum, sit altera, quæ actum arbitratur eſse licitum, probabilior, magis adhuc illa eligenda ac ſequenda est, reiecta contraria. In tali namque opinionum concursu, quarum una est probabilior, altera minus probabilis, hæc totam ſuam perdit probabilitatem, rationes, ac momenta ipsius, si quæ habuit, per contrariam probabiliorem enervantur, ſola ergo illa manet verè probabilis, quæ in concursu cum contraria, probabilior eſse merito cenſebatur. Hæc igitur ſola eligenda & ſequenda est. Enimverò qui in tali contrariarum opinionum concurſu ſequeretur minus probabilem,

lem, relicta probabiliore, imprudentiſsimæ ageret; quia ageret sine ulla ratione, omnes siquidem rationes ac momenta, quæ pro opinione probabili pugnare videbantur, in concursu opinionis probabilioris corruunt, ergo qui illam ſequitur, sine ratione agit; ſed & contra rationem agit, quia ſola opinio probabilior tunc habet pro ſua parte rationes, ac momenta, ergo qui hanc rejecit, & ei oppositam ſequitur, contra rationem agit, ac propterea imprudentiſsimè agit, atquè sciens & volens eligit peccatum, quia eligit, & arripit id, quod rationes probabiliores ostendunt eſse illicitum ac prohibitum, cum tunc nulla jam affulgeat prudens ratio quæ comprobet illud eſse licitum, & minimè prohibitum.

Quæres 7mo: Si duæ concurrant opiniones, una minus probabilis, quæ censet actum eſse illicitum, altera quæ arbitratur illum eſse licitum probabilior, quæ tunc erit sequenda?

Resp: In tali opinionum concursu licet sequi opinionem, quæ censet actum eſse licitum, postposita contraria, dummodo illa sit verè hac probabilior. Enimverò ut liceat sequi opinionem probabiliorem, quæ judicat actum eſse licitum, postposita opinione minus probabili, quæ putat eſse illicitum, sufficit quod tunc moralis adsit certitudo actum eſse bonum, ac licitum, atquè absit prudens formido ne fortè actus ille malus, ac illicitus sit. Porrò qui sequitur opinionem probabiliorem, quæ censet actum eſse licitum, moralem hàbet certitudinem illum eſse bonum ac licitum, graves siquidem rationes, in quibus opinio probabilior fundatur, id evincunt. Deest quoquè, & deeſse debet prudens formido, ne fortè illa actio mala sit & illicita, quia rationes, & momenta opinionis probabilis, quæ nituntur persvadere illam eſse reipsa malam, ac illicitam, prorsus corruunt, ac evanescunt, unde veluti inanes scrupuli contemni poſsunt & debent. Tuto igitur ei opposita, & probabilior, quæ actum censet eſse bonum ac licitum, eligi & sequi potest. Unde S. Thomas Doctor. 2da 2dæ quæst: 70. Art: 2. sic inquit. *In actibus humanis super quibus constituuntur judicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, & ideo ſufficit certitudo probabilis.* Quodsi non liceret sequi opinionem probabiliorem, quæ actum licitum eſse censet, jam ad rectè agendum non ſufficeret probabilis de bonitate actûs certitudo, ſed omnimoda, & quodammodò inerrabilis requireretur, quæ quia vix in humanis haberi potest, ad rectè agendum necеſsaria

eſse

eſse nequit. Unde etiam Alexander 8. anno 1690. damnavit hanc propositionem: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles, probabiliſsimam.*

Dices: In moralibus ſemper neceſse est id sequi, quod tutius est. Porrò opinio quæ censet actum eſse illicitum, licetsi sit minus probabilis, est tutior. Ergo sequi illam neceſse est.

Resp: Ubi occurrit dubium positivum, de licitate, vel illicitate actus, quia æquales ex utraquè parte militant rationes, æquè probabiles occurrunt opiniones, tunc omnino eligendum est id, quod est tutius, quia tunc deest moralis certitudo hunc actum eſse honestum, quam una probabilis opinio licitum, alia æquè probabilis illicitum eſse censet. Sed quando adest opinio, decernens eſse actionem bonam, probabilior opposita, quæ judicat ipsam eſse illicitam, jam habetur moralis certitudo de honestate actûs, & opinio illa quæ æidem actionì aliquam affigit maculam, prorsus in nihilum abit. Non ergo tunc incumbit necessitas ſequendi id quod tutius est, quoniam & id quod agitur, tutum est, cum moraliter certum sit, illud bonum atquè licitum eſse.

At inquies. Opinio tutior, licet minus probabilis, habet motivum grave. Ergo posthaberi nequit.

Resp: Ita est. Si istiusmodi opinio in se absoluté, & ſeorsive spectetur, grave habet fundamentum, & cum sit etiam tuta, quando ei opposita, & probabilior ipsa non occurrit, ſequenda est. Sed quando cum ea concurrit opposita, & multum probabilior, ſpectatur tunc ipsa comparate ad oppositam longé probabiliorem, & tunc motivum ejus ruit, per motiva oppositæ opinionis, quæ graviora ſunt, enervantur, ac proinde ita ſe illa habet ac si nullum motivum haberet. Ergo meritò non attenditur.

Quæres 8vo: *Ut opinio minus tuta ſed probabilior, in concursu opinionis oppositæ probabilis & tutioris teneri, & sequi poſsit, quantum debet eſse major ipsius probabilitas?*

Resp: Debet eſse notabiliter & insigniter major ipsius probabilitas. Si enim probabilitas illius leviter tantummodo oppositam ſuperat, opinio tutior, licetsi parum minus probabilis, ſequenda erit. In moralibus namquè, ut vulgatum fert adagium. *Parum pro nihilo reputatur.* Ergo si parvus sit ille probabilitatis exceſsus, quasi nihilum ſpectandus est, & opinio tutior ſequenda. Tum enim duæ illæ contrariæ opiniones quasi æqualiter probabiles ſunt, in concursu verò duarum opinionum æquè probabilium,

tutior omnino ſequenda est. Igitur ut in tali opinionum concursu sequi poſsit opinio probabilior & minus tuta, neceſsè ut contrariam probabilem & tutiorem multum & insigniter ſua ſuperet probabilitate adeò, quatenus ſua morali certitudine in tuto hominem ponat, ipſumquè ſecurum reddat.

Quæres 9no. Quid si opinio probabilis seorsivè occurrat, nulla opposita cum ea concurrente?

Resp: Si opinio probabilis, quæ unicè occurrit, nulla alia ipsi contrariante, obligationem quamdam ex lege provenientem indicat, ſequenda omnino est, quia & probabilis, & tuta est, præceptum indicat, quod propterea impleri debet, maximè cum nullæ occurrant rationes, quibus homo á lege eximatur, quia illa opinio probabilis stans pro lege, unice occurrit. Si verò opinio probabilis, quæ unicè occurrit, ſit minus tuta, dummodo tamen ſit bene fundata, gravibusquè innixa rationibus ac momentis, cum nulla contraria ipſi occurrit opinio, nullæ in contrarium obversentur rationes, sequi illa ac teneri poteſt. Quia tunc formatur moraliter certum judicium de honestate ac bonitate actus, nulla occurrit de hoc dubitatio, nulla prudens peccati formido. Hoc vero ſufficit, ac ſufficere debet homini ut rectè agere cenſeatur. Certè ut docet S. Antoninus Part. 2. tit: 3. cap. 10. in moralibus certitudo non consurgit ex evidentia, ſed ex probabilibus. Jam verò ad rectè agendum sufficit certitudo moralis. Ergo dum adest opinio probabilis, licet minus tuta, sed bene fundata, ac gravibus suffulta rationibus, eam sequi licitum est.

Dices: Qualiscunquè sit opinio probabilis, eo ipso quia tantum probabilis est, formidinem non excludit. Ergo si non est tuta, non licebit illam sequi.

Resp: Opinio probabilis, & bene fundata, excludit formidinem prudentem, ac rationabilem, & hoc satis est ut homo rectè agere censeatur, quodsi aliqua supersit adhuc anxietas, hæc quoniam ratione, ac fundamento destituitur, contemnenda est, atquè bene homo securus, ac paccatus esse debet, ex opinione siquidem probabili, & bene fundata, quæ tunc unice occurrit, formare sibi potest judicium practicè certum & non fluctuans de bonitate, ac honestate actus.

TRACTATUS
DE
LEGIBUS
CAPUT PRIMUM
De notione & effectibus legis, atque variis illius speciebus.

ARTICULUS 1mus.
De notione & effectibus Legis

Quæres 1mo. Quid ſit Lex?

Resp: Lex eſt præceptum commune, juſtum, & stabile ad bonum publicum, ab eo qui curam communitatis habet, conſtitutum, & promulgatum. Differt itaquè lex à præcepto, quo obligatio quædam à Superiore uni, aut alteri ex subditis imponitur, lex autem totam respicit communitatem: ut enim dicitur Cap. 8. ff. de legibus. *Jura non in singulas personas ſed generaliter constituuntur.* Ad hoc tamen ut præceptum Superioris veram legis rationem habeat, non est neceſse ut omnibus omnino communitatis partibus, cujuscunquè conditionis sint, imponatur, ſunt enim ejusdem communitatis leges, aliæ pro nobilibus, aliæ pro plebeis constitutæ. Differt etiam lex à consilio, quia consilium svadet quidpiam, ſed obligationem non imponit, lex verò per se obligat. Debet verò lex eſse præceptum Superioris stabile. Lex enim omnis debet eſse perpetua, sive eo sensu, quod nunquam revocanda sit, sive eo sensu quod durare debeat, donec circumstantiarum mutatio exigat illam abrogari.

Quæres 2do, Quæ sint præcipuæ legis conditiones?

Resp: Præcipuæ legis conditiones tres ſunt. *1mo*: Debet eſse justa, quia lex nequit eſse vinculum iniquitatis:

ut autem lex censeatur eſse justa, neceſse, est ut bono communi prosit, ut constituat proportionem in onerum distributione, adeo, ut ii minus graventur, qui minus habent facultatis, tandem, ut iis ſolum imponatur, qui legislatori ſubjacent. Ubi hæc concurrunt, ibi neceſsario reperitur justitia.

Sed hic quatuor ſunt annotanda. *1mo*: Legem non ideo eſse injustam, quia mala quædam permittit, quædam enim ſunt mala, quæ sine incommodo graviori impediri nequeunt. *2do*: Legem non ideo justam dici, quia solos justitiæ præcipit actus, ſed quia nihil præcipit, nisi quod licito modo ad bonum commune ordinetur, *3tio*: cavendum ne lex facile iniquitatis arguatur, quia quæ privatis videntur eſse duriora, gravissimis quandoque de causis constituta ſunt. *4to*: in dubio de justitia legis, lex servari debet, præsumptio namquè prudens stat pro legislatore, ei igitur debita obedientia exhibenda est.

2do: Ad legem requisita conditio est, ut ad bonum commune ordinetur: lex enim, ut dicitur I. 2. dist. 4: *nullo privato commodo, sed pro communi utilitate conscripta esse debet.* Et verò legislatores nihil habent potestatis, nisi quod ipsis datum fuerit desuper. Porro Deus ſuam Principibus potestatem, non conceſsit, ut suis privatis serviant commodis, ſed ut ſubditorum, quos pro filiis habere debent, commoda procurare enitantur.

3tio: Ut lex ab eo constituatur, qui curam habet communitatis, hoc est ab illo, qui habet potestatem jurisdictionis, quæ poſsit coercere refractarios, transgressores punire, quæ non privatis in privatos, ſed vel communitati soli, vel iis, qui curam ejus habent, competit.

Quæres 3tio: Si lex evaserit superflua, an desinit obligare?

Resp: Si lex fiat superflua & inutilis respectu totius communitatis, jam amplius non obligat. Hac de causa lex ab Apostolis sancita, ut Gentiles recens ad fidem conversi abstinerent à ſuffocato, & sangvine, ne Judæi qui ab esu sangvinis abhorrebant, ab ineunda cum iisdem Gentilibus communione removerentur, jam pridem ceſsavit, quia inutilis facta est. Verum si lex, quæ communitati utilis eſse perseverat, quibusdam tantum privatis superflua fiat, hæc ab iis etiam, quibus inutilis est, servanda erit. Quod si lex respectu alicujus privati, non superflua solum, ſed etiam nociva evaserit, jam executioni man-

danda

danda non est, tunc attamen, ut in omnibus debitus ſervetur ordo, petenda erit à Superiore dispensatio.

Quæres 4to. Promulgatio utrum omnino ad legem requiratur?

Resp: Ut lex actu, & de facto obliget, promulgatio est omnino neceſsaria. Lex enim ut actu & de facto obliget, debet innotescere iis, pro quibus lata est. Jam verò nisi promulgetur, innotescere nequit, per solam siquidem promulgationem intimatur illis, qui eam observare tenentur. Hinc & Christus Dominus Apostolos suos in universum miserat mundum, ut docerent omnes gentes, & legem ab ipso constitutam omnibus intimarent, *docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Math: Cap. 28.

Quæres 5to. Qui sunt effectus legis?

Resp: Effectus legis sunt sequentes. Præcipit, prohibet, ac permittit, punit, remuneratur. Vel enim actus qui sub legem cadunt, ſunt boni, vel mali, vel indifferentes. Boni, si qui neceſsarii ſunt præcipiuntur. Mali, vetantur. Indifferentes permittuntur. Hinc leges præcipue in affirmativas, negativas, atquè permissivas dividuntur. Leges *affirmativæ* illæ ſunt quæ aliquid fieri imperant. *Negativæ*, quæ quidpiam fieri prohibent. *Permiſsivæ* quæ nihil vetant, nihil jubent, ſed hoc vel illud fieri concedunt ac permittunt. Id verò per quod legislator ad legum ſuarum obſervationem inducit, est timor pænæ, & mercedis repromiſsio. Quare L. 8. ff. de legibus dicitur: *Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire.*

Quæres 6to. An lex omnis neceſsario obliget?

Resp: Lex omnis neceſsario obligat. Quia omnis lex est mandatum superioris potestatis, cui ſubditi parere, & obtemperare tenentur. Quare Apostolus Paulus ad Rom: Cap. 13. inquit. *Omnis anima potestatibus ſublimioribus subdita sit.* Omnis ergo lex obligationem parit ut observetur ab iis quibus constituta est. Hinc S. Hieronymus libro 1. contra Jovinianum sic inquit: *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est, ubi præceptum, neceſsitas est servientis.* Et hæc obligatio, quam etiam leges humanæ pariunt, à Deo est, quia scilicet lex divina naturalis, & positiva mandat, ut gratis Superiorum præceptis obtemperemus. Hinc & Paulus postquam dixerat omnem animam potestatibus sublimioribus ſubditam eſse debere, ſubjungit; *Non est enim potestas nisi à Deo.* Porro non solum lex præcipiens ac prohibens parit obligationem, ſed

&

& permittens, quia omnes obligat, omnibusque injungit, ne quis in eo, quod lex permittit, impediatur.

Quæres 7mo. Utrum ut lex impleatur, requiritur intentio illi satisfaciendi?

Resp: Ut satisfiat legi quidpiam imperanti, non requiritur intentio exprefsa eidem satisfaciendi, sed fufficit ponere actum lege præceptum, quia lex nihil plus exigit, nisi ut actus ab ea imperatus fiat. Unde qui ignorat legem, & rem præceptam facit, legem adimplet, quare qui nesciens, vel non advertens diém efse festivam, ex laudabili consvetudine, aut particulari sua devotione, Mifsam audit, postquam resciverit efse festum, non tenetur aliud audire Sacrum. Si quis verò sciens legem, & faciens opus lege præceptum, exprefse nolit tunc legi satisfacere, quia alio tempore, & per alium actum constituit illam adimplere, aut etiam absolute contrariam legi habet voluntatem, neque illi sese vult fubmittere, ut eam adimpleat, non satisfacit legi. Enimverò ut commune fert Theologorum adagium: *Actus hominis ultra intentionem ejus non operantur*: magis autem contra exprefsam ipsius voluntatem nihil efficere pofsunt. Cum itaquè in præsenti casu, ponens actum lege præceptum, exprefse nolit legi satisfacere, ergo reipsa illi non satisfacit.

Quæres 8vo: Utrum ad satisfaciendum legi debeat intendi finis legis?

Resp: Si operi, lege præscripto, finis quidam particularis à lege sit præconstitutus, *exg.* jejunium, orationes indictæ funt ad impetrandam pacem, avertendam calamitatem, tunc ut satisfiat legi, necefse est, ut opus præscriptum fiat fine à lege intento, alias lex non impletur, quia non id totum fit, quod lex jubet, tunc namque lex non solum opus jubet, fed etiam præscribit ut tali fine, talique intentione fiat, ac propterea, finis, & intentio fub legem cadunt, utrumque itaquè impleri debet, ut legi plene, & totaliter satisfiat.

Quodsi verò per legem nullus in particulari, operi præscripto præfixus sit finis, tunc satisfacit legi quisquis opus præceptum exequitur, quacunque id faciat, dummodo recta, intentione, quia tunc totum id facit, quod lex præcipit.

ARTI-

ARTICULUS 2dus

De variis legis speciebus.

Quæres 1mo: Quot sunt legis species?

Resp: Duæ sunt præcipuæ legis species, *Divina* scilicet, & *humana*. Divina dividitur in *naturalem & positivam*. Humana in *civilem*, & *Ecclesiasticam*.

Quæres 2do: Quid sit lex naturalis?

Resp: Est lex â Deo homini impressa, & cordibus nostris inscripta, præcipiens ea omnia, quæ ad decenter & naturæ rationali conformiter vivendum necessaria sunt, & prohibens illa omnia, quæ naturam rationalem dedecent, ipsiqué contraria, atqué adversa sunt. Quare lex naturalis præcipit ea, quæ ex se bona, honesta, hominiqué ad recte vivendum omnino necessaria sunt; prohibet veró illa, quæ ex natura sua mala ac inhonesta sunt, ipsi naturæ hominis adversa, ac repugnantia. Omnia itaqué peccata quæ sunt contra humanam naturam, lege naturali prohibita sunt, et hæc omnia gravia, ac mortalia sunt. Unde S. Paulus Epist: ad Romanos Cap: 1. postquam varia contra naturalem legem â Gentilibus patrata enumeravit peccata, immunditiæ, sodomiæ, fornicationis, invidiæ, avaritiæ, doli, malignitatis, susurrationis, subiungit: *qui talia agunt, digni sunt morte.*

Quæres 3tio: Quæ constituunt legem naturalem?

Resp: Lex naturalis coalescit ex principiis practicis, quibus homo ad recté, justéqué vivendum, & agendum, dirigitur, & quibus naturali ratione bonum â malo, honestum â turpi discernit, ac distingvit. His principiis lex naturalis constituitur. Porrô duplicia sunt istiusmodi principia, alia *primaria*, alia *secundaria*. Principia legis naturalis *primaria* illa dicuntur, quæ ita clara ac perspecta sunt, ut â quolibet attendente ac considerante intelligantur. Hæc principia generalissimas constituunt morum regulas, ex quibus innumere practicæ deducuntur conclusiones exg. *Bonum faciendum, malum fugiendum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, ex quibus manifestissima consecutione infertur, ergò non est furandum, non occidendum. Principia legis naturalis *secundaria* illa sunt, quæ ex primariis immediate per unam aut alteram illationem deducuntur, & ex ipsis remotiores conclusiones humanos mores spectantes inferuntur. Sic ex

illo

illo primo juris naturalis principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, immediata illatione, hæc secundaria subinferuntur. *Ergo non est furandum*, *non adulterandum*, & ex his aliæ remotiores deducuntur conclusiones, quæ aliquando obstrusæ, & multum involutæ efse solent.

Quœres 4to: Principia legis naturalis pofsuntne invincibiliter ignorari?

Resp: Principia legis naturalis tum primaria, tum & secundaria, quæ immediate, & clare ex primariis deducuntur, invincibiliter ignorari nequeunt. Quia & facili diligentia cogności pofsunt, cum per se nota ac manifesta sint, natura ipsa humana, atqué conscientia uniuscuiusqué, in iis quæ ipsis contraria sunt, ita quemlibet pulsat, ut non permittat illa inculpate ignorari, & non adverti: quare Apostolus ad Romanos cap: 1. affirmat, gentiles inexcusabiles fuifse, qui per immunditiam contumeliis corpora sua in semetipsis afficiebant, masculi in masculos turpitudinem exercebant, repleti omni malitia, invidia, contentione, malignitate, detractores, contumeliosi, huius verò hanc cap: 2do afsignat rationem, causamqué: *quia ipsi sibi sunt lex, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Quare prædicta legis naturalis principia, ne ipsa quidem immani impietate in iis, qui vitam per omnia scelera solutam agunt, deleri, aut extingvi pofsunt, cum vitia quæ ipsi perpetrant, in aliis detestentur, & virtutem quam non colunt, collaudent. Undè S. Augustinus libro 2. Confefs: cap: 4. sic inquit: *Lex tua Domine scripta est in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur.* Quantum verò attinet conclusiones remotas, quæ ex principiis secundariis, per multiplices & difficiles illationes deducuntur, & in his ignorantia inculpabilis dari potest. Quia hæc sæpe valde obstrusa, & cognitu difficilia sunt, hinc in illis frequenter Theologi etiam perspicacifsimi, ac piifsimi, multum inter se difsident, sibiqué adversantur, ex quo necefse est, aliquos in hoc, vel illo puncto à veritate aberrare, sed illorum error inculpabilis est.

Quœres 5to. Utrum lex naturalis obligat cum gravi damno?

Resp: Lex naturalis cum gravifsimo etiam nocumento, ac ipsius vitæ periculo obligat. Quia lex naturalis non præcipit, nequé vetat, nisi id cujus commifsio, vel omifsio dedecet naturam humanam, estquê intrinsece malum. Por-

Porrò etiam ad vitandam mortem, aut quodvis gravè supplicium, non licet aliquid facere, quod intrinsece malum est. Nam quod intrinsece, & ex natura sua malum est, tale est in quovis periculo, & quovis occurente malo.

Quæres 6to: Utrum præter legem naturalem Deus aliam positivam hominibus constituerit?

Resp: Præter legem naturalem quam Deus cordibus nostris inscripsit, aliam positivam legem hominibus constituit. Cum enim homines vitiis dediti, ac sceleribus immersi legis naturalis obliviscerentur, atqué eius dictamina quasi in se ſuffocarent, ipsius præscripta corrumpere & adulterare cæperant, his malis Deus occurrens, primum decem præceptis in duabus lapideis tabulis exaratis, legem naturalem renovavit, multaquæ alia per Moysen moralia, cæremonialia, atqué judicialia præcepta populo Jsraelitico tradidit. Tandem Jesus Christus Salvator noster, & totum jus naturæ in suo Evangelio explicuit, illustravit, et illa superaddidit, quæ ad æternam hominis felicitatem consequendam maximé conducunt, ac inserviunt. Igitur præter legem naturalem, aliam Deus positivam, tum in veteri, tum in novo Testamento hominibus constituit. Quare leges Divinæ positivæ aliæ sunt *Divino-naturales* cum lex naturalis jure Divino positivo renovata, & rursus constituta est, talia sunt omnia feré Decalogi præcepta, uno, quod tertium est, quadantenus excepto: aliæ *pure Divino positivæ*, quæ illa statuunt, quæ jure naturali nullatenus constituta sunt. Talis erat circumcisio in veteri Testamento, & Baptismus in novo constitutus.

Quæres 7mo: Quo differt lex Divina pure positiva à lege naturali?

Resp: Eo differt, quia lex naturalis, nihil præcipit, nihil prohibet, nisi quod honestas morum neceſsario postulat, ac proinde aut est intrinsece & ex natura bonum, aut etiam malum. Lex veró Divina pure positiva, illa prohibet, aut præcipit quorum positio, aut omiſsio, quamquam convenientiſsima sint, sunt tamen in se indifferentia, & ad illum aſsequendum finem, propter quem sunt à Deo constituta, non omnino neceſsaria, adeo ut alio modo, & alia re idem finis Deo sic ordinante, obtineri poſsit. Sic, alio quam circumcisionis signo populus Israeliticus, à cæteris Gentibus secerni potuit, & non omnino septimus, ſed & quintus hebdomadæ dies ſanctificari potuit. Quare leges naturales, etiam cum vitæ peri-

riculo obligant, & nunquam mutari, aut cefsare pofsunt, leges veró Divinæ pure positivé, neque obligant cum vitæ periculo, aut gravi damno, cefsare etiam, ac mutari Divina voluntate pofsunt. Sic tota lex à Deo per Moysen constituta cefsavit, & Sabbati observatio in Dominicam diem transposita est.

Quæres 8vo. In lege Divina potestne dari aliqua dispensatio?

Resp: In lege Divina nullus hominum dispensare potest. Namqué in lege Superioris, inferior dispensare nequit, nisi ad id ab ipso habuerit concefsam sibi potestatem. Porrò Deus supremus est omnium Dominus, omnis homo subditus illius est, nulli autem hominum Deus concefsit in lege sua dispensandi facultatem, ergo in lege Divina nullus hominum dispensare potest.

Dices: Romanus Pontifex & Episcopi, in votis & juramentis dispensant, quæ sunt juris Divini.

Resp: Votum & juramentum non obligant, cum ab illo remifsa fuerint cui facta funt, & tunc proprie non fit dispensatio, semper enim manet lex, quæ obligat ad fervanda vota, ac juramenta, nisi ab eo condonentur cui facta sunt. Porrò cum Romanus Pontifex, aut Episcopi, in votis aut juramentis dispensant, proprie in lege Divina non dispensant, sed veluti Dei in terris Vicarii, illius nomine, certis in casibus remittunt Deo facta sivè vota, sivè juramenta, obligationemqué iis contractam condonant, prudenter ac religiose præsumentes hanc efse illis in circumstantiis Divinam voluntatem, undé etiam in votis ac juramentis sine justifsimis, ac æquifsimis causis concefse dispensationes irritæ, ac prorsus nullæ sunt, quia illis Divina non suffragatur voluntas.

Quæres 9no. Quid sit lex humana, & quotuplex?

Resp: Lex humana est præceptum commune, justum, & stabile ab iis qui curam, vel Civilis, vel Ecclesiasticæ communitatis habent, promulgatum. Hinc aliæ sunt humanæ leges *Civiles*, aliæ *Ecclesiasticæ*. *Civiles* illæ sunt quæ à potestate, & in rebus Civilibus statuantur. *Ecclesiasticæ*, quæ à potestate, & in rebus Ecclesiasticis constituuntur.

Quæres 10mo. Quinam pofsunt ferre leges Ecclesiasticas?

Resp: Leges Ecclesiasticas ferre pofsunt *1mo.* Concilium Generale, & Romanus Pontifex pro tota Ecclesia. *2do*: Concilium Provincionale, pro tota Provincia. Episco-

scopus pro sua Diæcesi. *3tio:* Ii omnes qui jurisdictionem habent quasi Episcopalem, quales ſunt nonnulli Abbates, pro locis sibi ſubiectis.

Quæres xxmo. Utrum Romanorum Pontificum, ac Conciliorum generalium leges, ut de facto obligent, in singulis Provinciis debeant promulgari?

Resp: Romanorum Pontificum ac Conciliorum generalium leges, & statuta, ut de facto obligent, debent in singulis Provinciis promulgari. Namque siné promulgatione, leges, & statuta ſciri nequeunt, ac proinde obligare non poſsunt. Hinc multa statuta Concilii Tridentini in nonnullis Regionibus non tenent, & non observantur, quia in illis non sunt promulgata. Et verò regimen Ecclesiasticum debet eſse svavius regimine Civili, iuxta id Christi Lucæ cap: 22. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Cum itaqué leges etiam Civiles non ante obligant, nequé observantur, nisi prius in singulis Provinciis promulgentur, magis id affirmandum, atqué tenendum est de legibus, ac statutis sivé Conciliorum generalium, sivé Romanorum Pontificum.

Dices: Ergò decreta fidem ſpectantia à Conciliis generalibus, vel Romanis Pontificibus constituta, poſsunt non admitti in iis locis, in quibus non sunt promulgata.

Resp: Quæ fidei sunt, hæc in Divina revelatione, quæ ubique nota est, fundantur, & nonnisi ab Ecclesia declarantur, non verò de novo statuuntur, ac propterea statim ac quacunqué constiterit via, hoc, vel illud fidei dogma sivé per Concilium generale, sivé per Romanum Pontificem declaratum fuiſse, illud statim omnes recipere, ac profiteri tenentur. Jam vero leges, & statuta Ecclesiastica disciplinam spectantia, & de novo constituuntur, & pro locorum circumstantiis, populorum moribus, regionum consvetudinibus, diversa ordinantur, tamdiu ergo incertum manet, an Ecclesia velit pro his etiam Provinciis ea valere, quamdiu in iis publicata, ac promulgata non fuerint. Ergo antequam promulgentur, non obligant.

Quæres x2mo: Quæ sit in condendis legibus Capituli Sede vacante authoritas?

Resp: Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, Sede vacante, ferre potest statuta, tamdiu duratura, donec ab Epiſcopo revocentur. Quia Capitulum succedit in jurisdictionem Episcopi. Ergo id omne potest, quod Episcopus. Porrò condere leges, est de Episcopi potestate. Id proindé

po-

potest etiam Capitulum dum Sedes Episcopalis vacât.

Quæres 13tio. Leges civiles quis statuere potest?

Resp: Leges Civiles ij omnes statuere poſsunt, qui curam gerunt civilium communitatum, atqué in illis ſupremam obtinent potestatem. Supremæ siquidem authoritati, gubernandiqué jurisdictioni, legislativa potestas ſemper conjuncta, & annexa est; qua Communitatum Rectores poſsint ea statuere, atqué ordinare, quæ ad illarum bonum, commodumqué inſervire poſsunt.

Porrò ut leges civiles obligent, etiam promulgari debent, & quidem ex forma, ac modo, qui vel statuto præscriptus, vel consvetudine introductus est.

Quæres 14to: Quibus, & de qualibus rebus leges constitui poſsunt?

Resp: Leges à nemine constitui poſsunt, nisi sibi subditis, ac de rebus suo regimini, atqué potestati subiectis. Nemo siquidem potestatem habet in non sibi ſubditos, aut circa res suo regimini minimé ſubiectas. Præclare id explicat S. Thomas Doctor in 2. dist: 44. quæst: 2. Art: 4. ubi sic inquit: *Potestas spiritualis, & sæcularis, utraqué deducitur â potestate Divina, & ideo in tantum sæcularis potestas est sub potestate Spirituali, in quantum est ei â Deo supposita, scilicet in his quæ pertinent ad salutem animæ. Et ideo in his magis obediendum est potestati ſpirituali, quam sæculari. In his autem, quæ ad bonum Civile pertinent, est magis obediendum potestati sæculari, quam ſpirituali, ſecundum illud Math: 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Hinc Superiores, & Præpositi Ecclesiastici non poſsunt ferre leges, nisi de rebus Spiritualibus & ad regimen Ecclesiasticum pertinentibus. Sæculares verò nisi de rebus temporalibus, & ad civilem gubernationem ſpectantibus, disponere valent. Quia nec Principibus conceſsa est à Christo potestas Ecclesiam moderandi, nec Ecclesiæ Pastoribus datum est regna gubernandi.

Quæres 15to. Utrum lex humana indiget subditorum acceptatione?

Resp: Lex humana à ſuprema potestate constituta, quæ ſecundum regionum statuta sivé in uno, sivé in multis residet, ut obliget non indiget populi, ſubditorumqué acceptatione. Enimverò suprema communitatis potestas, authoritatem omnem habet præcipiendi, obligandi, ſubditorum veró onus officiumqué est obtemperandi, & juſsa adimplendi. Ut ergo lex obliget, non est neceſsaria populi

puli ſubditorumqué acceptatio. Certè si lex à ſuprema potestate constituta ut de facto obliget, populi acceptatione indigeret, iam lex non cenſeretur à ſuprema eſse potestate, nequé ab ea vim obligandi haberet, ſed tota à populi conſensu, ipsiusqué acceptatione penderet, sicqué & ipsa ſuprema potestas manca, ac inutilis foret, totumqué regimen peſsum iret ac everteretur, quia nulla in imperante præcipiendi eſset potestas, nulla in ſubditis obediendi neceſsitas foret. Merito itaqué ab Alexandro 7. damnata fuit ista propositio: *Populus non peccat, etiamsi absqué ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

Hinc peccant, qui sine justa, & gravi causa legi promulgatæ resistunt, quia legitimæ resistunt potestati. Non peccarent tamen *1mo*: Si legis executionem different, quod vellent Principi repræsentare incommoda ex lege secutura. *2do:* Si lex à majori communitatis parte non observetur, & legislator si sciens taceat, neque transgressores, cum facile potest, coerceat, ac puniat, tunc enim consentire videtur, ut lex non observetur. *3tio*: Si inscio etiam Principe, lex à majori & saniori communitatis parte non servetur, tunc enim post legitimam præscriptionem, lex ceſsat. *4to*: Si, quia lex a majori communitatis parte non servatur, nec à minori sine gravi incommodo observari potest. Leges enim humanæ cum gravi incommodo non obligant.

CAPUT SECUNDUM

De objecto, subjecto, obligatione legum humanarum, ac varia illarum divisione.

ARTICULUS 1mus.

De objecto, & subjecto legum humanarum.

Quæres 1mo. Quid per leges humanas statui poſsit?

Resp: Per leges humanas nihil quidpiam statui potest, quod sit contrarium legi divinæ sive naturali, sive positivæ, Nam potestas humana est ſubordinata, atquè ſub-

ſubjecta potestati ac voluntati divinæ, nihil ergo per leges ſuas ipsi derogare potest. Hinc leges humanæ, si quæ forent juri divino contrariæ, irritæ ſunt, nec poſsunt obligare, namquè *obedire oportet Deo magis quam hominibus*: inquit S. Petrus Apostolus Actor: Cap. 5.

Veruntamen leges humanæ poſsunt illa statuere, præcipere, vetare, irritare, quæ jure divino constituta non ſunt. Quia legislator humanus sive civilis, sive Ecclesiasticus, habet potestatem illa legibus statuendi quæ ad bonum communitatis, cui præest, expediunt, potestas namquè legislativa hominibus à Deo conceſsa, tanta est, quantum postulat bonum commune, propter quod data est. Porro multa ad bonum commune expediunt, quæ nulla lege divina constituta, neque ordinata ſunt. Hinc innumera videmus legibus humanis, sive civilibus, sive Ecclesiasticis præcepta, vel prohibita, quæ lege divina neque præcipiuntur, neque prohibentur.

Quæres 2do. An lex humana, maxime Ecclesiastica, poſsit præcipere actus hominis internos?

Resp: Lex humana, maxime Ecclesiastica, potest præcipere, aut prohibere actus internos, cum ii aut neceſsarii ſunt ut actus externi lege præscripti debito modo, & recte fiant, aut impediunt ne recte ac ordinate fiant. Enimverò dum Ecclesia præcipit actus externos, eo ipso vult, & intendit ut recte ac debito modo, honeste, ac virtuose fiant, potest ergo id omne præcipere ac prohibere, quidquid vel neceſsarium omnino est ut illi actus externi recte ac virtuose fiant, vel impedit ne debito modo fiant. Jam verò notum, ac perſpectum est, actus externos sine internis ipsis annexis, vix recte ac virtuose fieri poſse, oratio *exg.* vocalis sine interna attentione devote peragi nequit, actus etiam interni ſæpius omnem bonitatem actui externo adimunt, ut cum quis malo fine, malaque intentione eleemosynam erogat pauperi. Potest ergo Ecclesia actus illos internos præcipere, qui omnino neceſsarii ſunt ut actus externi præscripti recte ac virtuose fiant, potest illos prohibere qui impediunt ne actus externi lege præcepti debito modo fiant. Et revera cum Ecclesia præcipit orationem vocalem, Horas *exg.* canonicas, eo ipso etiam præcipit internam attentionem, cordis compunctionem, sine quibus nemo virtuose & pie orare potest, prohibet mentis evagationes, prava inter orandum desideria, quia hæc impediunt, ne oratio recte, ac pie instituatur. Certe si Ecclesia non poſset illos

præci-

præcipere actus internos qui omnino necefsarii funt ad actus externos lege præscriptos recte, ac virtuose ponendos, nequè illos prohibere, qui impediunt ne ipsi debito modo fiant, jam ut fatisfiat præceptis Ecclesiæ, fufficiet actum externum lege præfcriptum quocunquè modo ponere, ac proinde fatisfaciet præcepto qui die festo Mifsam audit, pravo quæquè animo revolvens, implebit legem de annua Confefsione constitutam, licetsi propter pravas animi fui difpositiones, nulliter & facrilege confiteatur. Hæc verô abominanda funt: unde etiam Alexander 7mus damnavit istam propositionem: *Qui facit confefsionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Et Innocentius 11mus hanc confixit propositionem: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Non ergo foli actus externi, dum ab Ecclesia præcipiuntur, fub ipsius legem cadunt, fed & hæc omnia quæ vel necefsaria sunt, ut recte ac virtuose fiant, vel impediunt ne sic fiant, illa Ecclesia præcipit, hæc prohibet.

Quæres 3tio: Sed actus pure internos in se, & seorsive ab actibûs externis consideratos, potestne Ecclesia præcipere, vel prohibere?

Resp: Potest. Christus namquê Dominus omnimodam, ac plenam Ecclesiæ fuæ concefsit facultatem ligandi & folvendi Math. 18. *Quæcunque alligaveritis fuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunquè solveritis fuper terram, erunt foluta & in cælo.* Quæ verba generalia amplifsimam denotant potestatem à Christo Ecclesiæ concessam, limitari proinde ad solos actus externoś non potest, & quemadmodum Ecclesia habet potestatem ab actibus peccaminosis pure internis abfolvendi, ita etiam pure internos ligare potest, eos præcipiendo, vel prohibendo. Certe Ecclesiæ potestas est fpiritualis, & ordinatur immediate ad salutem fidelium, quæ maxime pendet ab actibus internis. Hinc & Apostolus Paulus Epis: ad Hebr: Cap: 12. sic inquit. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis*, quæ cum sine ulla distinctione dicta sint, in omnibus sive exterioribus, sive pure interioribus præpositis Ecclesiæ abtemperandum est. Hinc Innocentius 11mus: fequentes Michaelis Molinos damnavit propositiones: 1mo: *Præpositis obediendum est in exteriori, in interiori vero aliter fefse habet, quæ folus Deus, & Director intrant.* 2do. *Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quo ad internum gubernari debeat ab Epi-*

Episcopo. Harum certe propositionum doctrina eo collimat, ut Pastoribus Ecclesiæ regimen quo ad interna adimat, quæ cum damnata sit, inde evidenter consequitur poſse Pastores Ecclesiæ interna hominum moderari, alia præcipere, alia prohibere.

Dices: Ex capite 33. de Simonia. *Ecclesia non judicat de occultis*: et cap: 34. dicitur. *Nobis datum est, de manifestis tantummodo judicare.* De quibus vero Ecclesia non iudicat, de iis leges constituere nequit.

Resp: De occultis Ecclesia in foro exteriori non judicat, illa puniendo, castigando, quia notitiam ipsius ac cognitionem ſubterfugiunt, ſed in foro interno illa dijudicat, ab iis hominem vel absolvit, vel ligat, potest ergó illa moderari, ac regere, alia prohibendo, alia præcipiendo. Certè potestas Ecclesiæ usqué conscientias hominum attingit, leges siquidem statuendo, ſub conscientia homines ad illarum observationem stringit, licetsi hominum conscientiæ non manifestæ, ſed occultæ sint. Potest ergo & actus pure internos in conscientia latitantes præcipere, aut prohibere, prout saluti hominum judicaverit expedire.

Quœres 4to: Quinam legibus humanis teneantur?

Resp: Legibus humanis ſoli adulti, & illi, qui legislatori subiecti sunt, tenentur, & obligantur. Enimverò soli adulti poſsunt leges cognoscere, ac proinde illi ſoli poſsunt iis obligari, ac stringi. Nulla etiam iurisdictio â quopiam exérceri potest, nisi in sibi ſubditos, & nemo jus habet præcipiendi, aut prohibendi nisi sibi ſubiectis. Legibus ergo humanis soli adulti tenentur, & illi, qui Legislatori ſubiecti ſunt.

Quœres 5to: Utrum infideles legibus Ecclesiœ teneantur?

Resp: Infideles qui non ſunt baptisati, legibus pure Ecclesiasticis non tenentur, quia non nisi per baptiſmum Ecclesiæ subiicimur & agregamur. Igitur qui baptisati non ſunt, nequé Ecclesiæ subiecti ſunt, nequé illi agregati, ſed extra illam, & foris ſunt, de iis autem qui foris ſunt, ut inquit Apostolus 1. ad Corinth: Cap: 5. non judicat Ecclesia. Non ergo illius legibus tenentur. Undé Turcæ, Tattari ad festa, jeiunia Ecclesiastica non obligantur, & carnes illis diebus licite ipsis ministrari poſsunt. Divinis tamen Evangelicis legibus obligantur, quia lex Evangelii omnibus omnino hominibus à Christo imposita est, cui omnes ſunt ſubiecti. Quare si qua lex Ecclesiæ ex Evan-

gelio

gelio deprompta eſset, ad illam observandam Infideles non baptisati tenentur, quia illa non est lex pure Ecclesiastica, ſed & Divina.

Iam verò Infideles baptisati, Hæretici, legibus etiam pure Ecclesiasticis obligantur, quia omnes baptisati Ecclesiæ ſubiecti ſunt, nequé ideo ab ejus jurisdictione ac potestate eximuntur, quia illi rebelles facti, ab ejus consortio ſese ſepararunt, alioquin iniquitatis ſuæ emolumentum caperent, & ſubditi contra Principem rebelles ab illius ſubiectione, obedientiaque liberi forent, quod dici nequit.

Quæres 6to: Quid ſentiendum est de infantibus, amentibus, ebriis?

Resp: Infantes ante usum rationis, & perpetuo amentes nullis ſubiacent legibus, quia neutri capaces sunt moralis directionis, quæ legibus fit. Hinc non peccant perpetuo amentes, nequé infantes, qui necdum usum rationis attigerant, dum diebus festivis Miſsæ non intersunt, aut diebus jejunii carnes manducant. Peccant verò qui perpetuo amentes ad jurandum provocant, ad iracundiam, maledictiones excitant, quia licet hæc in fatuo materialiter ſolum mala sint, ſed in eo qui illum ad ea inducit formaliter mala sunt, & peccata. Id verò magis adhuc tenet quo ad parvulos, qui iracundiæ, maledictionibus, juramentis, cum maximo animarum ſuarum periculo facile asveseunt, qui ergo ad hæc illos inducunt, graviter peccant.

Infantes verò qui rationis usum iam attigerunt, non ſolum Divina, sed & Ecclesiastica lege obligantur, quia cum jam ratione utantur, legibus dirigi, ac proindè iis ligari poſsunt, unde ſemel in annô peccata confiteri, Miſsam die festivo audire, diebus jeiunii à carnibus abstinere tenentur. Sunt tamen quædam Ecclesiæ leges, quibus pueri etiam rationis usum consecuti, propter ætatis & rationis debilitatem, non tenentur. Sic non tenentur ad ſervandam quantitatem ciborum tempore jeiunii, & ad Sacram Synaxim non statim admittuntur, licetsì jam aliqua ratio in ipsis affulgeat.

Quo verò tempore Infantes ad usum rationis perveniunt, certó constitui nequit, communiter id evenire solet transacto ſeptennio, ſed in aliis citius, maxime quì bonam, & ſeriam habent educationem, curamqué ſui diligentem, in aliis tardius, qui sinè cura, sinè debita instru-

structione, velut animalcula domestica crescunt, id contingere consvevit.

Ebrii autem, & qui ad tempus delirant, legibus & Divinis, & Ecclesiasticis obligantur, quia nonnisi ad tempus, & per accidens ab usu rationis excidunt, habitualiter attamen illum poſsident, & cum iam lege obligati extiterint, ac lex semper vim obligandi retineat, propter transitoriam & accidentalem ineptitudinem, qua ad illam humano modo exequendam detinentur, ab illa non eximuntur. Hinc peccant qui ebriis, aut ad tempus deliranti, diebus jejunii carnes ad manducandum præbet, quia licetsi delirans, & etiam ebrius, tunc ob rationis defectum carnes comedendo, non peccent, ſed quia & tunc legi jejunii subiecti sunt, qui ipsis carnes ad manducandum præbet, peccat, quia sciens, & volens ad violationem legis alterum inducit.

Quœres 9mo: Peregrini tenenturne legibus singularibus propriæ regionis ex qua emigrarunt?

Resp: Peregrini non tenentur singularibus legibus propriæ regionis, dum ab illa justa, ac honesta exigente causa absunt, sed tenentur legibus locorum, per quæ transeunt. Quia nullus legislator extra proprium territorium jurisdictionem habet, & jurisdictio nonnisi mediante territorio personas afficit, ideoqué quemadmodum Princeps, aut quivis Superior in eos omnes potestatem, jurisdictionemqué habet, qui in eorum territoriis ſunt, undecunqué venerint, ita etiam, qui ex illorum territoriis diſceſserunt, quocunqué abierint, potestatem, jurisdictionemqué in ipsos non habent, ac propterea legibus uis illos stringere nequeunt, ſed illius legibus obligantur, in cujus territorio commorantur, quia illi ſubiecti ſunt, & eſse debent. Hinc cap: 2. de Const: in 6to dicitur: *extra territorium jus dicenti non paretur impune.* Quare leges & consvetudines particulares, sunt solummodo locales, pro tali scilicet loco, ac territorio, ipsiqué affixe manent, unde illos tantummodo afficit qui in iisdem locis, territoriisqué commorantur, ultra extendi nequeunt. Igitur quemadmodum peregrini liberi sunt à legibus suarum regionum ex quibus justa ac honesta exigente causa discedunt, ita etiam illarum regionum legibus subiacent ad quas deveniunt, aut per quas transeunt.

De vagis quoqué, qui nullibi fixum habitationis habent locum, idem statuendum est, scilicet quod tene-

antur

antur legibus locorum per quæ transeunt, & in quibus ad breve etiam tempus commorantur.

De advenis etiam, qui proprio relicto territorio alibi ſedem fixerunt dicendum est, illos cum iam à proprii territorij legibus immunes evaserint, illius territorii, in quo ſedem fixerant, legibus in omnibus ſubjacere debere. Unde S. Augustinus Epistola 117. docet, in iis quæ non sunt contra legem Divinam poſse quemlibet se conformare, Ecclesiæ & regioni, in qua commoratur, sic enim ait: *Alia verò quia per loca terrarum, regionesquè variantur, nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentiquè Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit.* Inde prodiit tritum illud:

Cùm fueris Romæ, romano vivito more.
Cùm fueris alibi, vivito sicut ibi.

Quæres 8vo: Sed quid si aliquis ideo à proprio disceſserit territorio, ut legem ejus declinaret?

Resp: Is à lege proprii territorii liber non est, quia ut in jure dicitur de Præscript: cap: 15. *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*: alias lata pateret porta multis abusibus, ac exceſsibus, quibus bonum commune omnium Regionum, atquè Ecclesiarum ſummopere læderetur.

ARTICULUS 2dus.

De obligatione legum humanarum.

Quæres 1mo: Utrum leges humanæ obligent sub conscientia?

Resp: Leges humanæ sivè Civiles, sivè Ecclesiasticæ obligant sub conscientia. Quia ut inquit Apostolus ad Romanos cap: 13. *Non est potestas nisi à Deo, itaquè qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationém acquirunt.* Certè Divinæ ordinationi, potestati à Deo constitutæ ſubjacere in conscientia obligamur. Omnis autem legislativa potestas, sivè civilis sivè Ecclesiastica est à Deo, ipsiusquè voluntas, atquè ordinatio est, ut illis obtemperemus. Ergo latas ab ipsis leges adimplere in conscientia obligamur, alias illas violandó, contemnendo, damnationem acquirimus, undè ibidem ſubdit Paulus: *Ideó neceſsitate subditi esto-*

te, non solum propter iram, sed propter conscientiam. Quod si talem, ac tantam Regibus ac ſæculi Principibus obedientiam â fidelibus exigit Apostolus, maiorem certè expostulabat Ecclesiæ Præpositis, quare ad Hebr: cap: 13. sic inquit: *Obeditœ præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Quœres 2do: Utrum lex obligat, in sola fundata prœsumptione?

Resp: Præsumptio alia est *periculi moralis*, alia *facti.* Præsumptio *periculi moralis* est illa, qua legislator præsumit ac prudenter timet malum dolum *exg.* fraudem, quod in hoc vel illo actu frequenter contingere solet, ideoqué hunc actum prohibet, irritatque. Præsumptio *facti* est ea, qua præsumitur quodpiam factum eveniſse, quod forte reipsa non evenerat.

Lex ergo quæ fundatur in præsumptione periculi cujuspiam mali, obligat, & ſuum sortitur effectum, etiamsi illud malum quod timeri poterat, non intervenerit. Undè lex quæ irritat profeſsionem religiosam antè annum decimum ſextum ætatis completum, factum tenet, ac subsistit, etiamsi sic profeſsus ingenium ſupra ætatem haberet maturum. Pariter lex quæ statuit ut votum à filio inpubere factum poſsit à patre ipsius irritari, vim ſuam habet etiam in foro conscientiæ, etsi constet puerum perfectum hac in ætate habuiſse judicium. Quia istiusmodi leges non tam fundantur in simplici periculi præſumptione, quam potius in judicio certo periculi ut ſæpe aut aliquando contingentis. Hoc autem judicium ſemper verum est, ſemper namqué verum est *exg.* profeſsionem ante competentes annos factam gravibus ſubjacere incommodis. Potest etiam legislator velle, & reipsa vult, ut istiusmodi leges vim ſuam habeant, etiam in casibus ubi non intervenit malum quod timetur, quia ſcilicet nisi leges istæ in quibusvis casibus obtineant, efficaciter removeri non potest malum quod timetur.

Jam verô leges fundatæ in præsumptione facti, deficiente facto, ſcilicet quia reipsa factum non est, quod factum eſse ſupponitur, non ſubsistunt, nequé tunc obligant. Quia tunc totum fundamentum legis tollitur, nequé Superior intendit obligare, cum nulla adest ratio obligandi. Hinc si judex Ecclesiasticus, etiam interposita excommunicatione compellat mulierem ut cohabitet cum Petro, eique debitumreddat, quia præsumit valide

inter

inter eos contractum fuiſse matrimonium, hæc si invaliditatis sui matrimonii conscia est, cum Petro habitare nequit, nequé illi debitum matrimoniale reddere potest, ac proindè debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſustinere, quam per carnale *comercium peccatum operari.* Sic statutum est cap: 44. de Sentent: Excom:

Quæres 3tio. Quomodo leges humanæ obligant?

Resp: Pro ratione materiæ legis quæ præcipitur, vel prohibetur, ac pro ratione intentionis, voluntatisquè legislatoris, si velit graviter, vel leviter tantummodo obligare, leges humanæ aliæ graviter, aliæ leviter obligant. Obligatio siquidem legum à voluntate primum Legislatoris, deinde à rebus quæ legibus constituuntur dependet.

Quæres 4to Quando leges humanæ graviter obligant?

Resp: Leges humanæ graviter obligant, quando & materia legis gravis est, & graviter à Legislatore præcipitur, tunc enim nihil deest legi, sivè ex parte rei præceptæ, sivè ex parte præcipientis, quin ipsa graviter obliget. Semper enim legislator in materia gravi, graviter obligare potest.

Porro materia legis censetur eſse gravis, *1mo:* quando finis proximus legis, ſeu id, quod proxime per legem intenditur, est magni momenti, multumquè confert ad bonum communé. Unde etsi in se spectata materia levis sit, si tamen ad finem gravis momenti referatur, aut multum conferat ad bonum commune, censetur eſse gravis. Sic comestio pomi in paradizo, licet de se levis, tamen erat gravis ratione finis à Deo intenti, nempe ut homo suam ſubjectionem & à Deo dependentiam profiteretur. Sic etiam ingreſsus viri in claustrum Monialium, in se levis, prohibitio tamen illius graviſsima est, quia multum confert ad avertenda multa mala, ac proinde maxime bono inſervit communi.

2do: Materia censetur eſse gravis, cum protali sivè ex communi prudentum judicio, sivè ex consvetudine bene fundata, habetur. Unde lex, quæ à viris timoratis, & doctis spectatur ut gravem inducens obligationem, judicandum est illam graviter obligare. Quapropter cum probi omnes legem jejunij, vel audiendi Miſsam diebus festis, habeant pro gravi, nemo sensatus gravitatem hanc in dubium vocare potest. Jam verò censetur quidpiam graviter à legislatore eſse præceptum, *1mo:* cum legislator utitur verbis, quæ grave præceptum exprimunt, *ex g. firmi-*

firmiter, districte inhibemus. Aut si præcipiat sub indignatione Dei, vel Sanctorum, ſub interminatione divini judicii, in virtute obedientiæ, quæ sibi debetur. 2do cum graves pro transgreſsoribus legis pænas infligit, vel comminatur, ut cum lex fertur ſub pæna censuræ, ſervitutis, exilii, infamiæ. 3tio: communia etiam verba, quibus uti ſolent legislatores, *exg. ordinamus, prohibemus, mandamus,* & alia his æquivalentia, continent præceptum ſub gravi obligans, cum ſubest materiæ gravitas.

Quæres 5to. Potestne legislator in re levi graviter, & in gravi leviter tantum obligare?

Resp: Rem omni ex parte levem, non potest legislator graviter præcipere, quia talis lex injusta, & nociva foret, neque divinæ ordinationi responderet, quæ res leves ſub levi reatu, & graves ſub gravi prohibet. Quodsi res in se quidem levis sit, ſed ratione circumstantiarum gravis, jam graviter à legislatore præcipi potest. Hinc multæ ſunt leges etiam Ecclesiasticæ, quæ ſub gravibus pænis prohibent quædam inspeciem levia, quæ tamen ratione circumstantiarum gravia ſunt.

Jam verò in re gravi potest legislator ſub levi tantum culpa obligare. Quia potestas obligandi quam habet legislator, tota, prout permittit materia legis, à voluntate legislatoris dependet, cumque materia etiam gravis, capax sit levis ſolum obligationis, potest ergo legislator in materia gravi, leviter tantum obligare. Et hoc ad convenientem gubernationem aliquando expedit, & multum conducit, ne scilicet nimium conscientiæ ſubditorum onerentur.

Quæres 6to: Utrum leges humanæ obligent cum gravi damno, ac periculo?

Resp: Leges humanæ cum gravi damno, ejusque periculo, plerumque, ac ordinarie non obligant. Lex enim humana, ſecundum humanæ naturæ vires, illiusquè conditionem debet eſse ad obſervandum poſsibilis. Porro ut inquit S. Antoninus 2. parte tit. 3. cap. 10. *Impoſsibile est, quod vix poſsibile est, utpote nimiam habens difficultatem.* Ergo ubi occurrit graviſsima difficultas, grave damnum, ac ingens nocumentum, ibi communiter legem observare non tenemur. Unde Cap. 4. de regulis juris dicitur: *Quod non est licitum in lege, neceſsitas facit licitum.* Hinc ex consensu omnium peritorum, præcepta Ecclesiæ certis diebus jejunandi, Miſsam audiendi, cum gravi damno, aut incommodo, non obligant.

Atta-

Attamen aliquando leges humanæ cum gravi damno, ac vitæ etiam periculo obligant. Quia ad communitatis sivè civilis, sivè Ecclesiasticæ integritatem, & conservationem, aliquando necefsarium est, ut leges ejus etiam cum vitæ periculo obferventur, & ad id obligandi suprema communitatis potestas jus à Deo accepit, cum sine illo conservari ipsa nequeat. Sic dum præcipitur militibus ut hostem aggrediantur, dum Episcopus, mortuo Parocho, Vicario mandat ut pest infectis Sacrameeta administret. In his & aliis similibus casibus, etiam cum vitæ periculo obediendum est, quia sine tali fubordinatione communitas sive civilis, sive Ecclesiastica conservari nequit.

Quæres 7mo: Quando lex humana obligat etiam cum vitæ periculo?

Resp: Lex humana obligat etiam cum vitæ periculo. 1. cum utilius est bono communi hic & nunc servari legem, quam fervari vitam privati hominis. 2do: Cum lex humana violari nequit absque contemptu Dei, religionis, fidei, aut potestatis legislativæ. Quare si in contemptum fidei, vel Ecclesiæ exigat quis, ut diebus prohibitis carnibus vescaris, potius moriendum est, quam id præstandum.

Quæres 8vo. An peccet qui ponit, aut non tollit impedimentum executioni legis obstans?

Resp: Peccat, qui eo fine ponit impedimentum executioni legis obstans, ut illius observantiam declinet. Quia is directe, exprefse, intendit legem non servare, erga ipsam pefsime affectus est, agitquè in illius fraudem. Ergo peccat.

Peccat quoquè qui eo tempore quo urget lex aut paulo ante, facit quidpiam aut malum, aut licet indifferens, fed minime necefsarium, quod obstat legis executioni. Quia lex præscribens aliquid, simul vetat id omne, quod cum præscripto ipsius est incompatibile. Hinc qui die festo fe inebriat, aut venationi se committit, unde non pofsit Mifsam audire, peccat. Qui tantum laborat, ut jejunare die præcepta non pofsit, cum non ex labore manuum vivat, peccat. Quia volens, nulla urgente causa, ipse fe inhabilem ac incapacem reddit ad legis obfervationem.

Pari modo peccat, qui non removet impedimenta, quæ executioni legis obstant, cum removeri pofsunt. Quia qui quidpiam præcipit, simul etiam præcipit & media ad

ad illud perficiendum necefsaria, ex quibus hoc est primum, ut tollantur impedimenta quæ executioni operis lege præscriptæ obstant. Jlla ergo quilibet, cum fieri potest, amovere tenetur, quodsi id facere negligat, peccat. Quare excommunicatus qui negligit sibi abfolutionem procurare, & interim Sacramenta Paschalia non recipit, diebus festivis Mifsam non audit, peccat. Simili modo peccat, qui non abstinet ab itinere, quod gravis necessitas non exigit, cum in itinere, die festivo Mifsam audire nequeat.

Verum si illa, quæ executioni legis obstant funt omnino necefsaria, vel tam utilia, ut melius sit illa facere, aut non tollere, quam legem servari, tunc qui istiusmodi executioni legis obstans ponit impedimentum, aut illud non tollit, non peccat. Quia non ita stricte obligant leges humanæ, ut ad illas implendas tolli debeant quæcunquè impedimenta, etiam illa quæ omnino necefsaria funt, aut maxime utilia, hoc enim magnum efset incommodum, & hominibus multum nocivum. Hinc cum ingruit necefsitas opitulandi ægroto, quo tempore urget Missæ audiendæ præceptum, Mifsa potius omitti debet, quam fubsidium ægroti negligi. Similiter si iter omnino sit necefsarium, & sine gravi damno differri nequeat, non peccat, qui iter istiusmodi arripit, licet in itinere Mifsam die festo audire nequeat.

Quæres 9no: Utrum uno actu pluribus Obligationibus satisfieri pofsit?

Resp: Tunc folum pluribus præceptis, & obligationibus uno eodemqé actu fatisfieri potest, cum vel impofsibile est plures actus eo tempore poni, quo plura urgent præcepta, vel uno actu posito, tollitur alterius præcepti causa, & ratio, vel tandem præcipiens eodem actu pluribus præceptis fatisfieri permittit. Quia nemo ad id tenetur, quod implere nequit; nemo obligatur ad actum cujus causa & ratio cefsat propter quam folam pro tunc est præceptus, ac tandem nemo plus vi legis facere tenetur, quam velit legfslator. Si ergo fieri nequit ut plures actus præcepti eodem tempore fiant, quo plura urgent præcepta, aut etiam cum posito uno actu præcepto, alterius tota causa, ac ratio cefsat, vel demum dum legislator ac præcipiens annuit, ut uno eodemquê actu pluribus obligationibus fatisfiat, tunc id impune fieri potest.

Hinc si quis voverit jejunare die veneris, eodem jejunio, & voto, & præcepto Ecclesiæ fatisfaciet, quia duo jeju-

jejunia eodem die observari nequeunt, secus dicendum si simpliciter vovisset jejunium, nec diem illam determinasset, qua ab Ecclesia jejunium præceptum est, tunc enim & voto, & præcepto Ecclesiæ diversis diebus satisfacere debet. Pari modo qui Missam audit die Dominica, in quam aliud cadit festum, sufficit ut unam Missam audiat, quia tunc ratio & causa alterius legis Missæ auditionem die festo præcipientis, cessat. Tandem si Confessarius alicui iniungat, ut diebus singulis per Mensem sacro intersit, ei satis erit, si unicam Dominicis & festis diebus Missam audiat, quia legitime præsumitur Confessarium in id consensisse, namqué præter dies Dominicos & festivos, adhuc multi remanent dies, quibus pro pænitentia Missa audiatur. Si verò unam alteramve audire Missam Confessarius injunxerit, huic præcepto pænitens non satisfaciet prædictas Missas diebus Dominico, aut festivo audiendo, prudenter namquè præsumitur Confessarius in id non consensisse, quia tunc præter id quod lex Ecclesiæ præcipit, nihil pro salutari pænitentia remanebit.

Igitur generaliter loquendo per unum eundemqué actum, pluribus præceptis, obligationibusqué non potest satisfieri. *1mo:* quando non constat, nequé prudenter præsumi potest legislatorem, superioremqué in id consensisse, atqué acceptare ut per unum, eundemqué actum pluribus præceptis atqué obligationibus satisfiat. Quia superior, atqué legislator aliquid præcipiens semper censetur exigere aliud, quam quod jam alias debitum est, alioquin sæpe non assequeretur finem à se intentum, & frustra imponeret novam obligationem. *2do:* quando plura præcepta secum simul non concurrunt, quia tunc seorsive unicuiqué & potest & debet satisfieri. Unde proscripta est hæc propositio: *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti & crastino*: quare & pænitens si habeat à Confessario injunctum sibi jejunium non determinata die, non satisfacit impositæ sibi obligationi, eo die jejunando, quo vel ex voto, vel ex præcepto Ecclesiæ jejunare tenetur. *3tio:* Si ex diversis causis ac motivis res quæpiam præcepta sit, atquê obligatio ex diversis fontibus oriatur. Quia tunc dum adimpletur unum præceptum, uniquè satisfit obligationi non exhauritur altera, nequê cessat ratio, causaquè alterius præcepti. Hinc Capellanus qui ratione fundationis Missas aliquot, unaquaquè hebdomada celebrare tenetur, pro iisdem stipendium accipere

pere non potest, & qui vovit eleemosynam, quam etiam Confeſsarius pro pænitentia ipsi injunxit, una eademquê eleemosyna utriquê obligationi non potest satisfieri.

Quæres 10mo: Quid agendum, quando occurrunt duo præcepta, quæ simul servari nequeunt?

Resp: Servandum est majus præceptum, quia prævalet minori, & strictius obligat, unde tunc minus præceptum obligare desinit. Præceptum autem naturale cum sit de rebus ad morum honestatem omnino neceſsariis, præponderat omni præcepto, etiam divino, quod est mere positivum. Divinum præponderat humano, præceptum altioris virtutis, præcepto virtutis inferioris: præceptum negativum, affirmativo, quia illud obligat semper, & pro omni tempore, neque unquam facienda ſunt mala, ut eveniant bona. Hinc si die festo infirmus tua opera indigeat tempore Sacri, teneris ei opitulari. Quia præceptum naturale & divinum charitatis, quæ est virtus præstantiſsima, prævalet omnibus aliis præceptis.

Quæres 11mo: An præceptum quod totum impleri nequit, debeat impleri quoad partem illam, quæ poſsibilis est.

Resp: Debet impleri quo ad illam partem quæ poſsibilis est, si præceptum sit de re quæ commode dividi potest, & in cujus qualibet parte invenitur tota ratio præcepti, veluti in ſeptem Horis canonicis, in jejunio totius Quadragesimæ, in qua jejunium singularum dierum divisum ac ſeparatum est ab aliis. Quia tunc præceptum utpote divisibile, obligat ad omnes, & singulas partes, etiam seorsim ſumptas, cum singulæ seorsim ſumptæ, ad finem præcepti conferant. Hinc ab Innocentio 11mo: damnata est ista propositio: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

ARTICULUS 3tius

De variis legis humanæ divisionibus.

Quæres 1mo: Quomodo leges humanæ dividuntur?

Resp: Leges humanæ multipliciter dividuntur. Nam 1mo: lex humana alia est *scripta*, alia *non scripta*, quæ consvetudo dicitur. 2do: Alia est lex *favorabilis*, alia *odiosa*. Lex favorabilis ſubdividitur in *publicam*, quæ cedit in commodum totius communitatis, & *privatam*, quæ in privatorum

vatorum vergit utilitatem. Lex verò odiosa alia est vel *pœnalis*, vel *tributum imponens*, vel etiam *irritans* factum.

Quæres 2do: Quid sit lex pœnalis, & quotuplex?

Resp: Lex *pœnalis* ea est, quæ pænam imponit. Et in hoc distinguitur â lege morali, quæ sic aliquid præcipit, aut vetat, ut nullam transgreſsoribus pænam statuat.

Sed lex pænalis alia est *pure pœnalis*, alia verò *mixta*. *Pure pœnalis* illa est, quæ sic pænam statuit in eos, qui aliquid fecerint, vel omiserint, ut tamen nec præcipiat illud fieri, nec illud omitti vetat. Talis est exg. ista lex: Qui frumenta in exteras nationes exportaverit, solvat centum nummos. Lex autem pænalis *mixta* est illa, quæ simul præcipit, aut prohibet, & insuper pænam in transgreſsores statuit. Jam verò pæna vel ipso facto, ſeu sola culpæ admiſsione incurritur, & per ipsam legem infligitur, & dicitur *latæ sententiæ*, vel solum statuitur per Judicem infligenda, & *ferendæ sententiæ* vocitatur.

Pænæ etiam quæ per leges infliguntur, aliæ ſunt paſsivæ, quæ nullam illius, qui reus est requirunt actionem, veluti ut quis sit excommunicatus, irregularis. Aliæ verò, quia positivæ ſunt aut privativæ, non poſsunt executioni mandari, sine aliqua transgreſsoris actione, & istiusmodi pænæ triplicis generis ſunt: quædam irritant actum, qui fit contra legem vg. nuptias clandestine contractas, aut reum inhabilem faciunt ad aliquem actum vg. Simoniacum ad obtinendum beneficium. Quædam legibus constitutæ ſunt veluti ad aliquid acquirendum neceſsariæ conditiones: sic neceſse est, ut cui Beneficium parochiale collatum est, intra certum tempus ad Sacerdotium promoveatur, quod si ejus culpa non fiat, ipso facto beneficio privatur, sine alia monitione. Quædam denique privant jure jam acquisito, vel acquiri cæpto vg. Beneficio jam legitime poſseſso.

Quæres 3tio: Utrum dentur leges pure pœnales?

Resp: Poſsunt dari leges pure pænales, & reipsa tales multæ dantur. Enimverò legislator ac superior qui potest aliquid præcipere vel non præcipere, potest etiam ſub hac vel illa forma præcipere. Porro legislatores, ac ſuperiores sive Ecclesiastici, sive civiles, multa præcipiunt, prohibent, quæ poſsunt non præcipere, non prohibere, poſsunt ergo præcipere ac prohibere solam apponendo legis ſuæ transgreſsioni pænam, quin conscientiam onerent suorum ſubditorum. Et reipsa mul-

tæ

tœ ſunt leges civiles atque Ecclesiasticæ, quæ plura præcipiunt tantum disjunctive, ut vel fiat id, quod statuitur, vel certa pæna ſubeatur, unde unicum quidem, ſed disjunctivum in ſe continent præceptum, scilicet faciendi, aut omittendi quidpiam, vel etiam aliquam ſubeundi pænam, si illud fiat, vel omittatur. Porro istiusmodi leges ſunt pure pænales, atque ſæpe magis expediunt saluti, ac bono spirituali ſubditorum. Sæpe enim per illas ſubditi sat potenter, ac ſufficienter timore pænæ impelluntur ad legem implendam, & peccandi periculum aufertur.

Quæres 4to: Quomodo cognosci, & sciri poſsit legem eſse pure pænalem?

Resp: Id sciri, & cognosci potest. 1mo: ex verbis legis, quibus indicatur, legislatorem, ac ſuperiorem nolle obligare nisi disjunctive, scilicet vel ad servandam legem, vel ad ſustinendam pænam. 2do Ex ipsa forma legis, si nempe disjunctive feratur. *exg.* Qui arma portaverit, illa amittat. Si tamen lex gravifsimas imponat pænas, capitis, infamiæ, excommunicationis, non censetur eſse pure pænalis, ſed mixta, & præceptiva, ac ſub culpa obligans, quia tantæ pænæ pro gravi nonnisi culpa rationabiliter imponuntur. *3tio*: Ex legis materia. Lex enim, quæ ad bonos Ecclesiæ, & Reipublicæ mores, ejusque pacem neceſsaria est, merito præsumitur moralis, & præceptiva, non autem pure pænalis. In dubio judicandum est legem eſse præceptivam, tum quia id tutius est, tum quia quod lex aliqua non obliget ſub culpa, ſed solum ad pænam subeundam, quædam exceptio est à regula generali, juxta quam oportet ſubditos parere Superioribus ſuis non solum propter iram, ſed etiam propter conscientiam, ût inquit S. Paulus ad Rom. Cap. 13.

Quæres 5to: Utrum leges pænales obligent in conscientia?

Resp: Leges pænales mixtæ obligant in conscientia. Lex enim pænalis mixta est illa, quæ præcipit aliquid faciendum, vel omittendum, & simul pænam transgressoribus imponit, ideoquè duo in ſe continet præcepta, unum faciendi aliquid, vel omittendi, aliud ſubeundi pænam appositam, si secus fiat. At omne præceptum legitimum, & omnis lex justa obligat in conscientia. Ergo istiusmodi leges pænales mixtæ, cum sint vere præceptivæ, obligant in conscientia.

Sed & leges pure pænales obligant etiam ſub conscien-

scientia, ſed disjunctive tantum, scilicet vel ad exequendum ac implendum id quod lege pænali præscriptum est, vel ad pænam lege constitutam subeundam. Quia alterutrum tantum illis legibus præcipitur. Hinc qui legem pure pænalem transgreditur, peccat in conscientia, nisi paratus sit ad ſubeundam pænam lege constitutam.

Quæres 6to. An pæna per legem constituta statim sit subeunda, ac exsolvenda ab eo, qui legem transgressus est?

Resp: Qui legem pænalem transgreſsus est, non tenetur statim subire, ac exsolvere pænas ferendæ sententiæ, donec ad eas fuerit à judice condemnatus. Quia lex talis pænas ipsa non impunit, sed imponendas minatur, & imponi disponit.

Pænæ paſsivæ ipso facto incurrendæ, à lege constitutæ, quæ nullam transgreſsoris requirunt actionem, ut ſunt censuræ, irregularitates, privatio vocis activæ, & similia, incurruntur ante Judicis sententiam, sive ipsius declarationem. Unde occulti quorundam legum Ecclesiasticarum violatores, vere efficiuntur excommunicati, irregulares. Pænæ autem quæ propriam delinquentis requirunt actionem, debent ante omnem Judicis sententiam exsolvi, si non sint valde difficiles, exg. recitatio quorundam præcum, moderata corporis castigatio, ſecus verô si earum executio sit admodum difficilis, & nimis ardua *exg.* Beneficii legitime poſseſsi privatio ac dimiſsio. Quia leges, quæ pænas leves ipso facto incurrendas constituunt, nihil præcipiunt, quod non sit moraliter homini poſsibile. Quæ vero imponunt pænas nimis graves, & arduas, ipso facto incurrendas, à deo ſunt duræ, inhumanæ, ac naturæ propensioni contrariæ, ut moraliter homini poſsibiles censeri nequeant. Hinc communi uſu receptum est, ut ob crimen aliquod, bonis, ac Beneficiis omnibus ipso facto dicuntur eſse per legem privati, non ante bona, ac beneficia ſua abdicare teneantur, quam ad id fuerint à Judice condemnati.

Pænæ, quæ vel irritant actum lege prohibitum, ut matrimonium clandestine contractum, vel transgreſsorem reddunt ad aliquid inhabilem exg. Beneficiarium ad percipiendos Beneficii ſui fructus, si Horas canonicas non recitet, effectum ſuum ſortiuntur ante ſententiam Judicis, unde clandestine conjuncti ſeparari ab invicem debent, Beneficiarius qui Horas Canonicas non recitavit, fructus male perceptos restituere tenetur.

Tan-

Tandem pænæ quæ jure jam legitime acquisita privant, vim communiter non habent ante Judicis sententiam, etiamsi lex eas pænas statuat ipso facto, & non expectata Judicis sententia incurri. Unde quod constituerat Pius 4tus eos qui simoniam confidentialem committunt, Beneficiis ante obtentis ipso facto privari, locum non habet, nisi post sententiam Judicis.

Quæres 7mo: Utrum ignorantia pœnæ à lege constitutæ, á subeunda pœna excusat?

Resp: Ignorantia quæ excusat ab omni culpa, excusat etiam à debito pænæ, quia pæna, prout est pæna, supponit culpam, & peccatum, hoc autem ignorantia invincibilis excludit. Ergo à debito pænæ excusat. Ignorantia autem quæ excusat solum à gravi culpa, non veró â levi, excusat etiam à gravi pæna, non item à levi, quia, ut dicitur Deutor: cap: 25. *pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Aliquando tamen ignorantia, quæ non excusat á gravi culpa, á pæna tamen gravi excusat, ut si lex pænam iis tantum infligat, qui scienter, temere, vel præsumptuose faciunt, talis siquidem lex certum contemptus, scientiæ vel præsumptionis modum requirit, sinè quo transgrediens legem, non subiacet pænæ. Verum si quis istiusmodi legem ex ignorantia affectata violaverit, pænam meretur, quia hæc ignorantia scientiæ æquiparatur, & peccatum adauget.

Quæres 8vo: Sed quid si quis non legem prohibentem, sed solum pœnam lege statutam ignoraverit?

Resp: Ignorantia qualiscunqué, etiam invincibilis, solius pænæ, non excusat à pæna. Quia qui violat legem, nesciens pænam lege impositam, ponit totam pænæ subeundæ causam, hæc enim non est pænæ cognitio, sed culpæ admissio. Porrô culpa admittitur, legem violando, licetsi pæna ignoretur. Si tamen lex contumaciam requirat, quia contra contumaces lata est, ignorantia solius etiam pænæ, à pæna eximit. Hinc contumacia requiritur ut quis censuras incurrat.

Quæres 9no: Quid, & quotuplex est tributum?

Resp: Tributum *est pensitatio, seu solutio certæ cujusdam quantitatis pœcuniariæ ad publica supportanda onera lege constituta, atqué præscripta.* Tributum aliud est *realé*, quod ex rebus immobilibus, & fructibus eorum quotannis persolvitur, aliud *personale*, quod ratione, artis, industriæ personalis, officii ac muneris exigitur. Si tributum impositum fuerit pro rebus in has regiones,

urbem

urbem, invectis, aut ex illis evectis, vectigal vocatur, si pro rebus, quæ per pontes, flumina, transferuntur, portarium dicitur.

Quæres xomo: Utrum leges tributorum vere, & in conscientia obligent?

Resp: Leges tributorum vere, & in conscientia obligant. Namqué Math: cap: 12. cum ſermo eſset de censu Imperatoris persolvendo, inquit Christus: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* & Apostolus ad Roman: cap: 23. ait: *Ideó necesſsitate subditi estote, non solum propter irram, sed etiam propter conscientiam, reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Certè juxta communem interpretum sensum, per tributum, & vectigal, id intelligitur, quod nos vulgari sermone Podatki, Cło, Komora, Mostowe, vocitamus. Porrò ex Apostolo horum ſolutio in conscientia obligat, & adimpleri debet. Ergo leges tributorum in conscientia tenent. Et veró leges tributorum non ſunt leges pure pænales, quamquam enim tributa sæpe adjunctam habeant pænam, si non solvantur, attamen communiter sinè comminatione pænæ, & non in pænam delicti, ſed propter communé bonum constituuntur. Igitur leges tributorum, cum sint morales, & præceptivæ, non autem pure pænales, non solum ad subeundam pænam, ſed ad ipsa tributa exsolvenda in conscientia obligant. Quare, qui tributa, vectigalia, defraudant, & illa non solvunt, peccant.

Quæres xxmo: Utrum vectigalia debeant in conscientia solvi, si non petantur?

Resp: Certum est, eos peccare qui per dolum, fraudemqué efficiunt ne vectigalia petantur, res occultando, aut per loca invia transeundo. Quia legem justam fraude & dolo declinant, fraus autem & dolus nulli patrocinari debet. Quotiescunqué etiam existit lex, & recepta consvetudo, ut qui merces, aut consumptibilia per certa loca transfert, has exhibeat, & vectigal pro iis ſolvat, tunc illa in conscientia debent manifestari, & vectigal solvi, quia lex, & recepta consvetudo, ad id obligat. Quodsi ex consvetudine recepta, manifestatio hæc, & quæ eam consequitur vectigalium ſolutio, nonnisi ad petitionem Publicanorum, vulgo Strażników fiat, non videtur ad ſolvendum obligatus eſse is, à quo nihil exigitur, unde damnum hoc Exactores negligentiæ ſuæ imputare debent, & aliud est non dare quod à te non petitur, aliud per do-

dolum eficere ùt nec petatur, nec petti pofsit, quare licetsi in hoc fecundo casu peccatum sit, non continuo peccatum erit & in primo. Unde non continuo peccati arguendi, aut ad restituendum obligandi funt illi, qui vectigalia non folverunt, fed leges, & consvetudo attendi debent.

Quæres 12do: Quid sit lex irritans?

Resp: Lex irritans illa est, quæ actum, cui certæ desunt conditiones, nullum, & invalidum efficit.

Irritatio multiplex est. *1mo:* enim alia incurritur ipso jure, & ante sententiam Judicis, sic irritum est ex se ipso matrimonium claudestine contractum: altera nonnisi per fententiam Judicis actum irritandum decernit, sic contractus in quo quis ultra medietatem justi prætii deceptus est, per sententiam Judicis irritandus decernitur, unde tenet, quoadusqué irritetur. *2do:* alia est *explicite* irritans, cum distincte in lege exprimitur *exg: Si res aliter fiat, non valeat, careat omni robore:* alia *implicite* tantum, quæ fit verbis irritationi æquivalentibus, ut si præscribatur forma, quæ in contractu necefsario fervari debeat. *3tio:* alia est *pœnalis*, alia *legalis. Pœnalis* ea est quæ statuitur in odium personæ, & criminis ejus, ut cum irritatur matrimonium contrahentis cum ea, quam polluit per adulterium fub fpe futuri matrimonii. *Legalis* ea est, quæ non fit in pænam peccati, fed in bonum sivè personæ privatæ, sivè communitatis, ut cum irritatur profefsio ante annos sexdecim completos facta, utiqué in bonum & Profitentis, & Religionis.

Quæres 13tio: An lex irritans obliget in conscientia?

Resp: Lex quæ actum irritat, simulqué illum prohibet, in conscientia obligat, ne ille actus attentetur, & si attentetur, & fiat, ne illo quispiam utatur, quasi validus foret. Quia istiusmodi lex irritans, & præceptum continet ne actus ille attentetur, & illum si fiat, invalidat, ac omni privat robore. Unde matrimonium clandestinum attentare non licet, quodsi attentatum, & contractum fuerit, nemo illo licite uti potest. Si vero lex sit pure aliquem actum irritans, non obligat in conscientia, quare non peccat, qui talem actum attentat, quia ejusmodi lex præceptum prohibens non continet, sed tantummodo actum si fiat invalidat. Undè qui conctractum quempiam facit, quem lex irritat, quia sinè debitis formali-

malitatibus fit, non peccat quidem istiusmodi contractum faciendo, sed contractus non ſubsistit.

Porrò lex censetur eſse pure irritans, quando verba, quibus ipsa concepta est, nullam continent prohibitionem, ſed præcise actum invalidum eſse declarant. Nisi contrarium ex materia, fine, circumstantiis, aut ex usu colligatur. Unde quoties inhonestum ac turpe est, velle facere actum, qui valide fieri non potest, toties illum attentare peccatum est.

Quæres 14to: An lex eo ipso sit irritans, quia est prohibens?

Resp: Regula juris est. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem.* Cap: 16. de Regul: Ergo lex eo ipso non est irritans, quia prohibet quidpiam fieri. Et verò ex communi ſensu, aliud est prohibere, aliud irritare, unde nec quod irritatur ſemper prohibitum est, nec quod prohibetur, ſemper est irritum.

Quæres 15to. Quæ impediunt, ne lex quæ ipso jure actum aliquem irritat, habeat effectum suum?

Resp: Si lex non irritat actum nisi in vindictam criminis, irritatio impeditur per id omne quod excusat à culpa. Sic qui ex oblivione mere naturali omittit Horas Canonicas, beneficii fructus facit ſuos, licet extet lex, qua irritatur acquisitio fructuum beneficii ab iis facta, qui Horas canonicas recitare negligant.

Sed etiamsi lex irritans constituta fuerit in solius culpæ vindictam, qui invincibiliter ignorat actum aliquem irritari, ſed legem qua actus prohibetur non ignorat, irritationi ſubiacet. Unde Beneficiarius qui novit Horarum canonicarum recitationem per Ecclesiæ legem imperari, nescit autem fructuum beneficii receptionem ab eo factam, qui Horas canonicas non recitat, eſse irritam, nihilominus non facit fructus ſuos, nequé illos retinere potest. Quia ignorantia ſolius pænæ, non tollit culpam, quæ totalis, & adæquata est causa irritationis, ac proinde nequé irritationem ipsam impedire potest.

Quodsi veró irritatio fiat immediate própter bonum commune, ignorantia etiam inculpata legis irritantis non impedit irritationem actus. Quia leges primario propter bonum commune constitutæ, effectum ſuum absolute, & ſemper habere debent, Tales porrò ſunt leges, quæ immediate propter bonum commune actus quosdam irritant. Ergò etiamsi ipsæ inculpate ignorentur effectum suum obtinere debent. Et vero istiusmòdi leges irritantes

non fundantur in præsumptione facti, sed in præsumptione periculi, ne quid fiat contra bonum commune. Ergo cum semper hoc periculum existat, lex, quæ in illius justa prudentequé præsumptione fundatur, semper vigere debet.

Quæres x6to Quid sit privilegium?

Resp: Privilegium *est lex, qua alicui speciale aliquod beneficium, sivé favor, præter, vel etiam contra jus commune, â superiore justa de causa conceditur*: ut exemptio à solvendis tributis, potestas dispensandi, aut quædam faciendi, quæ non omnibus concessa sunt.

Privilegium aliud est *reale*, aliud *personale*. Privilegium, *personale* proxime confertur personæ in favorem illius, puta ob privatam ejus excellentiam, scientiam, aut sanctitatem. *Reale* verò proxime, ac directe confertur, rei, loco, muneri, dignitati, vg. Ecclesiæ, Monasterio, licetsi eiusdem privilegii utilitas consequenter, & ultimate in personas perfundatur. Privilegium reale cohæret rei, loco, & durat quamdiu res, locus, durat, & ideo cum re ad hæredem transmittitur, personale verò sequitur personam, & cum ea extingvitur.

Ut cognoscatur an privilegium reale sit, an personale, hæc afferri solet regula. Privilegium censetur eſse personale, cum solum exprimitur nomen personæ cui conceditur privilegium. Reale verò si sola exprimatur dignitas: exg. committimus Episcopo Vilnensi. Si verò nomen & dignitas simul exprimatur, censent plures privilegium eſse personale, atquê ideo cum persona extingvi.

Dividitur etiam Privilegium in *perpetuum* & *temporale*. Privilegium *perpetuum est* illud, quod absolute, & absqué limitatione temporis conceditur, adhæretqué rei ex se perpetuæ exg: Ecclesiæ, ordini religioso. Dicitur autem perpetuum, non quod amitti non poſsit, sed quia ex se durat, donec revocatum fuerit. Privilegium *temporale* est illud, quod vel ſingulari perſonæ conceditur, & ea moriente expirare debet, vel datur ad certum tempus vg. ad decem annos, vel ſub certa conditione, quæ lapſu temporis finitur.

Quæres x7mo. Quis potest Privilegium concedere?

Resp: Ille solus Privilegium concedere poteſt, qui legem condere poteſt. Quia ſi Privilegium ſit contra jus commune, jam eſt diſpenſatio à lege, quam nemo niſi legis conditor, ejus Superior, aut æqualis impertiri poteſt. Si verò ſit præter jus commune, qui ipſum concedit, ta-

lis

lis debet eſse, ut aliiſ per modum legis imperet, ne privilegii uſum impediant, maxime cum Privilegium, uni favet, & alterum gravat. Hoc autem solus Legislator præſtare poteſt. Ergo ille solus Privilegium concedere poteſt, qui legislativam poteſtatem habet.

Porro ut Privilegium concedatur, requiritur juſta causa, vel enim contra jus commune conceditur, & eſt ſpecies diſpenſationis, quæ justam requirit cauſam, vel præter jus commune datur, ſed cum gravamine aliquorum, & tunc potior adhuc requiritur cauſa, quodsi verò per Privilegium nec jus commune leditur, nec quisquam per illud gravatur, Privilegii conceſsio à rationabili voluntate Superioris dependet.

Quæres 18vo An quis accepto Privilegio, illo uti teneatur?

Reſp: Non omnino tenetur uti Privilegio, unde Cap: 6to- de Privil: dicitur. *liberum est unicuiquè suo juri renuntiare*, Si tamen Privilegium conceſsum fuerit ad aliquid jam aliunde præceptum exg: ut in privato domus suæ Oratorio Miſsam die feſtivo audiat, illo uti tenetur, ac proinde qui propter infirmitatem ad Eccleſiam pergere nequit, in ſuo Oratorio Miſsam audire debet.

Quæres 19. An quis poſsit uti Privilegio extra territorium concedentis?

Reſp: Si Privilegium ſit locale, quia locum primario afficit, propter locum conceditur, eiquè annexum est, extra hunc locum tali Privilegio uti non licet. Si verò privilegium ſit perſonale, tunc vel iſtiusmodi Privilegium derogat juri communi, ut exg: cum quis à ſuo Episcopo accipit facultatem, ac Privilegium carnes manducandi diebus jeiunii, & iſtiusmodi facultate ac privilegio ubiquè uti licite poteſt, etiam extra Diœcesim Epiſcopi Privilegium concedentis, quia cum iſtiusmodi Privilegium ſit juris communi relaxatio, illud Epiſcopus concedit nonniſi poteſtate ſibi ab Eccleſia, vel à Romano Pontifice conceſsa, quorum auctoritas ubique viget, ubiquè ergo ejusmodi Privilegio seu facultate uti licitum eſt. Vel etiam Privilegium alicui conceſsum derogat particularibus locorum, per quæ privilegiatus transit, ſtatutis, & in illis, extra territorium concedentis privilegio sibi conceſso uti nequit, quia advenœ, peregrini, subiacent legibus, ac statutis locorum per quæ transeunt , & in quibus commorantur, a quibus eximere, & illis derogare nemo extraneus poteſt, qui in illis locis jurisdictionem non habet.

Quæres 20. Quot modis ceſsat privilegium?

Resp: Privilegium ceſsat multis modis, & quidem 1mo:: si sit privilegium personale extinguitur cum persona, si verò sit reale cum re, aut officio transit ad hæredem, aut ſucceſsorem, qui in defuncti jura ſuccedunt. Hinc cui conceſsa est facultas aliquid faciendi, illud facere potest etiamsi exciderit à dignitate ſua, si cum dignitate expreſsum fuerit nomen ipsius proprium, quia tunc est privilegium personale, ſecus si ſola dignitas expreſsa fuerit, quia tunc privilegium dignitati, non autem perſonæ annexum fuit.

2do: Finitur privilegium lapſu præfixi temporis, ac etiam ceſsante tota causa, propter quam conceſsum fuerat privilegium.

3tio: Privilegium amittitur per revocationem, ac etiam per renuntiationem voluntarie à privilegiato factam, & à concedente acceptatam, & hoc intelligendum est de privilegio quod in privati alicujus commodum cedit, si enim privilegium cedat in bonum commune, renuntiatio non valet.

Quæres 21mo: Quid sit consvetudo, & quotuplex?

Resp: Consvetudo est jus quoddam moribus invectum, ac institutum, quod pro lege suscipitur, ubi lex deficit. Duplex verò potiſsimum est consvetudo, alia *præter legem* per quam jus novum, & nova lex inducitur, alia *contra legem*, quæ legem antecedentem abrogat, facitque ut licitum jam sit id, quod alias illicitum erat.

Quæres 22mo: Utrum consvetudo potest abrogare legem constitutam, aut novam statuere?

Resp: Nulla consvetudo potest abrogare legem divinam naturalem; aut pure etiam positivam. Quia lex naturalis ea statuit, quæ neceſsario aut agenda, aut fugienda ſunt, ſuntque ex natura ſua aut bona, aut mala, nulla ergo consvetudine hæc mutari, aut præscribi poſsunt. Quæ etiam in Evangelio à Christo constituta ſunt, usque ad consummationem ſæculi durare debent, nequè homines ea abrogare poſsunt, quæ Deus pro ſemper ordinaverat. Sed leges humanas sive civiles, sive Ecclesiasticas, consvetudo legitime inducta, abrogare potest. Et id constat tum ex jure civili, tum ex jure canonico. Certe posita consvetudine legitime contra legem inducta, principes ac Superiores sive civiles sive Ecclesiastici consentiunt ut tunc lex jam non obliget. Ergo consvetudo legitime inducta, etiam ex consensu Principum, ac Superiorum legem abrogat,

Quem-

Quemadmodum verò consvetudo legitime inducta legem jam statutam potest abrogare, ita ut illius obligatio cefset, ita etiam potest novum jus, novamque legem, quæ in conscientia obliget, constituere. Unde ex communi fensu laudabiles consvetudines præter legem inductæ in conscientia obligare ubique censentur. Quare S. Augustinus Epist: 36. sic inquit. *In his rebus, de quibus nihil certi statuat scriptura divina, vox populi, vox Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda funt. & sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consvetudinum Ecclesiasticarum coercendi funt.* Igitur consvetudo legitime inducta & legem constitutam abrogare, & novam quæ in conscientia obliget inducere potest. Semper enim hic adest Superioris ac Principis voluntas, atque consensus sive tacitus, sive exprefsus, qui in conscientia obligat, aut ab obligatione eximit. Certé cum consvetudo ad certum usque increverit gradum, jam rationi consonum est, & communitati expediens, ut Princeps legem revocet, ne multitudo aliud agere asveta, semper contra legem peccet, cujus propter usus contrarios, observantia nonnisi dificilis est.

Quæres 23tio: Quæ requiruntur conditiones, ut consvetudo, sive legem constitutam abroget, sivè novam statuat, & in conscientia obliget.

Resp: Sequentes requiruntur conditiones. 1mo: debet efse rationabilis, honesta, utilis, nec juri divino, sive naturali, sivè positivo contraria. Hinc Cap: ult: de consvet: Gregorius 11mus ait. *Cum tanto graviora sint peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo sane mentis intelligit naturali juri, quacunque consvetudine quæ dicenda est verius in hac parte corruptela, pofse aliquatenus derogari?*

2do: Consvetudo debet efse continuata per illud temporis spatium, quod ad legitimam præscriptionem requiritur. Hoc autem tempus quo ad leges Ecclesiasticas, si agitur de consvetudine præter legem, ut ipsa obligationem inducat, fufficit decennium, si agatur de consvetudine contra legem introducta, ut per ipsam lex abrogata censeatur, requiritur tempus quadraginta annorum. Quod vero attinet civiles; Jure quidem communi statutum est, fufficere decennium sive agatur de consvetudine præter legem, sive de consvetudine contra legem. Porro in continuanda consvetudine contra legem introducta, necefsaria est bona fides, quæ licetsi, dum consvetudo inchoatur, haberi

haberi nequit, quia qui ab initio contra legem agunt, peccant, attamen cum ipsa increverit, ad illam continuandam, atque stabiliendam omnino necessaria illa est.

3tio: Actus iterati per quos consvetudo inducitur, debent esse *1mo liberi*, quia consvetudo, ut obliget, quemadmodum lex, voluntaria esse debet. *2do notorii*, ac publici, actus enim clam exerciti, non attenduntur, neque ex iis constare potest communitatem, aut majorem ejus partem, hoc, aut illud velle, ac intendere. *3tio* Debent esse frequentes, quia consvetudo repetitis actibus inducitur. Talis autem debet esse actuum frequentia, ut populi consensum satis denotet, atque indicet. *4to:* Tandem debent esse exerciti ex animo, & intentione se obligandi. Quia consvetudo accipitur pro lege, ad hanc autem requiritur voluntas obligandi. Hinc actus qui ex devotione solum, quamquam diutissime frequentati sunt, non inducunt consvetudinem quæ in conscientia obliget exg. sumptio Cinerum in initio jejunii quadragesimalis.

Porro dignoscitur consvetudinem inductam esse animo se obligandi. *1mo*: Cum qui eam violant puniuntur, redarguuntur, atque à timoratis veluti transgressores habentur. *2do* Cum materia bono communi multum utilis est, & â majori populi parte uniformiter observatur, neque enim tam stricte observantur, quæ solum ex devotione fiunt. In dubio an consvetudo ex animo se obligandi incepta fuerit, iudicandum est, sic ceptam non fuisse, quia nemo, nisi manifeste constet, præsumitur velle sibi onus imponere.

4to: Consvetudo debet esse invecta à majori, & saniori parte communitatis, unde pauci ad id non sufficiunt. Præterea si consvetudo à sapientibus, & timoratis reijceretur ut mala, non esset habenda pro vera consvetudine, sed potius corruptela censeri debet.

5to: Ut consvetudo vim legis habeat, requiritur consensus Principis, seu Superioris, qui communitati præest, is enim si resistat, consvetudo prævalere non potest. Non requiritur tamen consensus formalis, & expressus, sed sufficit tacitus, cum Princeps, ac Superior non resistit cum potest resistere. Si etiam lex extet, qua statutum est, consvetudinem vim legis habere cum invaluit per certum quoddam tempus, tunc eo elapso, consvetudo etiam â Superiore ignorata, vim legis obtinet, tunc enim juridicus, seu legalis adest Principis, ac supremæ potestatis consensus. Quodsi legislator quispiam legem aliquam statuendo

tuendo prohibuisset, ne ulla unquam contra eam prævaleret consvetudo, lex talis sola consvetudine abrogari non posset, quia legislator perpetuo reclamare censetur.

Quæres 24to: Utrum lex possit consvetudinem abrogare.

Resp: Lex non minus est efficax contra consvetudinem, quam consvetudo contra legem. Si ergo consvetudo potest abrogare legem, potest etiam lex consvetudinem tollere. Verumtamen si consvetudo vere sit utilis, lex contra illam lata non teneret, utpote bono communi contraria. Quodsi consvetudo legi Dei repugnet, tunc ei fortiter, & prudenter obsistendum est. Imo si consvetudo, quamvis non sit rei in se malæ, nec legi divinæ contraria, noxia tamen evadit, & abusibus periculosis viam aperit, potest, & debet abrogari, unde plures Episcopi flagellationes publicas tempore quadragesimæ, ac peregrinationes quasdam prohibuerunt, quia fæcunda erant ebrietatum & impudicitiarum seges, scandali, ac offensionis occasionem præbebant.

CAPUT TERTIUM

De interpretatione, cessatione, abrogatione, ac dispensatione legum humanarum.

ARTICULUS 1mus

De interpretatione, cessatione, & abrogatione legum humanarum.

Quæres 1mo: Quid sit, & quotuplex interpretatio legis?

Resp: Interprætatio legis, est explicatio sensus illius. Duplex est, una *simplex*, qua exponitur ambiguitas verborum, quibus lex concepta est: altera est per *epikeiam*, cum rationabiliter ob singulares circumstantias casum aliquem in lege non comprædhendi decernimus. Simplex legis interpretatio triplex est, *authentica*, *usualis*, & *doctrinalis*. *Authentica* est illa, quæ profertur per ipsum Legislatorem, ejus Superiorem, vel successorem, habetque vim legis, quia procedit ab eo, qui potestatem habet legem non solum interpretandi, ac declarandi in quo

quo ſenſu velit eam servari, ſed etiam ſtotaliter ipsam revocandi. *Usualis* illa est, quæ petitur ex communi usu, nam ut dicitur Cap: 8. de consvet. *Consvetudo est optima legum interpres. Doctrinalis est* illa, quæ ſit per homines doctos, & peritos.

Quæres 2do:. Quandonam licet uti Epikeia?

Resp: Tunc licet uti epikeia, quando *1mo:* secundum generalia legis verba agendo, fieret aliquid contra rectam rationem, vel contra bonum commune. Nam lex nunquam obligare potest ad aliquid irrationabile, vel noxium bono communi. *2do:* Quando evidens est, non poſse in tali casu servare legem, sine gravi damno, cum quo constat legem non obligare. Nam tunc certo, & prudenter judicamus legislatorem in tali casu nolle obligare. Sic mulier non tenetur die festo Sacro intereſse, dum id facere nequit sine gravi honoris jactura. *3tio:* Cum manifestis constat indiciis legislatorem noluiſse casum hunc, etsi licitum, & non ita difficilem, lege sua compræhendere. In his autem casibus, et si res moram patiatur, ad Superiorem recurrere neceſse non est, quia ut inquit S. Thomas Doctor 1. 2dæ quest: 96. art. 4. *in manifestis non est opus interpretatione.* Quodsi dubium sit an legislator istum casum comprehendere voluerit, oportet vel Superiorem consulere, si res moram petitur, vel si res urget, secundum verba legis agere, cum scilicet omnibus perpensis, ac consideratis, adhuc manet dubium an lex hoc, vel illud imperet.

Quæres 3tio: Quænam sunt regulæ aptæ ad recte faciendam doctrinalem legis interpretationem?

Resp: Potiores istæ afferri solent. *1ma:* In omni lege ſpectanda est verborum proprietas, & usitata illorum acceptio, in re autem dubia melius est verbis edicti servire, si nihil obsit, idest, si nec ſensus tunc fiat absurdus, nec lex inutilis reddatur, ac illusoria, tunc enim à verborum proprietate, recedendum eſset. Quodsi legis verba sint æquivoca, ambigua, eorum significatio sumenda est ex circumstantia, & materia legis, atque etiam ex aliis legibus, in quibus eadem verba, vel similia, in tali, vel tali sensu uſurpantur, ſed præsertim ex fine legis intelligenda ſunt.

2do: Lex favorabilis, quæ nulli præjudicium affert, intelligi debet juxta id vulgatum *favores ampliandi sunt*, unde quod de filiis dicitur, ad nepotes etiam, filios legitimatos, adoptivos extendi debent, quia illi etiam in jure nomine filiorum intelliguntur. Lex veró odiosa, quantum

tum verba sinunt, stricte intelligenda est, juxta illud: *odia convenit restringi*, unde per filios in onerosis intelligi non debent filiæ, licet filiorum nomine etiam filiæ nepotes exprimantur. Sed hic notandum est, inter odiosa reponi debere illa, quæ favent quidem cupiditati, ac elationi privatorum, sed pugnant contra communes leges, & communi bono adversantur, unde stricte est interpretanda dispensatio, quia per illum vulnus legibus infertur.

3tio. Si de mente legislatoris constet, ei standum est, etiamsi verba legis aliud significent, quia non sermoni res, sed rei debet sermo esse subjectus.

4to: Generaliter loquendo, lex ad casum in ea non comprehensum extendi non debet, ob identitatem rationis, quia licet par, aut etiam major ratio movere potuerit legislatorem ad statuendum in uno casu, quod in alio simili statuerat, non sequitur quod id de facto statuerit, unde tritum id: *In jure positivo non licet argumentari â paritate rationis.*

Attamen ob paritatem rationis ab uno ad alud legitime concluditur. *1mo:* In correlativis, unde quia vir & uxor correlativa sunt, si eximitur vir ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, uxor etiam eximitur ab obligatione illud redendi viro adultero. *2do*: In æqui paratis, unde quia electio, postulatio, præsentatio par æquiparantur in jure, lex quæ aliquid statuit circa unum, idem statuere censetur circa aliud, in his in quibus æquiparantur. *3tio*: In connexis, atque etiam in iis, quæ sub altero continentur, ut pars sub toto, imperfectum sub perfecto, unde ii, quibus lex permittit ut testamentum faciant, permittit etiam ut faciant codicillum.

Quæres 4to: Quando lex cessat?

Resp: Lex cessat. *1mo:* quando propter mutationem circumstantiarum facta est bono communi inutilis vel etiam noxia. Nam lex omnis necessaria bono communi utilis, & proficua esse debet. *2do*: Quando respectu communitatis in perpetuum cessat tota, & adæquata ratio illius, seu causa finalis propter quam constituta fuit. Nam lex cessat, cum fit inutilis, & ad bonum commune nihil conducit. Porro lex fit inutilis, & ad bonum commune nihil confert, cum tota illius cessat ratio, atque causa finalis adœquâte desinit. Ergo & ipsa per se cessat, ac desinit obligare. Quodsi lex propter varia motiva, rationesque constituta fuerit, cessante una ratione, altera subsistente, lex non cessat, sic exg. si Episcopus præcipiat jejunium

ad

ad pacem, & aeris serenitatem obtinendam, non cefsat jejunium licetsi aeris serenitas obtenta fuerit, si bellum ferveat.

Sed etiam ut lex cefset oportet ut tota ipsius ratio in perpetuum cefset, si enim ad tempus solum cefset, tunc lex ipsa, non censetur cefsare, ſed ad tempus solum illius obligatio ſuspenditur. Tandem ratio legis debet cessare respectu totius communitatis, quare non ſufficit si cefset respectu alicujus tantummodo privati. Hinc cum prohibet Ecclesia ne Hæreticorum libri legantur propter periculum perversionis, hi libri nequidem legi pofsunt ab eo, qui tam tenax est avitæ fidei, ut certo sciat mala hac lectione se non efse pervertendum. Quia alioqui finis legis efficaciter obtineri non pofset, unusquisque enim facile sibi blandiretur, aut audenter præsumeret, se in iis circumstantiis non reperiri, in quibus lex obligat. Porro ut cefset lex cujus causa & ratio totalis adæquate desiit, non est expectanda legislatoris declaratio, quia statim ac certo constat de omnimoda, & generali legis inutilitate, certum est eam non amplius obligare pofse.

Quæres 5to: Quid sentiendum de abrogatione legis?

Resp: Legem humanam abrogari pofse indubitatum est, quia sicut ex libera legislatoris voluntate nascitur, ita per eam annihilari potest. Gravis tamen requiritur causa ut lex semel juste condita tollatur, scilicet maxima ac evidentifsima utilitas, vel necefsitas. Sed leges inferioris, cum fuerint à Superiore ipsius confirmatæ, aliquando pofsunt ab illo abrogari, aliquando non pofsunt. Pofsunt quidem, si confirmatio facta sit in gratiam inferioris legislatoris, ut legibus ejus splendor quidam accederet. Non pofsunt autem, si lex confirmata, authoritate illius obligat, â quo confirmata est, atque alias non obligaret, nisi ab ipso confirmata efset.

Multis autem modis lex humana abrogari potest. *1mo:* consvetudine, sic lex non manducandi nisi semel in die jejunii, per conſvetudinem sumendæ collaciunculæ abrogata fuit. *2do*: Voluntate Principis, Superioris, sive aliquam ferat legem præcedenti oppositam, sive nullam novam legem ferat, ſed antiquam tantum revocet.

ARTICULUS

ARTICULUS 2dus

De dispensatione legis humanæ.

Quæres 1mo: Quid, & quotuplex est dispensatio?

Resp: Dispensatio est relaxatio legis legitima authoritate quibusdam personis concessa, pro casu in quo lex alioqui obligaret.

Dispensatio dividitur, 1mo in *totalem*, quæ omnino aufert obligationem legis, ut cum irregularis dispensatur ad omnes ordines: & *partialem*, quæ solum ex parte obligationem relaxat. 2do: In *expressam* & *tacitam*. Dispensatio expressa ea est, quæ verbis vel signis Superioris voluntatem satis manifestantibus conceditur. Dispensatio tacita est ea, quæ licet in se, & directe non concedatur, conceditur tamen in alio, quod sine dispensasione fieri non potest. Sic Superior qui scit Petrum exg. esse irregularem, præcipiendo ei ut Ordines suscipiat, censetur cum ipso in irregularitate dispensare.

Quæres 2do: An ad dispensationem sufficiat ratihabitio futura, seu præsumpta voluntas Superioris qui probabiliter judicatur dispensaturus si sciret, vel gratum habiturus cum sciet, licetsi modo nec sciat, nec velit?

Resp: Istiusmodi futuram ratihabitionem atque præsumptam Superioris voluntatem ad dispensationem non sufficere. Quia quemadmodum Superioris præsumpta voluntas aliquid præcipiendi, non inducit obligationem illud faciendi, ita etiam præsumpta Superioris voluntas dispensandi, & à legis vinculo quempiam solvendi, illum actu à vinculo legis non solvit. Certe communi sensu aliud est concedo, dispenso, relaxo, aliud verò concederem, dispensarem, relaxarem, si scirem, si id a me peteretur. Primum ergo ad dispensationem necessarium est, secundum non sufficit.

Attamen sunt nonnulli casus in quibus ex usu communi, sufficere potest præsumpta Superioris voluntas. Sic Religiosus potest de pecunia dispenere, emendo librum quem fortuito invenit & cujus emptionem à Superiore improbandam non esse, certo cognoscit.

Pari etiam modo, cum Superior videt e subditis suis quempiam contra leges agentem, & non contradicit, cum facile, & sine incommodo contradicere posset, istiusmodi taciturnitas, ac Superioris silentium pro dispensatione haberi nequit. Quia ad dispensationem requiritur Superioris

ris voluntas actualis, & conceſsiva, nec ſufficit mere permiſsiva, ac negativa, qualis est in eo qui tacet. Præterea ſæpe fieri potest, ut Prælati silentium oriatur ex negligentia, nimiaque pusillimitate, adeoque non præsumitur tunc dispensare velle.

Quæres 3tio: Quis dispensare potest?

Resp: Potestas dispensandi duplex est: alia ordinaria, alia delegata. Ordinaria est illa, quæ alicui competit ratione officii, ſeu ex vi muneris, quod gerit. Delegata est ea, quæ habetur ex conceſsione, & commiſsione illius qui habet ordinariam dispensandi facultatem. Et hæc vel conceditur à jure, vel datur ab homine. Si datur à jure transit in ordinariam eque æquiparatur. Si ab homine hæc proprie est delegata.

Ordinariam dispensandi potestatem habet, *1mo:* Legislator ipse in suis, prædeceſsorum, ac inferiorum legibus, quia ad hæc omnia ſufficiens, ac neceſsaria competit illi authoritas, parem siquidem habet potestatem cum ſuis prædeceſsoribus, majorem inferioribus, & sibi ſubordinatis, ac quæ ipse constituit, hæc etiam abrogare valet. Hinc Romani Pontifices dispensare poſsunt in omnibus quæ ſunt Juris pure Ecclesiastici, in legibus ſuorum Anteceſsorum, in Ordinationibus Conciliorum etiam generalium. Et id constat ex continua Ecclesiæ praxi, ac uſu quotidiano.

2do: Inferiores verò in legibus ſuorum Superiorum ordinarie diſpensare nequeunt. Namque dispensatio est jurisdictionis exercitium. Porro inferior nullam habet jurisdictionem in leges ſui ſuperioris. Ergo in illis dispensare nequit. Et hoc verum est, etiamsi Superior legem à ſe latam sibi expreſse ad dispensandum non reservaverit. Quia inferior Superioris ſui jura immutare nequit sine illius conſensu, & facultate, hanc verò Superior non censetur eo ipso inferiori concedere, quod legem à se latam sibi ad dispensandum non reservaverit, cum eo ipso quod à Superiore lata sit, facultas in ea dispensandi inferiori adempta est. Hinc multæ ſunt irregularitates, & inhabilitates jure communi constitutæ, in quibus Episcopi dispensare non poſsunt, quia id eis jure non est permiſsum, licetsi expreſse non fuerit prohibitum.

Verum tamen aliquando etiam inferior in lege Superioris dispensare potest, & quidem, *1mo:* Cum jus commune, quod est ſupremæ authoritatis, id permittit, sive expreſse, ut cum Concil. Trident. Seſs, 24, Cap. 4. concedit

cedit Episcopis ut dispensent *in irregularitatibus omnibus, & ſuspensionibus, excepta ea. quæ oritur ex homicidio voluntario,* sive etiam implicite, cum jus non designat in singulari dispensatorem, & dispensare permittit, quia tunc verba, quibus permittitur dispensatio, neceſsario diriguntur ad Episcopos, cum non dirigantur ad Papam, qui hac licentia non indiget ad dispensandum.

2do: Quando urget neceſsitas dispensationis, & ad Superiorem difficillime recurri potest. Hinc Episcopi dispensare poſsunt in generalibus Ecclesiæ legibus, exg. in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii dirimentibus maxime jam contracti, aut contrahendi, in votis Papæ reservatis, cum Romanus Pontifex, aut qui vices ejus gerit, nonnisi difficillime adiri potest, ob locorum nimirum distantiam, paupertatem eorum, qui dispensatione indigent, & est periculum in mora, infamiæ, scandali, sive gravis alterius mali.

3tio: Cum prudens occurrit dubium an dispensatio sit neceſsaria, in tali siquidem caſu poſsunt Episcopi dispensare in iis quæ jure communi constituta ſunt, aut Papæ reservata. Quia sicut vota non reservantur Papæ, si de iis prudens occurrat dubium, sic nec leges Superiori reservantur, cum dubium est an indigeant dispensatione.

Quæres 4to: Quid de iis dicendum est, qui delegatam habent dispensandi potestatem?

Resp: De iis hæc communiter traduntur. *1mo*: Qui potestatem dispensandi ordinariam habent, eam aliis delegare poſsunt, ut ipsa utantur juxta formam ab ipso præscriptam. *2do:* Delegatus, si potestatem pure delegatam habet, non potest eam ſubdelegare. Excipiuntur tamen *1mo*: Delegatus Papæ, et cujuslibet Principis qui ſuperiorem se non habet, is enim in his quæ sibi prohibita non ſunt, alium ſubdelegare potest, non sic tamen ut huic concedat facultatem ulterius ſubdelegandi. *2do*: Delegatus ad universitatem causarum in aliquo genere, aut loco, potest unam, alteramve causam alteri committere, ſed non universitatem causarum ſubdelegare. *3tio:* Delegatus, cui delegans permiserit expreſse, aut tacite alium ſubdelegare, id facere potest.

Quæres 5to: Quinam poſsunt à legibus dispensari?

Resp: A legibus ii ſolum dispensari poſsunt, qui ſubsunt jurisdictioni dispensantis. Dispensatio namque est jurisdictionis actus, qui nonnisi in ſubjectos exerceri potest.

Quæ-

Quæres 6to: An dispensatio sine causa sit licita?

Resp. Dispensatio sine rationabili causa concefsa, illicita est. Quia talis dispensatio imprudens est, & irrationabilis, siquidem à communi onere eum eximit, qui non est eximendus, adeoque includit vitium acceptionis personarum, & alios qui ſub lege existunt, querelis exponit, unde merito ſcripsit S. Bernardus libro 3. de Consid. Cap. 4. istiusmodi dispensationem, potius eſse crudelem diſsipationem. Quare qui sic etiam in legibus ſuis dispensat, si materia sit gravis, graviter peccat, quia contra obligationem officii ſui, contra bonum commune agit, lædit etiam charitatem proximi, præbendo occasionem peccandi bene multis, qui putant idem sibi licere, quod aliis permittitur, quos absque ulla urgente causa ab observandis legibus dispensatos eſse vident. Si vero legis materia levis sit, aut leviter ſolum præcepta, qui sine rationabili causa dispensat, per se loquendo, leviter ſolum peccat. Verum qui dispensationem male datam non revocat, tamdiu peccat, quamdiu eam non revocaverit.

Quæres 7mo: Quid dicendum de eo qui sine rationabili causa dispensatus est?

Resp: Qui sine legitima causa dispensationem obtinet, peccat. *1mo:* Eam petendo, quia dispensantem inducit ad peccatum. *2do:* Eam etiam ultro oblatam acceptando, quia peccato Superioris cooperatur. *3tio:* Ea utendo, etiam cum valida est, etsi enim tunc legem humanam non violat, quia per dispensationem ab ea ſolutus est, ſed violat legem naturalem, quæ præcipit ut pars communitatis sine urgente causa non discordat à tota communitate. Hujus autem peccati gravitas, à materiæ gravitate pendet. Non peccat tamen qui bona fide existimat se legitimam habere causam petendæ dispensationis, aut qui dubius, an ſufficientem habeat, totum ejus examen Superiori relinquit, & ejus judicium expectat.

Quæres 8vo: Sed estne etiam invalida dispensatio quæ sine causa datur?

Resp: Dispensatio sine legitima causa data, valida est, si concedatur à legislatore in propria lege, aut ab ejus ſuperiore, vel æquali. Quia lex vim totam à legislatoris voluntate habet. Ergo sicut potuit legem non condere, aut eam sine causa etiam tollere, abrogare, statim ab initio decernere, ut hos tantum, non illos obliget, obstringatque, ita poterit etiam sine causa quos voluerit

luerit ab ejus obligatione eximere. Valida ergo est talis difpensatio, fed illicita, & peccaminosa.

Si verò dispensatio concedatur ab inferiore in lege Superioris, vg. á Papa in votis, juramentis, quæ funt de jure divino, aut ab Episcopis in legibus jure communi ab Ecclesia constitutis, cui inferiores funt Episcopi, invalida, & illicita est. Quia fuperior non censetur dare inferiori potestatem imprudenter, & sine causa dispensandi. Hinc inferior qui scienter in lege fuperioris sine causa dispensat, peccat mortaliter, cum lex ex natura fua fub mortali obligat, nec minus graviter peccat qui sciens & volens istiusmodi dispensationem sine legitima causa follicitat. Imo etsi dispensans, qui dispensationem sine causa concedit, ob bonam fidem à peccato aliquando excusari pofsit, haud tamen excusatur dispensatus, qui sciens se nullam habere legitimam causam, dispensationem petit, aut illa obtenta utitur, quia invalida est, & illicita.

Quæres 9no: Quæ sunt legitimæ dispensationis causæ?

Resp: Non potest una aliqua generalis regula definiri, quæ vel qualis requiratur aut sufficiat causa ad difpensandum, sed habenda est ratio temporis, utilitatis, necefsitatis, meriti & conditionis personarum. Hic tamen pro certo supponi potest. *1mo.* dispensandi causam non debere efse tantam ut per se sufficiat ad tollendam legis obligationem, quia tunc non est opus dispensatione, sed tantum interpretatione legis. *2do:* Causam justam non consisti in indivisibili, adeoqué Superioris efse quibusdam totum legis onus remittere, quibusdam solum partem, quibusdam aliud onus imponere, minus tamen ipso legis onere, alioqui non efset dispensatio. *3tio:* Caufam dispensationis eo debere efse graviorem, quo gravioris est momenti lex in qua dispensatur. *4to*: per dispensationem infligi vulnus legi, adeoqué necefse est, ut vulnus illud alterius boni accefsione compensetur. *5to:* communiter dispensationis causæ afferri folent, necefsitas, pietas & utilitas communis & non privata: verum id propter communem utilitatem, non autem privatam factum efse censetur, quod ita fit propter rationabile bonum privatæ personæ, ut in aliorum damnum non cedat. Quia exigit bonum commune, ut superior privatorum bonum procuret quantum id fieri potest absque jactura boni communis.

Quæres 10mo: Quæ dispensationem irritare solent?

Resp: Jlla, quæ dispensationem irritam faciunt, alia

se

se tenet ex parte dispensantis, alia ex parte petentis dispensationem. Ex parte dispensantis, irritam faciunt dispensationem defectus iurisdictionis ac potestatis, cum qui dispensat, vel potestatem dispensandi non habuit, vel carebat jurisdictione in illum cum quo dispensaverat. Ex parte veró petentis dispensationem, *subreptio*, & *obreptio* irritas reddunt dispensationes *Subreptio* est, cum reticetur veritas, quæ exprimi debet in petitione. *Obreptio* est, cum narratur falsum. Unde patet dispensationem subreptitiam eſse quæ obtenta est per reticentiam veri, obreptitiam quæ obtenta est per narrationem falsi.

Porró causa obtinendæ dispensationis, quæ in petitione allegatur duplex est. Alia *motiva seu finalis*; quæ principaliter movet ad concedendam dispensationem ita, ut illa sublata dispensatio vel nullo modo, vel nonnisi cum quibusdam conditionibus, limitationibus, concederetur. Alia est causa *impulsiva*, quæ licet principaliter, & quasi ab intrinseco non determinat dispensatorem, efficit tamen ut facilius concedatur dispensatio, quæ tamen eodem pacto, & forma, licet multo difficilius concessa fuiſset. Sic si vir infirmus, doctus, & pius petat ut à jeiunii lege eximatur, infirmitas est causa motiva, doctrina ac pietas causa impulsìva.

Quæres xxmo: Quando subreptio, aut obreptio irritam faciunt dispensationem?

Resp: Non omnis subreptio aut obreptio irritam faciunt dispensationem. Quia multa sunt vera, quæ si reticeantur, vel falsa quæ etsi in petitione dispensationis exprimantur, dispensationem non vitiant. Sic exg. licet taceatur quod petens dispensationem ebrietati deditus, aut falso narretur, quod sit vir doctus, id dispensationem non irritat. Tunc ergo solum subreptio, aut obreptio irritant dispensationem, cum tacetur veritas quæ de jure, ac consvetudine & usitato stylo in petitione exprimi debent, aut allegatur falsum cujus expresio est causa motiva ac finalis ob quam dispensatio datur, alias non danda. Quia tunc dispensans non vult dispensare, & siné eius voluntate dispensatio eſse nequit. Hinc irrita est dispensatio. *xmo*: si unica adferatur causa motiva ac finalis, & hæc falsa sit. Quodsi duæ adferantur causæ, una motiva & finalis, quæ vera est, altera impulsiva & falsa, tenet dispensatio, quia sola finalis & motiva principaliter attenditur, & hæc sola ad obtinendam dispensationem ſufficit.

2do:

2do: Si duæ, vel plures causæ allegantur & nulla ex illis per se solam ad obtinendam dispensationem sufficit, sed ex his pluribus una sufficiens integratur, non valet dispensatio, si aliæ sint veræ, aliæ autem falsæ. Quodsi ex pluribus causis quæ allegantur, unaquæque ad obtinendam dispensationem sufficiens sit, tenet dispensatio etiamsi aliqua ex illis falso proposita sit.

3tio: Irrita est dispensatio, cum quis vinculum, cujus relaxationem petit, proponit ut dubium, cum sit certum *exg:* votum castitatis proponit ut dubium, cum sit certum, quamvis interim veram alleget petendæ dispensationis causam, quia falsum allegatur in substantia rei.

Quæres 12mo: An cessante dispensationis causa, cesset etiam ipsa dispensatio?

Resp: Nulla est dispensatio si ejus causa finalis non subsistat tempore quo ipsa conceditur, & exequitur. Quia dispensans non censetur velle dare dispensationem, nisi causa finalis dispensationis subsistat, & mandatum ad exequendam dispensationem cessat, cum illius causa principalis desinit. Quare in dispensationibus semper ista apponitur clausula. *Si præces veritati nitantur.* Si veró dispensatio iam executioni mandata est, *exg.* ab irregularitate dispensatus iam ordinatus, cessante causa dispensationis, non cessat dispensatio, quia impedimentum, ac vinculum semel sublatum, non amplius redit.

Quodsi dispensatio respiciat actus successivos & divisibiles, etiam executioni mandata, & usu confirmata, si causa illius finalis cesset, ipsa etiam dispensatio desinit, *exg.* a ieiunio quis pro-semper dispensatus fuit, quia infirmitas ejus putabatur esse perpetua, si de infirmitate convaluerit, jeiunare tenetur, quia quemadmodum lex jeiunii singulas respicit dies, ita & dispensatio à jejunio data, illis ergo diebus dispensatus jejunare tenetur, pro quibus non subsistit causa finalis datæ dispensationis.

Quæres 13tio Utrum dispensatio cesset per mortem dispensantis?

Resp: Dispensatio per mortem dispensantis non cessat, & id patet ex praxi quotidiana. Mandatum equidem ac literæ justitiæ, morte concedentis expirant cum res adhuc est integra, & delegatus necdum uti cæpit jurisdictione sibi concessa, sed rescripta, quibus vel gratia quæpiam actu conceditur, vel jus certum ad eam acquiritur, morte concedentis non cessant, nequé expirant.

 Qua-

Quare facultates illimitate concefsæ, extra jurisdictionem contentiosam, quales sunt facultates audiendi Confefsiones, absolvendi à censuris, & casibus reservatis, eligendi sibi Confefsarium, commutandi vota, juramenta, in iisdem dispensandi, celebrandi Mifsam in domo privata, aliæqué id genus gratiosæ concefsiones, non expirant morte concedentis.



TRACTATUS
DE
PECCATIS
CAPUT PRIMUM
De natura, causisqué peccati.

ARTICULUS 1mus.
De natura peccati.

Quæres 1mo: Quid sit peccatum?

Resp: Peccatum definitur à S. Augustino libro 22. contra Faustum cap: 27. *Factum vel dictum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* A Theologis verò satis communiter & bene definitur. *Transgreſsio legis libera.* Ea enim definitio ita explicat naturam peccati, ut omni & soli conveniat peccato, sivè *commiſsionis*, sivè *omiſsionis*, sivè *mortali*, sivè *veniali*.

Quæres 2do: Quotuplex est peccatum?

Resp: Peccatum multiplex est, aliud *originale* quod ex primo Parente nostro ipsa origine, ſeu conceptione contrahitur, aliud *personale*, quod propria peccantis voluntate committitur. Personale verò aliud est *actuale*, & est actus vel omiſsio legi contraria, aliud *habituale*, ac ipsum est actuale peccatum moraliter continuatum ac perseverans.

Peccatum personale ſubdividitur in *mortale*, & *veniale*, *commiſsionis*, & *omiſsionis*. Peccatum *mortale*, est gravis legis transgreſsio, gravem proinde in se continet culpam, estqué gravis Dei offensa: è çontrario peccatum *veniale* est levis transgreſsio legis, ac propterea levem tantummodo in se continet culpam, ac nonnisi leviter Deum offendit. Peccatum *commiſsionis* est actus positivus, con-

contra legem prohibentem factus. Peccatum *omifsionis* est omifsio actus lege præcepti *exg.* non audire Mifsam die festo.

Denique aliud est peccatum *capitale*, quod non folum ipsum per se est peccatum, sed & aliorum peccatorum fons, & radix; veluti superbia, avaritia: & *non capitale*, quod ex capitali profluit peccato, & quasi filia ejus censetur, sic præsumptio, est filia fuperbiæ, cordis obduratio, filia avaritiæ.

Quæres 3tio: Quæ requiruntur ad peccatum?

Resp: Ad peccatum duo requiruntur, *advertentia* fcilicet ex parte intellectus, & *liber consensus* ex parte voluntatis, si hæc desit, aut unum illorum deficiat, peccatum non erit.

Quæres 4to: Quid, & quotuplex est advertentia?

Resp: *Advertentia est consideratio actus qui fit ab homine scilicet cum homo considerat, & attendit ad ea quæ facit, aut facere tenetur.*

Advertentia multiplex est. *1mo:* enim ratione obiecti alia est ad actum materialiter, & physice fumptum, ut cum quis *exg.* advertit quidem se carnem comedere, non advertit tamen id à se fieri die jejunii; alia est ad actum moraliter fpectatum, ad malitiam videlicet ipsius, ut cum reflectit se carne vesci die jejunii. Sed in his quæ intrinsece mala sunt, ut malitia actionis advertatur, fufficit ut consideretur ipsa actio secundum se fpectata, feu ut quis advertat quid agat. Nam hoc ipso, si considerate, & sinè precipitatione agatur, facillime excitari potest advertentia malitiæ, quæ cum actione intrinsecam habet connexionem. In iis verò quæ non funt per se mala, sed vetita folo jure positivo, non femper fufficit, ipsam actionem secundum se considerare, ut malitia ipsius advertatur, quia intrinsecam cum ipsa non habet connexionem.

2do: Ratione modi, alia est advertentia *formalis* & actualis, alia *virtualis* & implicita, quæ etiam interpretativa dicitur. Advertentia *formalis*, & actualis illa est, qua, quis quidpiam mali faciens, actu, & de facto advertit illud efse prohibitum, ac illicitum. Advertentia *virtualis*, ac interpretativa ea est, cum quis mali quidpiam faciens advertifset id malum efse, nisi ex culpabili negligentia attentionem alio divertifset, ipseque in causa fuit, quod actu non adverterit id malum efse quod ab ipso fiebat. Quare ut quis censeatur habuifse, ac habere adverten-

tentiam virtualem, ac interpretativam, non est necefse, ut facienti actionem peccaminosam insit dubium, fcrupulus, vel fuspicio peccati, sed fufficit, ut actionem quæ mala est ponat, cum advertere potest ad malitiam ejus, ad quam tamen non advertit, sivè ob pravum habitum, aut pafsionem qua abripitur, sivè quia asvetus est omnia cæco modo sine ulla consideratione peragere.

3tio: Ratione perfectionis, alia est *plena*, cum agens ita sibi præsens est, & sui compos, ut rem consideret, quantum satis est ut actio humana efse censeatur; alia *semiplena*, cum fomnus, distractio, aliudve impedimentum efficit, ne homo tantum consideret, quantum necefse est, & sufficit.

Quæres 5to: Qualis ad peccandum advertentia sufficit?

Resp: Ad peccandum non requiritur advertentia actualis, aut actuale dubium, sivè fuspicio peccati, fed fufficit advertentia virtualis, & interpretativa, cum quis potuit & debuit advertere actionem suam efse malam. Enimverò dantur peccata ex ignorantia, & errore culpabili. Porrò in iis peccatis, non solum nulla adest actualis ad malitiam actus advertentia, nullus fcrupulus, fuspicio peccati vel dubitatio, fed etiam persvasio licet falax, istiusmodi actionem efse bonam & laudabilem. Si ergo homo peccat, male agendo, quamvis ex ignorantia, errorequé culpabili persvasus sit se bene agere. Ergo ut peccet, non est necefse ut actu advertat se male agere. Certè si ad peccandum requiratur actualis peccati consideratio, & ad malitiam ejus advertentia, multi fceleribus dediti, qui iniquitatem sicut aquam bibunt, & quos excæcavit malitia eorum, non peccabunt, immania quæcunqué peccata, abiecto Dei, & hominum timore, sine fcrupulo imo tranquilla conscientia perpetrando, atqué tanto minus peccabunt, quanto minorem peccando remorsum patientur. Porrò hoc ipsi rationi adversatur, cum æquum non sit, ut peccatores per voluntariam sui excæcationem impeccabilitatis acquirant privilegium. Ut ergo peccatorum fuorum vere rei sint, ac culpabiles, sufficit quod pofsint ac debeant attendere ac animadvertere ad fcelera quæ ipsi perpetrant.

Dices: Ergo inadvertentia non excusat à peccato?

Resp: Inadvertentia inculpabilis excufsat à peccato, illa fcilicet quæ oritur ex causis naturalibus, & involuntariis, qualis est distractio, oblivio, aut similis causa natura-

tura-

turalis quia cum istiusmodi causæ non sint in nostra potestate, advertentia tunc non est nobis poſsibilis, unde inadvertentia in talibus casibus excusat à peccato, quare qui ex naturali ſubreptione mentitur, ex oblivione Horas canonicas recitare omittit, nullius peccati reus est. Sed inadvertentia culpabilis, quæ oritur ex causis voluntariis, non excusat à peccatis, & talis est, quæ provenit ex habitu & asvetudine ad aliquem actum pravum, qui propterea nobis etiam non cogitantibus fit ex paſsione toties experta, & non coercita, tum & illa quæ ex inveterata negligentia omnia cæco ac inconsiderato modo agendi profluit, namqué talis inadvertentia, quoniam in ſuis causis voluntaria est, & maxime culpabilis, non excusat à peccato.

Hinc impudici, blasphemi, maledici, periuri, & alii id genus qui obscena & mendacia verba, sine consideratione, sine remorsu plenis faucibus effundunt, perperam sese ſua inadvertentia excusare conantur, cum ſubreptio hæc caveri poſsit, & aliunde voluntaria sit in causa. Qui tamen malam qua ligatur consvetudinem per pænitentiam retractavit, & adhibendo remedia à prudenti Confeſsario sibi tradita, ſerio ac diligenter conatur impedire, ne habitus erumpat in actus vetitos, reus non est, si quid sibi in cauto mali excidat, quia talis actus nec voluntarius est in causa, cum mala consvetudo iam sit retractata, nec in se, utpote ex oblivione quadam naturali obveniens. Verumtamen, qui in actus ex se graviter peccaminosos, blasphemias, *exg.* aut obscena verba prolabuntur, debent hæc confiteri, iisqué non levis pænitentia imponenda est, tametsi aſserant se illa sine ulla advertentia protulisse. Quia in re tam gravi non facile pænitentibus est credendum, qui ſæpius sibi blandiuntur, & vix contingere potest ut quædam non adfuerit advertentia, vel advertendi negligentia.

Quæres 6to. Plena advertentia estne ad peccandum neceſsaria?

Resp: Ad peccatum mortale requiritur advertentia plena, & perfecta, imperfecta, & ſemiplena non ſufficit, etiamsi sit materia gravis. Quia peccatum est grave malum, æternis hominem obnoxium facit ſuppliciis, ea igitur ad illud requiritur consideratio, atqué advertentia, quæ neceſsaria est in rebus maximi momenti. In his autem non ſufficit illa, quæ similis est ei, quam habent semidormientes aut qui mente ita distracti sunt, ut vix ad actionem ſuam attendere reputentur. Ergo imperfecta, &

& semiplena advertentia ad peccatum mortale non ſufficit.

At inquies. Qui imperfecte considerat, potest plenius consïderare. Ergò si materia sit gravis, peccat graviter.

Resp. Sæpe contingit, ut tanta sit ſubreptio, ut vix, ac ne vix quidem poſsit hic & nunc mens amplius, ac plenius attendere, & quamvis plenius forte attendere poſsit, hæc potentia tam levis est, ac modica, ut ad mortale non sufficiat. Patet id in viris timoratis, qui aliquando ita distrahuntur, ut quid dixerint, vel cogitaverint, vix ſciant. Ii ergo & tunc ſolum peecato ſubiacent, penes quos, & quando est, ut plenius, & perfectius advertant.

Quœres 7mo: Quid sit, & quotuplex consensus?

Resp: Est acceptatio & complacentia voluntatis in eo, quod ab intellectu proponitur.

Consensus dividitur *1mo: in positivum* & *negativum. Positivus* est, quo voluntas expreſse approbat & acceptat id, quod ab intellectu est propositum. *Negativus* quo voluntas nequé approbat, nequé reprobat id, quod ab intellectu ei proponitur. *2do.* in *plenum* & perfectum, ac *semiplenum*, & imperfectum. *Plenus* ac perfectus est cum voluntas totaliter & plene approbat, & acceptat id, quod ei ab intellectu proponitur. *Semiplenus*, ac imperfectus, cum voluntas, non totaliter adhæret, approbatqué obiectum ab intellectu propositum, sed ex parte ad illud inclinatur, ex parte ab eo avertitur. *3tio: in efficacem*, & *inefficacem. Efficax* est, cum voluntas ita quidpiam approbat, & acceptat, ut illud exequi statuat, sive deinceps reipsa exequatur, sive non. *Inefficax* est, cum voluntas delectatur quidem eo, quod intellectus ei proponit, ſed sine ulla operis exequendi intentione, atqué istiusmodi complacentia, delectatio morosa dicitur, non à mora temporis, quia uno instanti peccatum etiam graviſsimum perfici potest, sed à mora deliberationis, cum delectatio ac complacentia hæc, postquam illam voluntas sensit, & animadvertit, non repellitur, neque cohibetur.

Quœres: 8vo: Qualis consensus ad peccatum prœrequiritur?

Resp: Ad peccatum requiritur deliberatus voluntatis consensus, quia ut docet S. Augustinus: voluntas est qua peccatur, & sensus non nocet, ubi deest consensus. Non est verò necesse ut voluntas intendat ipsam malitiam actus, velitqué rem malam, ut est mala, hoc enim potius diabolicum est, qui malo delectatur ut est malum, sed ſufficit.

ficit ut voluntas velit rem, quam cognoscit, & advertit aut advertere ac cognoscere potest & debet esse malam, atque prohibitam.

Jam verò ad peccatum mortale non qualiscunque sufficit consensus, sed requiritur plenus, cum plena advertentia à voluntate datus. Unde nonnunquam contingit, ut peccatum etiam in materia gravi, ex defectu sufficientis consensus, non sit, nisi veniale.

Quæres 9no: Quibus indiciis cognosci possit an quis peccato consensit, cum ipse dubitat an consenserit, an non?

Resp: Quatuor afferri solent regulæ. *1ma:* Non præsumitur consensisse peccato, qui ita habitualiter dispositus est, ut mori malit quam fædari, unde si quam forte in repellenda dæmonis suggestione admiserit negligentiam, hæc graviter culpabilis censeri nequit. Aliter judicandum de homine peccatis asveto. Quia in dubio prudens præsumptio petitur à communiter contingentibus. Porrò communiter evenit, ut vir pius, & timoratus non consentiat sine remorsu, qui non permittit illum de consensu dubitare, si reipsa consenserat, & vir pravus, peccatis asvetus non resistat sine pugna, & conflictu, qui non sinit dubitare de resistentia. Animi verò dolor, tristitia, quæ peccatum consequitur, non est signum imperfecti, & semipleni consensus, sed tantum mutatam denotat voluntatem.

2do: Qui dubitat, an vigilans, an dormiens, an sui compos, an impos quidpiam fecerit, iudicatur non satis advertisse, aut non plene consensisse. Qui enim vigilat satis sentit se vigilare, & qui cum plena deliberatione aliquid vult, vel facit, communiter de hoc certus est, & non facile potest dubitare, nisi mora temporis, aliquam induxerit oblivionem.

3tio. Qui facile malum quod cogitat exequeretur si vellet, potius censetur non consensisse, quam qui malum exequi non potuit.

4to: Qui loquitur, tangit, oculos in eundem locum non fortuito, sed iterum coniicit, potius ille præsumitur consensisse, quam qui diu cogitationem volvit animo, aut corporis motus sensit, exteriores enim motus, qui ab homine pendent, non fiunt à renitente, interioribus autem despotice voluntas non imperat. Quia tamen hæ regulæ deficere in multis casibus possunt, idcirco qui dubitat an consenserit peccato, an non, dubium hoc confiteri tenetur.

Quæres 10mo: Quæ excusant à peccato?

Resp:

Resp: Illa omnia excusant à peccato, quæ tollunt voluntarium & liberum, quia peccatum eſse nequit, nisi sit voluntarium & liberum. Quare ignorantia, metus, vis, paſsio, quia nonnunquam tollunt vel saltem minuunt voluntarium, & liberum, nonnunquam etiam excusant à peccato, vel illud minuunt.

Quæres xxmo. Quæ ergo ignorantia excusat â peccato?

Resp: Ignorantia invincibilis excusat a toto peccato, quia voluntarium prorsus tollit, ac proinde impedit debitam advertentiam, omnemqué excludit. Porró censetur eſse ignorantia invincibilis cum quis ut rem sciret sufficientem adhibuit diligentiam, nec tamen scire potuit. Ut verò censeatur aliquis ad rem sciendam adhibuiſse diligentiam sufficientem, sufficit ut id faciat totum, quod viri pii, & timorati communiter facere solent.

Quæres xxmo: An ignorantia vincibilis ita minuat peccatum, ut veniale faciat id, quod alioquin eſset mortale?

Resp: Quod fit ex ignorantia vincibili, tale est peccatum, qualis est negligentia ex qua profluit ignorantia. Hinc si negligentia sit gravis, ut eſse ſolet, etiamsi non sit ſupina, peccatum ex tali ignorantia procedens, non desinit eſse mortale. Hinc graviter peccant Judices, Advocati, Confeſsarii, Superiores, Medici, opifices, qui ex gravi, licet non omnium maxima negligentia, scientia sibi debita, ac neceſsaria destituti ſunt.

Si verò negligentia sit solum venialis, sicuti est, cum quis aliquam, ſed non satis magnam adhibuit diligentiam, & tunc ita minui potest peccatum, ut non sit mortale.

Quæres xztio: Utrum paſsio tollat, aut saltem minuat peccatum?

Resp: Paſsio antecedens, communiter loquendo minuit quidem peccatum, haud tamen illud totaliter tollit, nec illud ita minuit, ut ex mortali faciat veniale, maxime in motibus deliberatis, quia tunc, si adsit materiæ gravitas, nec advertentia neceſsaria, nec conſenſus ſufficiens ad mortale deest, quin & aliquando peccare potest mortaliter, qui motus concupiscentiæ ac paſsionis, quos advertit, non comprimit, licet iis etiam positive non consentiat. Quodsi paſsio antecedens plane auferat uſum rationis, tunc aliquando excusat à peccato, aliquando non. Excusat quidem, si sit involuntaria tum in se, tum in ſua causa, ut cum quis in frenesi constitutus percutit matrem. Non

excusat, si paſsio, licetsi actu in ſe involuntaria, fuit tamen in principio voluntaria, ut cum quis ex voluntario carnali amore, extra se raptus, aliquid mali perpetrat. Talis amoris paſsio non excusat à peccato, quod fuit prævisa, & quod ex illa per se ſequitur, præcognitum.

Quœres 14to: Quid sentiendum est de iis quœ ex metu fiunt?

Resp: Metus tum in ſe, tum respective levis, â peccato non excusat, quia voluntarium non tollit, nec impedit advertentiam, quæ etiam ad mortale ſufficit. Qui ergo ex metu, tum in se, tum respective levi peccant, si adsit materiæ gravitas, peccant mortaliter. Metus gravis, in iis quæ ſunt intrinsece mala, communiter non excusat à peccato, quia voluntarium non prorsus tollit, attamen pro ratione, cum plus vel minus, debitam advertentiam, uſumque rationis minuit, impedit, per turbat, minuit etiam peccatum, adeo ut in casibus inopinatis, & ſubito ingruentibus, ex mortali nonnunquam faciat veniale, aut totaliter etiam excuset â peccato.

Jam verò in iis quæ non ſunt intrinsece mala, sed jure tantum positivo vetita, gravis ac prudens metus â peccato excusat. Quia leges positivæ cum gravi damno non obligant, nisi metus incutiatur in contemptum religionis, aut legitimæ potestatis.

Quœres 15to: Quœ prœterea â peccato excusare possunt?

Resp: Præter jam enumerata, excusant aliquando â peccato inconsideratio, quando res quæpiam fit sine debita inspectione, oblivio, cum aliquid nobis excidit è memoria, & propterea hoc vel illud ad agendum arripimus, cujus si recordaremur, forte illud non faceremus. Sed hæc facile ad inadvertentiam revocantur, quæ primario, â peccato eximit, quia prima est ad peccatum requisita conditio, sine qua nemo reus peccati cenſeri potest. Unde quod de inadvertentia dictum est, idem de inconsideratione, atque oblivione dici debet. Scilicet, si inadvertentia, oblivio, inconsideratio, sint inculpabiles, ac invincibiles, excuſant â peccato, si verò sint culpabiles, ac vincibiles non excusant â peccato. Porro inadvertentia, oblivio, inconsideratio culpabiles ſunt. *1mo*: in ſe, cum ſentit, aut ſentire potest homo, id quod aggreditur plus mereri considerationis, nec tamen vult plus ad rem attendere. *2do*: In alio, cum quis facit aliquid, quod cum ſeria rei faciendæ attentione cohærere non potest, aut cum non

exuit

exuit se pravo quodam defectu, qui advertentiam tollit, & impedit, vg. noxia in agendo præcipitatione, continuis distractionibus, quibus abripi se sinit.

Quæres 16to: An omnia peccata sint æqualia, & ejusdem speciei?

Resp: Peccata omnia non ſunt æqualia, alia enim ſunt mortalia, alia venialia. Sed neque omnia peccata ſunt ejusdem speciei, datur enim inter peccata distinctio ſpecifica, ſed et numerica. Porro tunc peccata ſpecifice inter ſe differunt, cum malitia eorum est rationis eſsentialiter diversæ, tunc autem ſolo numero diſcrepant, cum eorum malitia ejusdem est naturæ. Unde furtum, & adulterium, penes ſpeciem distingvuntur, duo verò furta, penes solum numerum diſcrepant.

Quæres 17mo: Unde repetenda sit specifica peccatorum distinctio?

Resp: Specifica peccatorum distinctio repetitur *1mo*: Ex ſpecifica præceptorum diversitate, quæ violantur, unde illa peccata ſunt ſpecie distincta, per quæ violantur præcepta ſpecie diversa. Quia peccatum, est violatio legis, transgreſsio præcepti. Ergo peccata ſunt diversa ſpecie distincta, si leges, præcepta diversa & ſpecie distincta violantur, & transgrediuntur. Unde qui ex voto emiſso, & ex confeſsarii præcepto, tenetur feria ſexta jejunare, si carnes manducet, tria ſpecie distincta committit peccata, quia votum perſonale, præceptum confeſsarii & lex Ecclesiæ diversa ſunt, & ſpecie differunt, cum ex diversis motivis constituantur, & ad diversos fines ordinentur. Hæc igitur tria ſpecie distincta cum violantur, tria ſpecie distincta committuntur peccata.

2do: Peccatorum ſpecifica distinctio repetitur ex oppositione vel diversis virtutibus, vel diversis ejusdem virtutis officiis, vel eidem virtuti modo diverso aut contrario. Quare illa peccata inter se ſpecie differunt, quæ adversantur diversis virtutibus, vel ejusdem virtutis diversit officiis, vel tandem eidem virtuti adversantur modo diverso, aut disparato. Sic hæresis, desperatio, odium Dei, ſpecie differunt, quia hæc peccata specie distinctis apponuntur virtutibus. Idololatria, & ſuperstitiosus Dei cultus, ſpecie quoque inter se differunt, quia ejusdem virtutis, religionis videlicet, diversis opponuntur officiis. Religio siquidem vetat ne alius quam verus Deus colatur, contra quod facit idololatria, & præcipit ut cultu debito ac legitimo Deus honoretur, contra quod facit ſuperstitio.

tio. Pariter prodigalitas & avaritia, præsumptio & desperatio, specie inter se differunt, quia licet uni tantummodo opponantur virtuti, liberalitatis scilicet, ac spei, sed illis opponuntur modo contrario, per defectum inquam, & per excessum. Tandem furtum, rapina, homicidium, detractio, sunt peccata specie distincta quia eidem virtuti justitiæ adversantur, licet non contrario modo, sed plane diverso, alia enim est ratio justitiæ servare bona alterius, alia servare famam, aut vitam ipsius, alia igitur etiam ratio est injustitiæ, nocere vitæ, famæ, aut bonis hominis.

Quæres x8vo. An etiam per solas circumstantias peccata immutantur?

Resp: Per solas circumstantias sæpissime peccata immutantur. Septem autem numerari solent circumstantiæ hoc expressæ versu. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Quis, denotat personæ operantis qualitatem, exg. quod sit Sacerdos, vel laicus, conjugatus, voto ligatus, aut liber. *Quid* objecti denotet qualitatem, aut quantitatem exg. quod persona læsa sit superior, Pater, vel quam quis concupierat consangvinea, quod quinquaginta aut centum floreni furto sublati sint.

Ubi, designat loci conditionem, in quo peccatum commissum est, exg. quod sit locus sacer, publicus.

Quibus auxiliis, significat, instrumenta, media, aliaquè id genus, quibus quis usus est ad perficiendum peccatum, an exg. veneno, maleficiis usus est ad occidendum hominem, aut inspirandum inordinatum sui amorem.

Cur, denotat non finem operis, qui ex opere satis innotescit, sed finem operantis, exg. quod quis furatus sit ad mæchandum.

Quomodo, designat modum actionis, quod exg. peccatum commissum sit sponte, scienter, ex longa deliberatione.

Quando, denotat temporis conditionem exg. quod in die festo quis inebriatus fuerit.

Porro istiusmodi circumstantiæ aliquando speciem peccati immutant, atquê actioni peccaminosæ addunt malitiam mortalem specie distinctam â malitia actionis in se, & solitarie sumptæ. Aliquando solum notabiliter peccatum aggravant, cum malitiam actionis mortalem, in eadem specie plurimum adaugent: sive ratione quantitatis, ut si quis triginta aureos nummos furetur, cum unius sub-

latio

latio ad mortale ſufficiat peccatum, vel ratione duratio-nis, ut si quis turpibus cogitationibus per plures horas de-lectetur. Aliquando etiam circumstantiæ minuunt mali-tiam peccati, cum aliquid adimunt de gravitate peccati, illud in ſua ſpecie relinquentes, talis est circumstantia metus in homine, qui ex timore exg. mortis, fidem ne-gat, qui ideo minus quidem peccatum committit, ſed ni-hilominus gravè.

Sed illæ ſolum attenduntur circumstantiæ quæ vel actioni peccaminosæ malitiam mortalem ſpecie distinctam ſuperaddunt, vel mortalem actionis malitiam notabiliter intra eandem ſpeciem augent. Quia si circumstantiæ ad-dunt ſolum malitiam venialem, aut etiam non mul-tum ſed leviter tantum mortalem actionis malitiam ad-augent, non neceſsario attenduntur. Quare triplex potiſ-simum circumstantiarum genus considerari debet *1mum* est illarum, quæ ex peccato veniali faciunt mortale, ta-lis est quantitas in furto. *2dum* est earum quæ ex mor-tali unius ſpeciei, efficiunt mortale alterius ſpeciei, talis est consangvinitas, quando quis cum consanguinea peccat. *3tium.* circumstantiarum genus est, quæ ex actu in ſe bo-no efficiunt actum mortaliter malum, ut cum quis elee-mosynam dat puellæ ad corrumpendam ejus pudicitiam.

Quæres 19no. Quando circumstantiæ mutant pecca-torum ſpeciem?

Resp: Tunc circumstantiæ mutant peccatorum ſpe-ciem, quando in actu peccaminoso ponunt ſpecialem cum lege repugnantiam, quam actus ex ſe non habet, atquè efficiunt ut ille actus adversetur simul vel diversis præ-ceptis, virtutibusquè, aut diversis ejusdem virtutis offi-ciis, aut etiam eidem virtuti modo contrario, vel dispa-rato. Hinc *1mo*: circumstantia, *quis* ſeu *personæ* mutat ſpeciem peccati cum persona ſpeciali vinculo exg. voti, promiſsionisve, aut officii obligatur ad rem aliquam, quæ aliunde jam vel ipsi ſoli, vel omnibus aliis præcepta erat. Patet id exemplo illius, qui ex voto obligatus ad jejunan-dum, quo tempore alii fideles ad jejunandum ex præcep-to Ecclesiæ tenentur, jejunium frangit, is duplex ſpe-cie distinctum committit peccatum. Pariter qui multis titulis ad ſervandam obligatus est castitatem, quia videli-cet Sacris Ordinibus initiatus, religiosa profeſsione liga-tus, si castitatem violaverit, multa ſpecie distincta com-mittit ſcelera.

2do circumstantia *quid* ſeu objecti, ſpeciem mutat. *1mo*

eum objectum, sive omnibus, sive aliquibus, ratione ſpecifice diverſa prohibitum est. Hac de cauſa qui peccat cum conſangvinea, crimen à fornicatione diverſum committit, & eò gravius, quo propinquior est illa conſangvinitas. *2do.* cum ex poſitione actus peccaminoſi, ſequitur, aut ſequi poteſt actus, qui diverſa ratione est prohibitus, sic qui furando exponit ſe manifesto vitæ amittendæ periculo, qui actione ſua mala dat alteri ſcandalum, præbetquè occaſionem peccati, duo ſpecie distincta committit peccata.

3tio. Circumſtantia *ubi* ſeu loci, mutat peccati ſpeciem 1mo. in furto tum rei ſacræ: tum etiam rei non ſacræ in loco ſacro, quia ſacrilegium committitur, auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, sivè ſacrum de non ſacro. 2do. in homicidio, re turpi, nempè pollutione voluntaria, tactibus, aſpectibus impudicis, etiamsi hæc occulta sint, quia peccata hæc graviter opponuntur reverentiæ locis ſacris debitæ, unde novam gravemquè illis addunt malitiam. Idem dicendum est, si quis in Eccleſiam equos, jumenta, veluti in stabulum induceret, aut mercaturam, laſcivas comædias in eo exerceret. Sed & multum probabilis, ac tutior opinio est, circumſtantiam loci ſacri, in quocunquè peccato mortali, sivé externo, sivè interno, neceſſario debere in Confeſsione explicari, quia vel ſpeciem peccati immutat, vel notabiliter aggravat.

4to. Circumſtantia *quando* ſeu temporis, si peccatum grave committatur tempore ſacrato exg. die festiva, feria 6ta Paraſceves, ea die qua Eucharistiam quis accepit, in his & similibus caſibus probabilius est circumſtantiam temporis, novam malitiæ ſpeciem peccato ſuperaddere, ac proinde in Confeſsione exponi debet. Et hanc opinionem tenent SS. Bonaventura, & Thomas Doctores Eccleſiæ. Certe diebus festis omne opus ſervile prohibitum est, nullum autem opus magis est ſervile quam peccatum. Si ergo opere ſervili ex ſe indifferenti festa dies violatur, magis peccato. Verumtamen cum peccatum festis diebus commiſsum, non omnino, nequè totaliter impediat illarum ſanctificationem, neceſſum non est, ut explicetur in Confeſsione circumstantia temporis ſacri nisi quatenus est opus quoddam ſervile, ac proinde cum actus peccaminoſi duratio ad eam accedit quantitatem, quæ ſufficeret, ut ſerviliter operans præceptum Eccleſiæ transgredi cenſeretur. Quia tamen pejus est pec-

care

care, quam laborare, minus exigitur tempus in peccato ad violationem diei festi, quam in alio quovis opere servili. Quare nullum est dubium, novum, & specie distinctum committere peccatum, qui diebus festivis per longum tempus vacant ebrietatibus, impuris actionibus, lascivis saltationibus, & aliis similibus. Nequè tamen circa præteritas confefsiones inquietandi sunt pænitentes, eo, quod circumstantiam diei festi in commifsis pecatis non exprefserint, quia cum nota fuerit Confefsàrio ratio status, atquè conditio illorum, facile devenire potuit, à nonnullis, quædam peccata nonnisi festis diebus commifsa fuifse, veluti ebrietates, commefsationes ab artificibus, ab aliis veró, alia promiscue tum festivis, tum feriatis diebus perpetrata efse, quia scilicet æquè his, quam illis diebus peccare poterant, ac proinde quædam peccatorum repartitio pro rata temporis naturaliter facta efse supponitur.

5to: Circumstantia *quibus auxiliis* etsi raro, attamen quibusdam in casibus mutat speciem peccati: ut *1mo:* si quis usus sit instrumento specialiter, & graviter prohibito, aut cujus usus specialem habet cum aliqua virtute repugnantiam, ut si quis pugione fraudulenter occiderit, quod specialiter, & graviter prohibitum est, oleo sacro, aqua benedicta, ad aliquod facinus utatur, quod religioni adversatur. Pariter si quis ope dæmonis exprefse, vel tacite illum invocando, aliquid consequi, & perficere voluerit. Hæc enim cum dæmone societas novum est crimen. *2do:* cum quis aliorum operam quæsierit, aut adhibuerit ad aliquod malum perficiendum, nam alium ad peccatum inducere, peccatum est specie diversum ab eo, quod perpetratur, undé qui solis etiam præcibus extorquet peccatum à puella, alias ad crimen minime parata, circumstantiam hanc confiteri debet.

6to: Circumstantia *cur* seu finis, tripliciter contingere potest. *1mo:* enim aliqûando fieri potest, ut actio de se bona ad finem mortaliter malum referatur, ut si quis eleemosynam mendico eroget, ut eum ad grave furtum inducat, & tunc dubium non est, circumstantiam hujus finis, speciem actus mutare, quia ex bono facit mortaliter malum. *2do:* aliquando contingit, ut tam actio, quam finis propter quem fit, habeant mortalem malitiam, seu diversæ speciei sivé ejusdem, ut si quis furetur scalas unius, ut alterius è cubiculo pecuniam auferat. Et hæc utraquè in confefsione exprimi debet. *3tio:* deniquè sæpe fit, ut finis ex se malus non sit, actio verò, vel omifsio, quæ prop-

propter eum fit, sit mala, ut quis die festo Sacrum omittat, quo vel garrire, vel studiis vacare possit, & tunc studium *exg.* garrulitas, non aliam habet malitiam, quam quæ ipsi omissioni Sacri annexa est.

7mo: Circumstantia *quomodo*, seu modi, non raro speciem peccati immutat. Sic *1mo:* modus violentiæ injuriosæ constituit rapinam in furto, stuprum in fornicatione, quæ specie inter se differunt. *2do:* modus detrahendi coram ipsa persona, cui detrahitur, addit detractioni malitiam contumeliæ. *3tio:* modus peccandi ex contemptu formali, aut inobedientia, ingratitudine, addit peccato propriam contemptus, & similium malitiam, si tamen expresse & specialiter intendantur, secus malitiam specialem peccato non superaddunt, quia sunt communes circumstantiæ, quæ in omni peccato reperiuntur.

Quæres 20mo: Unde desumitur maior vel minor gravitas peccatorum?

Resp: Gravitas peccati, est quantitas, seu mensura malitiæ, per quam peccatum est majus, vel minus disconveniens naturæ rationali, legi, ac magis, vel minus offensivum Dei, ideoquê majore, vel minore pæna dignum. Major vel minor gravitas peccatorum repetitur. *1mo:* ex obiecto, fine, & circumstantiis. Nam minor vel maior gravitas peccatorum estimanda est ex iis omnibus & singulis, ex quibus absolute petitur malitia peccatorum. Porrò malitia peccatorum desumitur ex obiecto fine, & circumstantiis. Ergo inde etiam quantitas malitiæ eorum, quod sit scilicet maior, vel minor, repetenda est. Hinc peccatum eo magis, vel minus grave est, quo vel obiectum, vel finis, vel circumstantia ejus magis, vel minus disconvenit naturæ rationali, & legi divinæ. Sic ebrietas gravius est peccatum mendacio, & furtum eo gravius est, quo major quantitas ablata fuerit. Præterea actus habens obiectum malum, & finem malum pejor est, quam si esset malus, aut ex fine, aut ex obiecto tantum, quia sumit malitiam ex utroquê. Erit quoqué pejor actus, si simul malitiam contrahat ex objecto, fine & circumstantiis. Imo malitia peccati tanto erit gravior, quanto secundum plures, vel pejores circumstantias opponitur rationi, & legi. Undê ex solis circumstantiis gravitas peccatorum augeri potest. Et quidem *1mo*: ratione personæ peccantis aut cum qua peccatur, gravius enim peccat Sacerdos, aut religiosus se inebriando, quam simplex Laicus, & quo propinquior est persona consangvinea, cum qua pec-

peccatum committitur, eo gravius est peccatum. *2do:* circumstantia intensionis, durationis, facit magis, vel minus grave peccatum, qui enim ex vehementi iræ motu maledicit proximo gravius peccat, quàm ille, qui non ita contra illum excandescit. Pariter qui per aliquot horas turpibus delectatur cogitationibus magis peccat, quam ille qui momento voluntarie illis adhæret. Quæ autem duratio notabiliter aggravat peccatum determinari nequit, ea certè quæ prudentum judicio notabilis censetur. *3tio:* tandem circumstantia modi, ſæpius peccatum aggravat, gravius enim peccat qui cum plena, quam qui cum semiplena advertentia malum operatur, aut qui ex malitia, ſcienter, quam qui ex ignorantia, paſsione, metu agit. Gravius quoquè peccat, qui male agit, Divinæ resistendo inspirationi, quæ actu cor ipsius pulsat, maximè si vehemens sit, quam qui illam non ſentit, dum quidpiam inordinati operatur. Per ſolas igitur circumstantias quemadmodum ſpecies peccatorum immutantur, ita etiam peccata intra eandem ſpeciem aggravantur.

2do: Major vel minor gravitas peccatorum deſumitur ex oppositione quam habent cum virtutibus, eorumquè actibus, quare peccata illa ſunt graviora, quæ præstantioribus virtutibus, & actibus illarum excellentioribus adversantur. Quia ut docet S. Thomas: peſsimum est contrarium optimo: quare odium est graviſsimum peccatum, quia prestantiſsimæ charitatis opponitur virtuti. Porro virtutes prœstantiores ſunt primo theologicæ, charitas, ſpes, fides, religio, quia Deum immediate reſpiciunt, postea reliquæ morales, justitia, temperantia, & aliæ.

Quœres 21mo: An peccata penes speciem indistincta, quoad numerum multiplicari, ac distingui poſsint?

Resp: Poſsunt, quia ſæpe in actu, qui physice unus est, numero plura reperiuntur peccata, & plures actus, licet ejusdem ſpeciei physice plura numero frequenter constituunt peccata. Sanè quemadmodum, in actu qui physice unus est, plura ſpecie distincta poſsunt eſse peccata, & in actibus qui numero plures ſunt, licet ejusdem ſpeciei physice, plura ſpecie distincta frequenter inveniuntur peccata, ita etiam in actu qui physice unus est, plura reperiri poſsunt numero distincta peccata, & plures actus, licet ejusdem ſpeciei physicæ, multa numero distincta constituere poſsunt peccata.

Quœres 22do: Quando in actu, qui physice unus est, plura numero reperiuntur peccata?

Resp: Toties in actu, qui physice unus est, plura numero distincta reperiuntur peccata, quoties ad plura ipſe ordinatur ac refertur objecta, quæ licet ejusdem sint rationis & naturæ, non tamen ſe habent per modum unius. Sic exg. qui una ſclopeti explosione, duos occidit homines, uno ſermone decem gravibus detrahit viris, duo, aut decem committit peccata, quia totidem uno actu lædit objecta, tot personarum violat jura. Pariter qui uno actu, plures odio prosequitur, pluribus maledicit, plures luxuriose concupiscit, pro numero objectorum, ad quæ ordinatur, ac refertur actus, plura numero distincta reperiuntur peccata. Si verò actus idem habeant objectum, & plures physice sint, tunc si continuate, & interrupte ita ponantur, ut moraliter unam constituere censeantur actionem, unum numero constituunt peccatum, quare qui uno venereo impetu rem turpem decies tangit, aspicit, unum numero committit peccatum.

Quodsi actus illi sint physice distincti, completi, ac moraliter diſcontinuati, licetsi circa idem verſentur objectum, plura tamen numero constituunt peccata. Enim vero peccata numero multiplicantur, cum multiplicantur actus humani peccaminosi. Porro ii multiplicantur, cum plures physice distincti ac completi ponuntur, etiamsi idem habeant objectum. Ergo pro illorum numero peccata multiplicantur. Hinc Sacerdos tot numero distincta committit peccata, quod in malo statu distinctim sacramentaliter abſolvit perſonas, baptisat, aut quot personis Eucharistiam distribuit, quia tot ſunt distinctæ, & completæ actiones peccaminosæ.

Si tamen actus physice distincti, ad actum aliquem principalem ordinentur, atque ex ejus intentione fiant, tunc unum numero cum actu principali constituunt peccatum, quia moraliter ſpectantur, ut ejus inchoatio, præparatio, exg. si quis animo occidendi inimicum sclopetum præparet, inimicum quærat, insidias struit, & tandem occidit, completo crimine de eodem gaudet, unum numero committit peccatum.

Quæres 2tio: Quando actus peccaminosi censentur eſse moraliter distincti, ac discontinuati?

Resp: Actus peccaminosi censentur eſse moraliter distincti, ac discontinuati. *1mo:* Cum prior mala voluntas revocatur, per voluntatem contrariam, quia retractio hæc efficit, ut posterior actus non poſsit cum priori in unum moraliter actum coalescere. Hinc si quis furari velit, ac

postea

postea hanc voluntatem abijciat, atque eam brevi refumat, duo numero committit peccata.

2do Cum voluntas libere cefsat ab actu malo ut fe ad aliud convertat, quare multiplicantur peccata etiam per voluntariam cefsationem ab actu malo, ejusque iterationem, quia prior mala voluntas, hoc ipso quod libere dimifsa fuerit, non fuit moraliter continuata, ac proinde cum fubsequenti, connecti non potest. Hinc qui visa puella, eam male concupiscit, & postea libere fe ab ea divertit, aut alia cogitat, statimque ad priorem delectationem revertitur, duo numero committit peccata.

3tio: Cum voluntas ab actu malo cefsat involuntarie ac naturaliter exg. per fomnum, distractionem, inadvertentiam, faltem si hæc fatis longa fuerit, ut juxta prudens judicium prior actio cefsafse, & altera incæpifse censeatur. Quia tunc illi actus nihil habent in quo uniantur, ac propterea, cum sint distincti, distincta constituunt peccata. Si verò mala interior voluntas, in actibus externis continuetur, ac perseveret, licet forte naturaliter per distractionem aut inadvertentiam interrumpatur, unum constituit peccatum, quia in actibus exterioribus, quamvis multoties interrupta, & renovata, moraliter unitur, unumque humanum constituit actum.

ARTICULUS 2dus

De Causis peccatorum.

Quœres 1mo: Quotuplices sunt causœ peccatorum?

Resp: Causa peccati, alia est *interior*, quæ in ipso homine residet, alia *exterior*, quæ extra hominem reperitur. Causæ peccatorum interiores funt ignorantia, concupiscentia, & pafsio. Exterior, Diabolus est aliquo modo causa peccati, quamvis indirecte solum, per fuas videlicet tentationes, & fuggestiones. Multa etiam funt quæ nos ad peccandum inducunt, quæ propterea non quidem causæ, fed occasiones peccatorum vocitantur.

Quœres 2do: Quid sit occasio peccati & quotuplex?

Resp: Occasio peccandi est illud omne, quod ex natura sua, vel circumstantiis inducit ad peccatum. Est autem occasio alia *proxima*, quæ ex natura fua vel circumstantiis propinque inducit ad peccandum, alia *remota*, quæ remote inducit ad pecandum.

Occasio proxima ſubdividitur in *proximam per se & proximam per accidens*. Occasio *proxima per se* ea est, quæ sic nata est inducere ad peccandum, ut attenta communi hominum fragilitate, proximum, & apertum peccati periculum annexum habeat. In hoc ordine ſunt cantilenæ turpes, colloquia liberiora, lectiones librorum obscænorum, aut contra religionem conscriptorum, familiaritas cum personis corruptis. Occasio *proxima per accidens* illa est, quæ quamvis ex ſe, & abſolute homines ad peccatum proxime non inducat, hunc tamen, aut illum, attenta ſpeciali ipsius fragilitate ad peccandum attrahit.

Utraque occasio ſubdividi ſolet in *internam*, & *externam*. *Interna* ea est, quam unusquisque secum gerit, & in proprio sinu portat. Talis est pravus habitus, indoles ad iram prompta. *Externa*, ea est, quæ ab extrinseco insidias struit, talis est mala ſocietas, periculosæ conversationes.

Demum alia est occasio *voluntaria*, & quæsita, quæ ſolo voluntatis arbitrio dimitti potest, veluti ludus, librorum obscenorum lectio, alia *neceſsaria*, & hæc vel est *physice talis*, vel *moraliter* ſolum. Occasio *physice* necessaria ea est, cujus fuga à nobis non pendet, talis est occasio puellæ, quœ quotidianam patitur tentationem ex præſentia famuli, quem ipsa eijcere non potest. Occasio *moraliter* neceſsaria ea est, quæ abſolute quidem dimitti potest, ſed non sine gravi incommodo. Talis est occasio nata ex arte, qua quis ſe, ſuosque ſustentat, occasio famuli, qui ex hac, vel illa domo egredi non valet, quin à grandi pecuniæ ſumma sibi debitæ excidat.

In occasione vero proxima, distingvenda est ratio occasionis, & ratio proximitatis, quandoque enim tollitur occasio, & proximitas ejus, quandoque verò manente occasione, ſola aufertur occasionis proximitas. Tollitur occasio in ratione occasionis per ſeparationem objecti, sic famulus cum ancilla peccans, tollit occasionem, cum è domo egreditur, & ab omni civili cum ancilla consortio ſe ſeparat. Tollitur occasio in ratione proximitatis, cum vel aufertur ab objecto vis causandi, ac tentandi, vel opponitur aliquod impedimentum causalitati, ac tentationi, ut si famulus & ancilla qui ſecum peccarunt, licet in eadem domo remaneant, vel nunquam existant ſoli, secum non amplius conversentur, vel ancilla nubat alteri, sicque & illa, & ille horrore, & timore adulterij atque prodi-

proditionis, sivé revelationis sceleris ſui occulti, retineantur ab ulteriori peccato.

Quœres 3tio: Quœ proprie censeri, & dici debeat occasio proxima?

Resp: Occasio proxima non est illa in qua ſemper, vel fere ſemper, aut frequenter vel frequentius peccatur, ſed illa est, quæ exponit hominem probabili peccandi periculo. Unde S. Thomas 2da, 2dæ quæst. 10. Art: 9. inquit: *Infirmi in fide, de quorum salute probabiliter timeri potest, prohibendi sunt ab Infidelium communione.* Ergo ut aliquid censeatur proxima peccati occasio, & ab ea homo recedere teneatur, ſufficit ut probabiliter timeatur, ne sit ipsi ruinæ ſpiritualis causa. Et S. Carolus Borromæus in Instruac: Confeſs. quæst. 2. Cap: 13. vetat ne abſolutio iis impendatur, qui peccatorum mortalium occasiones vitare non proponunt. Porro ut ipse inquit, *ſub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam ſubministrat, eo quod vel per se ad peccatum inducat, vel ejus occasione confitens usque adeo ad peccatum allicitus, ut certe Confeſsarius metuere poſsit, quod ex perverso, quem diu induit habitu, in posterum non magis abstinebit, quam prius, à peccato, si in iisdem occasionibus versetur.* Igitur ad occasionem proximam ſufficit ut pe rse ad peccatum inducat, ad occasionem vero proximam per accidens, de qua nonnisi communiter ex præteritis lapsibus judicari potest, ſufficit ut vere Confeſsarius metuere poſsit, ne pænitens in eadem, quæ admisit crimina prolabatur. Itaque ut aliquid censeatur eſse proxima peccati occasio, ſufficit, quod hominem exponat probabili mortaliter peccandi periculo.

Certe si occasio proxima ea ſolum diceretur, in qua quis ſemper, aut fere semper, vel plerumque, aut ordinarie, aut ſæpius peccat, quam non peccat, tunc qui decies cum ancilla in mense peccavit, non esset in occasione proxima, quia nec fere ſemper, nec sæpius peccavit, hoc tamen plane absurdum est. Imo fieri potest ut proxima reputetur ea occasio, quæ ſemel tantum in anno ad peccatum induceret, ut si plurium annorum experientia constet, aliquem toties peccare, quoties visitat cognatam ſuam, quam nonnisi ſemel in anno visitat, talis enim visitatio inducit probabile peccati periculum, & ideo occasio proxima eſse censetur. Insuper censeri potest occasio proxima, quæ licet hactenus ad peccatum non impulerit,

rit, est tamen tam lubrica, & ex se tam vividas parit tentationes, ut probabile peccati periculum includat.

Quæres 4to: Utrum homo teneatur fugere ac declinare proximas peccandi occasiones?

Resp: Proximas occasiones, ad peccatum mortale inducentes, fugere, ac declinare ſub gravi quilibet tenetur. Quia tanquam à facie colubri fugiendum est peccatum, maxime mortale, & qui amat periculum peribit in illo, in omni autem occasione proxima probabile est peccati periculum. Ergo qui illam non declinat, non deserit, periculum amare convincitur, unde graviter peccat.

Sed & peccati venialis proximas occasiones quilibet salutis ſuæ studiosus fugere ac declinare debet, quia frequenter venialia, ad mortalia viam sternunt, & quæ ad venialia inducebant, facile ad mortalia trahere possunt. Quod vero attinet occasiones remotas, hæc declinare non est in hominis potestate, quia ut inquit Sapiens Cap. 14 creaturæ omnes *in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum*, quare ut in simili materia dixerat Apostolus, deberemus omnes *exire de hoc mundo*, quod est impoſsibile.

CAPUT SECUNDUM

De variis peccatorum speciebus.

Quæres: Quot sunt peccatorum species?

Resp: Multæ ſunt peccatorum species. Alia ſunt peccata *mortalia* alia *venialia*, alia *interna*, alia *externa*. Præterea sunt peccata *commissionis*, & *omiſsionis*, *capitalia*, & alia ex illis promanantia, quæ quasi filiæ eorum reputantur.

ARTICULUS 1mus

De peccato mortali, & veniali.

Quæres 1mo: Unde repetenda est differentia peccati mortalis à veniali?

Resp: Peccatum mortale à veniali in eo differt, quod pecca-

peccatum mortale sit *gravis transgressio legis,* ac proinde gravis offensa Dei, privans hominem divina amicitia, ac gratia sanctificante, illumquè faciens dignum odio Dei, atque æternæ pænæ debitorem constituens. Veniale verò peccatum est levis tantummodo legis transgressio, levis nonnisi offensa Dei, quæ proinde nec privat hominem gratia sanctificante, neque divinam cum illo interrumpit amicitiam, nec tandem æternæ hominem addicit pænæ. Tunc verò gravis est transgressio legis, cum violatur lex ad afsecutionem æternæ felicitatis omnino necessaria, levis autem est transgressio, quando violatur lex non omnino ad afsecutionem æternæ felicitatis necessaria, quamquam ad illam obtinendam multum conducat, unde qui illam violat, sine peccato esse nequit. Porro peccatum mortale, & veniale, *aut est per se, & ex genere suo,* aut *per accidens solum.* Peccatum mortale *est ex genere suo,* cujus malitia ex objecto ipsius sumpta, sine interventu malitiæ alterius generis, est gravis. Sic exg. fornicatio ex genere suo est peccatum mortale, quia nulla alia adveniente malitia, per se grave est. Peccatum autem mortale *per accidens*, est illud, quod licet ex se grave non sit, grave tamen est ratione alicujus sibi adjuncti, quod gravem in se continet noxam, ut si quis levi joco grave aliis præbeat scandalum.

Peccatum ex genere suo veniale illud est, quod ex se, sine malitiæ alterius generis adjunctione, semper est veniale, sic exg. mendatium, quod licetsi ex circumstantiis fieri posit mortale, si inquam juramento confirmetur, tunc tamen gravitatem illam non habet ex se, sed ex adjuncta circumstantia. Peccatum autem per accidens veniale illud est, quod licet ex objecto habere posit malitiam gravem, de facto tamen, ob alicujus circumstantiæ interventum, exg. ob defectum pleni consensus, debitæ advertentiæ, illam non habet.

Præterea peccata mortalia alia *sunt ex toto genere suo*, alia *ex genere suo, sed non ex toto.* Mortale ex *toto genere suo* illud est, cujus materia quo ad omnes sui partes ita gravis est, ut quælibet ad mortale sufficiat. Mortale *ex genere suo, sed non toto*, illud est, cujus materia gravis non est, nisi sit in certa quantitate.

Quæres 2do; Quibus regulis discerni posit peccatum mortale, à veniali?

Resp: Juxta S. Augustinum libro 21. de Civit. Dei, Cap: ult: difficillimum est invenire, & definire periculosissi-

sifsimum, quandonam peccatum mortale sit, aut intra venialis culpæ limites remaneat, quasdam tamen hic ea de re proponemus regulas.

1mo: Quidquid in sacra scriptura dicitur dignum morte, Deò exosum, excludere à regno cælorum, cui item dicitur, væ, aut quidpiam simile, mortale judicandum est.

2do: Quod ex SS. Patrum traditione, Ecclesiæ definitione, communi Doctorum sensu pro mortali judicatur, tale reipsa efse censendum est.

3tio: Ubi ratio fide, vel evidentia fuffulta, ac materiæ gravitas, ostendunt gravem efse culpam, ac disordinationem, ibi peccatum mortale reperiri arbitrandum est:

Ex his veró regulis colligitur: opera carnis puta; fornicationem, immunditiam, mollitiem, veneficia, iras, rixas, difsensiones, invidias, homicidia, ebrietates, commefsationes, & alia id genus, efse peccata mortalia, dicente Apostolo ad Gal: 5. l. Corinth. 6. & ad Ephes. Cap: 6. *Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.*

Idem dicendum est de Simonia, quæ ab Ecclesiæ gravifsimis annumeratur peccatis, de omifsione Sácri die festiva, violatione jejunii, quæ ex communi Doctorum sensu pro mortalibus habentur. Item gravis læsio alienæ famæ, aut fortunæ, blasphemia contra Deum, perjurium, ebrietas, gula, & similia mortalia sunt, quia ipsa ratio ostendit per hæc gravem Deo, proximo, & nobis ipsis irrogari injuriam.

Quia veró oppositorum, oppositæ funt rationes; peccatum illud ex genere fuo veniale judicandum est, quod neque ex Sacra Scriptura, neque ex Ecclesiæ doctrina, aut communi Patrum & Doctorum sensu, gravem cum lege oppositionem ac repugnantiam habere ostendi potest. Verum discretio peccati mortalis à veniali, quæ ex Scriptura, Ecclesiæ statutis desumitur, multo tutior est, quam quæ repetitur ex sola humana ratione, ut enim ait S. Augustinus Enchir. Cap. 79. *Sunt quædam quæ levifsima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora, Quis enim dicentem fratri suo fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret, Reus erit gehennæ ignis.*

Quæres 3tio: An peccatum mortale fieri possit veniale?

Resp: Peccatum ex genere fuo mortale, potest fieri venia-

veniale, idque triplici in casu *1mo:* defectu plenæ advertentiæ: sic à peccato mortali communiter excusantur infantes ſeptennio minores, tunc enim præsumuntur non habere ſufficientem uſum rationis, quod quia in nonnullis fallere potest, in quibus malitia ſuperat ætatem, infantes etiam septennio minores aliquando poſsunt peccare mortaliter, quando nimirum ſufficientem habent uſum rationis. Defectu etiam plenæ advertentiæ, semidormientes, & qui à somno totaliter non ſunt excitati, à peccato mortali plerumque immunes eſse censentur.

2do: Defectu pleni consensus, & hac ex causa à peccato mortali nonnunquam excusantur, qui tentationum impetu preſsi & aliunde horrore peccati perterriti quasi fluctuant, utrum peccato consentire, an illud respuere malint.

3tio: Defectu sufficientis materiæ, quædam peccata â mortali excusantur, quædam non. Et quidem peccata quæ ſunt mortalia ex toto genere suo, ex parvitate materiæ venialia nunquam eſse poſsunt, talia ſunt blasphemiæ contra Deum, perjurium, desperatio, peccata carnis, veluti pollutio, delectatio venerea & alia. Peccata verò mortalia ex genere ſuo, ſed non ex toto, poſsunt ob materiæ parvitatem fieri venialia. Sic furtum, quod est ex genere ſuo peccatum mortale, propter parvitatem materiæ, fieri potest veniale.

Porrò ut prudenter decernetur quæ materia est gravis ad peccatum mortale ſufficiens, aut levis, hæc non absolute tantum considerari debet, sed cum omnibus circumstantiis, & maxime relative ad finem præcepti contra quod peccatur, atquê prout ipsa connectitur, aut ſeparatur à materia ejusdem generis præcedenti. Unde Adam graviter peccavit fructum vetitum comedendo, quia licet hæc comestio in ſe eſset aliquid leviſsimi, relative tamen ad finem præcepti, fuit graviſsima, quia per hoc voluit Deus creaturæ ſuæ ſubiectionem, obedientiamqué experiri. Pariter graviter peccat, qui in die jejunii pauca ſæpe, comedit, quia hæc ſecum connectuntur, efficiuntqué notabilem comestionem, qui verò singulis quadragesimæ diebus pauculum aliquid comedit, non peccat graviter, quia hæc paucula ſecum connecti nequeunt, ac proinde nequeunt unam notabilem constituere comestionem. quæ ad peccatum mortale ſufficiat.

Quæres 4to: An etiam peccatum veniale fieri poſsit mortale?

Resp:

Resp: Peccatum ex genere ſuo veniale, poteſt fieri mortale, in his caſibus. *1mo:* Ratione malæ diſpoſitionis, cum aliquis ita peccat, ut id quod facit, licet id peccatum nonniſi veniale ſit, adhuc tamen faceret, etſi peccatum mortale eſset, ſive etiam cum quis ex erronea conſcientia putat aliquid eſse grave licet in ſe leve, illudqué facit, talis ratione pravæ ſuæ diſpoſitionis in re etiam leviter mala, peccat mortaliter. *2do:* Ratione finis mortaliter mali, quem in re venialiter mala aliquis intendit, *exg:* jocus parum levis ad provocandum quemquam ad libidinem præordinatus. *3tio:* Ratione effectus graviter mali, qui potuit & debuit præviderí ut si *exg:* aliquis alium leviter irrideat, unde ille graviter excandeſcit. *4to:* Ratione formalis contemptus regulæ, legis, aut Superioris ipſius, qui enim præpoſitos ſpernit, ipſum Deum contemnit. *5to:* Ratione periculi proximi mortaliter peccandi, unde ſæpius otioſæ collocutiones, nimiæ familiaritates, quia ad noxia quæque & turpia deducunt, ſæpius in illis peccatur etiam graviter. *6to:* Ratione multiplicationis materiæ, quæ ex parvis fruſtis coaleſcit in unum totum ad mortale ſufficiens, ut patet in furto.

ARTICULUS 2dus

De peccatis internis.

Quæres 1mo: Quale ſit peccatum, moroſa de re illicita delectatio?

Resp: Delectatio voluntaria de re mortaliter mala, eſt peccatum mortale. Siquidem Proverb: cap: 15. dicitur: *Abominatio Domini cogitationes malæ.* & Pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Porrò delectatio, & complacentia in re mortaliter mala, abominabilis eſt, & mala, ergo licetſi abſit animus perficiendi opus malum, ſola in eo complacentia, ac moroſa delectatio, grave eſt peccatum. Certê ut inquit S. Thomas Doctor: *Nullus delectatur niſi in eo quod eſt conforme appetitui eius*, id eſt: quod amat, & cui ſvaviter inhæret. Jam verò diligere rem illicitam, eiqué inhærere, peccatum eſt, mortale quidem, ſi res amata ſit mortalis, veluti res luxurioſa, veniale verò, ſi res, qua quis delectatur ſit venialiter mala.

Quod autem dictum eſt de delectatione in re mala, idem

idem dicendum est de displicentia in re bona, unde qui libere tristatur de opere bono, & in eo sibi displicet, vere peccat, quia odit bonum, quemadmodum amat malum, qui eo delectatur. Jam verò sive diligere malum, sive odiſse bonum, recte rationi, & legi Divinæ contrarium est. Est ergo peccatum.

Quœres 2do: Utrum peccat, qui post sufficientem advertentiam non reprimit pravos concupiscentiœ motus?

Resp: Qui post ſufficientem advertentiam non reprimit pravos concupiscentiæ motus, nec adversatur delectationi rei illicitæ, quam ſentit, ſed negative se habet, nequé consentiendo, nequé diſsentiendo, graviter peccat. Quia illos concupiscentiæ motus, illicitamqué delectationem voluntarie, & libere ſentit, cum poſsit ipsam non sentire, eam reprimendo, & illi adversando, ac evidenti se exponit illi aſsentiendi periculo. Utrumqué autem peccatum est, rectæ rationi, & legi Divinæ contrarium. Unde quisquis advertit pravos concupiscentiæ motus, sentitque in se illicitam exurgentem delectationem, eam positive comprimere, illiqué adversari tenetur, ac imprimis illud statim deserere debet, quod est causa istiusmodi delectationis, ac motuum qui in carne ſentiuntur.

Si tamen id, quod inordinatos excitat motus, estqué illorum causa, sit neceſsarium, adsitqué iusta causa eos permittendi, non tenetur illud statim dimittere, dummodo desit periculum pravi consensus, & voluntas quantum potest iisdem resistat motibus, ipsosqué comprimere adnititur. Quia tunc ſunt prorsus involuntarii, ac proinde immunes à peccato. Talis iusta causa est equitatio respectu militis, aliorumqué id genus hominum, auditio Confeſsionum, studium Theologiæ, respectu Sacerdotis, ac Clerici, inspectio quarundam corporis partium, respectu Chirurgi. Quodsi adeſset periculum pravi consensus ab iis omnino abstinendum eſset.

Quœres 3tio: Quid si quis per actionem leviter peccaminosam, exg: *per lectionem curiosam, confabulationem otiosam, det occasionem inordinatis concupiscentiœ motibus in se insurgentibus?*

Resp: Qui per actionem indifferentem, aut venialiter solum peccaminosam, *exg.* lectionem, aſpectum curiosum, præbet occasionem levibus carnis motibus, peccat venialiter, dummodo nec illos intendat, nec subsit periculum iis aſsentiendi. Quodsi ex actione etiam venia-

liter

liter ſolum mala, ſequatur vehemens delectatio, motusqué venerei, aut etiam pollutio, qui istiusmodi actionem statim non dimittit, peccat mortaliter, quia tunc adest grave iis aſsentiendi periculum.

Quæres 4to: An delectatio morosa ſumit speciem suam ab obiecto circa quod versatur?

Resp: Ita est. Ideo enim delectatio morosa est mala, quia obiectum habet malum *exg:* fornicationem, ergo si obiectum ipsius sit peius, *vg.* adulterium, incestus, ipsa etiam peior erit. Quare qui delectatione venerea peccavit, obiectum illius, & status sui rationem, an liber, an voto ligatus sit, exprimere in Confeſsione debet, quia hæc augent malitiam peccati.

Quæres 5to: An liceat gaudere, aut etiam cupere rem malam, quia ex illa effectus bonus aut prodiit, aut proventurus speratur?

Resp: De re in se mala, ac illicita nunquam licet gaudere, illa delectari, nequé eam cupere aut desiderare, ob quoscunqué bonos effectus inde provenientes, etiamsi id quod ex se malum est, inculpate propter ignorantiam, inadvertentiam, aut aliam quamcunqué causam à peccato excusantem, factum, ac perpetratum fuerit. Quia quod est in se, & ex natura malum, ſemper & in omni circumstantia, tale est, illud ergo cupere, desiderare, de eo gaudere, delectari, nunquam licet, quare Innocentius II. ſequentes damnavit propositiones: *Licitum est absoluto desiderio cupere, mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum obventura est ei pingvis hæreditas. Licitum est filio gaudere de paricidio à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias indé ex hæreditate consecutas.*

De ipso tamen bono effectu, quod *exg.* per casuale homicidium, longæ lites, inveteratæ rixæ ſopitæ sint, pingvis obvenerat, post mortem Patris hereditas, licet gaudere, quia obiectum hujus gaudii bonum est, & nihil in se habet mali Verum & in his cautus quivis eſse debet, ne cor ejus decipiatur, & de bono effectu exultando, gaudium de causa ipsius concipiat.

Quæres 6to: Utrum peccet qui vellet quidpiam si non eſset malum, ac illicitum?

Resp: Qui vellet rem quamdam si non eſset mala, quæ ex natura ſua est mala, atqué ex se illicita, peccat, ut si quis diceret vellem fornicari, furari, nisi id eſset illicitum. Quia conditio hæc est impoſsibilis, quæ enim natu-

natura ſua sunt mala, ac illicita, bona, ac licita eſse nequeunt, unde istiusmodi velleitas, ac animi affectus tendit in obiectum ex se malum, ac proinde malus, ac peccaminosus est. Sed etiam, qui cuperet, ac exoptaret, ut quod in ſe & ex natura sua est malum, licitum eſset, ac minime prohibitum foret, peccat, nam qui id optat, vult ut ordo naturæ pervertatur, ac lex æterna Dei immutetur, quod graviter est inordinatum, ac rectæ rationi summe contrarium. In his verô quæ in se mala non sunt, sed jure tantummodo positivo prohibita, qui vellet aliquid, si illud non eſset prohibitum, *exg:* vellet aliquis die veneris carnes comedere, si id Ecclesia non prohibéret, non peccat, dummodo actu voluntas ad rem prohibitam non sit affecta, nequè hic & nunc in illa sibi complaceat. Verum & istiusmodi desideria, ac velleitates, valde nociva sunt, quare prudenter reiicienda, & fugienda sunt.

ARTICULUS 3tius.

De peccatis commiſsionis, & omiſsionis, malitiæ, & infirmitatis.

Quæres 1mo: Quid sit peccatum commiſsionis, quid peccatum omiſsionis?

Resp: Peccatum omiſsionis, *est transgreſsio præcepti affirmativi*, quo actus bonus fieri mandatur. Peccatum verò commiſsionis *est transgreſsio præcepti negativi*, quo prohibetur ne fiat actus malus, ac illicitus. Unde non audire Miſsam die festo, non accedere ad Sacram Synaxim tempore Paschali, sunt peccata omiſsionis: furtum, adulterium, sunt peccata commiſsionis. Quemadmodum verò gravitas peccati commiſsionis desumitur à malitia actus prohibiti, ita etiam gravitas peccati omiſsionis desumitur ex bonitate, ac valore actus præcepti, quare minus peccat qui unam Horam canonicam, quam qui omnes omittit.

Quæres 2do: Quando contrahitur peccatum ommiſsionis?

Resp: Qui scienter, aut exculpabili ignorantia, inadvertentia ponit causam futuræ omiſsionis aut morali illius periculo voluntarie se exponit, eo ipso huius peccati reus constituitur, quia tunc indirecte, & interpretative vult ipsam omiſsionem, illius ergo malitiam contrahit.

Unde

Unde qui se venationi dedit, quæ probabiliter poterat efse causa, vel occasio omittendi Sacrum die festivo, licetsi postea casu contigerit, quod Mifsam audierat, reus peccati est, quia morali periculo omittendi Sacrum voluntarie se commiserat, et hujus omifsionis causam, occasionemquê sciens, & volens posuit. Quod si is qui voluntarie posuit omifsionis causam, aut illius periculo se exposuit, pofsit adhuc postea præceptum, cum suo tempore urget, implere, desistendo exg: ab opere, quod cum fatisfactione præcepti est incompatibile, & tamen ab illo non desistit, nec præceptum implet, novum contrahit peccatum, quia tunc actu omittit, ac negligit implere præceptum, cum illud re ipsa adimplere potest.

Imo probabile est illum, qui voluntarie posuit omifsionis causam, qua factus est impotens ad præceptum adimplendum, non folum tunc peccafse, quando istiusmodi causam posuerat, fed etiam tunc peccare quando fuo tempore urget præceptum, ut ei satisfiat nisi causam illam sincero dolore retractaverit, protunc enim, cum satisfacere præcepto iam illi sit impofsibile, & causam ipsius voluntarie à se positam retractaverit, illa omifsio nec in se, nec in fua causa est voluntaria, ac propterea inculpabilis.

Quæres 3tio: Quid sit peccatum infirmitatis, & quid peccatum malitiæ?

Resp: Peccatum malitiæ est illud, *quod scienter, libere, cum omni advertentia committitur*, quodqué nec ex ignorantia, nec ex aliqua antecedente pafsione procedit. Peccatum verò ex infirmitate illud est, *quod procedit ex pafsione antecedente & prorsus involuntaria*, ex repentina aliqua graviter ingruente pafsione, aut naturali aliqua ad malum proclivitate quam quispiam cum experitur, pro modulo suo conatur emendare.

Dari peccata malitiæ indubitatum est, sunt namqué non pauci, qui scientes & volentes eligunt malum, & qui Domini sui voluntatem cognoscunt, sed non faciunt, tales etiam sunt & illi qui de industria vias Dei intelligere nolunt, lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pefsimis.

Peccatum verò ex malitia est omnium gravifsimum ex genere suo, quia omnium maxime est voluntarium.

Quæres 4to: Utrum peccata, quæ ex contracto habitu committuntur æquiparari debeant peccatis malitiæ?

Resp: Ita est, & id docet S. Thomas 1ma. 2dæ: quæ-

quæst. 28. Art: 2. ubi sic dicit. *Manifestum est, quod quicunqué peccat ex habitu, peccat ex certa malitia,* quia qui peccat ex habitu, peccat ex majori voluntatis propensione, & malum quodammodo connaturale illi evadit, quatenus consvetudo & habitus vertitur in naturam. Unde colligere licet, quam insipienter aliqui peccata sua, indè excusare velint, quod ex consvetudine fiant, cum consvetudo malitiam peccati adaugeat. Quare in Concilio Later. 3. cap: 7. dicitur. *Tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerant.*

Quæres 5to: Ad quid tenetur, qui implicatus est mortaliter peccandi consvetudine?

Resp: Graviter tenetur illam retractare, & emendare. Quia mala consvetudo est occasio proxima ad peccatum pertrahens, vehementer ad afsvetos actus excitat, constituit proinde hominem in aperto periculo fere continuo peccandi. Porró quilibet graviter obligatus est & proximam peccandi occasionem fugere, & apertum, ac evidens peccati periculum declinare. Igitur qui mala mortaliter peccandi implicatus est consvetudine, illam serio retractare, & efficaciter emendare tenetur.

ARTICULUS 4tus

De peccatis capitalibus.

Quæres 1mo: Quæ sunt peccata capitalia?

Resp: Septem numerantur peccata capitalia, nimirum *superbia, avaritia, gula, luxuria, ira, invidia, acedia*?

Quæres 2do: Quid sit superbia, & quale peccatum?

Resp: Superbia *est inordinatus propriæ excellentiæ, elevationis, ac celsitudinis appetitus,* sive flagrans desiderium, nimiaqué in ipsa complacentia. Peccat autem superbus quia & iis subiici non vult, quibus subefse debet, & præsumptuose appetit ea, que supra ipsius conditionem sunt.

Superbiam efse peccatum omnium primum, & gravifsimum, ac periculosifsimum Sacræ Scripturæ testantur. Est quidem omnium primum, quia primi Parentes nostri per fuperbiam primo peccarunt, unde Tobiæ cap: 4. dicitur, *à superbia initium sumpsit omnis perditio.* Est omnium maximum, quia est fons & origo cæterorum cri-

minum, quare Eccles: Cap: 1. dicitur: *initium omnis peccati est superbia.* Denique est omnium vitiorum periculosifsimum, quia ut ait S. August: Epist: 211. *alia quæcunqué iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant, superbia veró etiam bonis operibus insidiatur ut pereant.*

Quæres 3tio: Qui sunt præcipui superbiæ actus?

Resp: Superbiæ præcipui actus sunt sequentes. 1mo: cum superbus bona quæ habet, sive corporis, sive animæ, á se illa se habere existimat. Grave hoc est peccatum, qui Deum negat efse authorem cuiuslibet boni, unde istiusmodi superbum dure increpat Paulus 1. ad Corinth: Cap: 4. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* 2do: quando superbus jactat se habere quod non habet. 3tio: cum arrogans despectis cæteris, appetit singulariter videri, & ab hominibus æstimari. Hæc duo posteriora, non sunt mortalia, nisi adsit gravis proximi, aut etiam Superiorum despectus, ingens quoddam detrimentum.

Hinc peccant mortaliter 1mo: Qui in gloria humana totam suam felicitatem constituentes, diligunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. 2do: qui se cum gravi proximi contemptu, vel indignatione extolunt. 3tio qui gloriam propriam quærunt, per iniquam. eamqué, gravem proximi deprefsionem, aut qui de aliorum excelentia, & bono nobilitatis contristantur. 4to: Qui ne solito victus, & vestitus splendori quidquam detrahant, undecunqué pecuniam corradunt, & debita viribus suis majora cum magno proximi detrimento contrahunt. 5to: qui se in aliqua scientia, & arte multum reputantes, perniciosa consilia, fcripta, fuggerunt. 6to: Qui fictis, quas jactant qualitatibus, officia, munera, Beneficia, quæ non merentur, & quibus indigni sunt, obtinent, aut qui ementitis divitiis, prærogativis, uxorem se ipsis longe ditiorem & præstantiorem ducunt, & decipiunt.

Quæres 4to: Quæ, & quot sunt superbiæ filiæ?

Resp: Tres recensentur fuperbiæ filiæ, videlicet; *præsumptio, ambitio, & vana gloria.*

Præsumptio est, *quando quis aliquid aggreditur, quod vires, & capacitatem ejus superat*, unde præsumptuosus dicitur, qui audet quærere, aut exercere munia Confefsarii, Superioris, Judicis, Medici, absqué fufficienti scientia, aut suæ virtuti nimium fidens impudica consortia frequentat, proximæ peccandi occasioni se ultro exponit. Et in his ac similibus casibus, præsumptio est pec-

peccatum mortale, veniale verò est, cum ex ea, nullum, aut nonnisi leve imminet ruinæ, damniquè sivè proprii, sivè alieni periculum.

Ambitio est *desiderium dominandi, seu extollendi se per dignitatem, aut honorem sibi indebitum*, & hæc peccatum est mortale. *1mo*: Cum quis studio aliis dominandi, eos subtrahit ab obedientia legitimis Superioribus debita. *2do*: cum quis præeminentiam quærit, cum notabili dispendio honoris Dei, & utilitatis proximi, ut ii faciunt, qui à consecutione officii, dignitatis alios arcent, qui multo plus Dei gloriam, & proximi salutem promovissent. *3tio*: Cum honor, officium quæritur per media illicita, per Simoniam, detractionem de competitore.

Vana gloria est *inordinata quam quis habet cupido, ut ejus dotes, excellentia sive vera, sive imaginaria ac falsa, aliis manifestetur, ab iis deprædicetur.* Est autem vana gloria peccatum mortale in duobus præcipuè casibus. *1mo*: Cum quis quærit ab aliis laudari, ut hoc modo perveniat ad officium sive Beneficium, quo est indignus. *2do*. Qui gloriam quærit ex perverso opere *exg:* duello, rebellione concitata. Magis autem rei sunt illi, qui falsa sibi imponunt crimina, & ex illis turpem quærunt gloriolam.

Quæres 5to: Quæ ex vitio vanæ gloriæ profluunt peccata?

Resp: Ex vitio vanæ gloriæ, alia adhuc profluunt vitia, *hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia.*

Hypocrisis est, *quando quis simulat se justum esse cum non sit, vel justiorem, quam sit.* Est peccatum mortale *1mo*: Cum quis sanctitatem contemnit, eam negligit, & in peccatis persistens, solum conatur aliis sanctus apparere. *2do*: Cum quis sanctitatem simulat, ut pauperum eleemosynas ad se attrahat, aliosquè ementita decipiat pietate.

Contentio est, *inordinata verborum contrarietas circa verum.* Ad eam reducitur discordia, quæ est *contrarietas voluntatum in bono, de quo ex charitate consentire tenemur.* Utraquè aliquando est mortalis, aliquando solum venialis, juxta gravitatem, aut levitatem mali, quod inde sequitur. Sic peccant graviter qui contentiose veritates fidei, & moralis Christianæ impugnant. Advocati quoquè qui causam injustam dolose, & clamose propugnant. Peccant etiam & ii qui à bono Dei, & proximi scienter & ex intentione contrariandi, dissentiunt. Si quis

verò ex ratione probabili dissentiat, puta, quia existimat non esse bonum id, quod alter vult, sed quod ipse, vel nullum est, vel nonnisi leve peccatum.

Pertinacia est, *cum quis proprio judicio nimis adhæret.* Peccatum est periculi plenum, & non raro mortale, quia non raro vergit in Dei injuriam, Superiorum contemptum aut grave proximi detrimentum.

Quæres 6to: Quid sit avaritia, & quale est peccatum?

Resp: Avaritia est *inordinatus amor bonorum temporalium, sive hæc parva sint, sive multa & magna.*

Avaritia ex genere suo peccatum est mortale, cum vel charitatem, vel justitiam lædit, iisqué adversatur, sæpissime namqué avari pauperibus, domesticis, creditoribus id negant, quod ipsis ex charitate vel justitia debitum est. Si verò avaritia sumatur prout opponitur liberalitati, & in hoc sistat ut homo quamvis superfluas divitias amet, non tamen propter divitias velit aliquid facere contra Deum, & proximum, sic avaritia est peccatum veniale.

Hinc illorum avaritia est mortalis. *1mo*: qui opes, & bona, perfas, & nefas acquirere parati sunt, parati potius fallere, pejerare, quam à lucro abstinere. *2do:* Qui ita opes congerant, ut nullum iis congerendis modum, finemqué statuant. *Non est finis acquisitionis eorum, exterminati sunt, & descenderunt ad inferos* inquit Baruch: Cap: 1. *3tio*: qui frumenta emunt, recondunt, nec horrea recludunt, donec annona ad summum pervenerit prætium. Si enim & charitatem, & justitiam violant, unde Proverb: Cap: 11. dicitur. *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis:* atqué maledictionem hanc exaudiet Deus, ut affirmat Ecclesiasticus Cap 4.

Quæres 7mo: Quæ peccata ex avaritia profluunt?

Resp: Ex avaritia hæc profluunt peccata.

1mo: Fraus, quæ est astuta deceptio alterius in facto, exg· in contractibus tam ratione materiæ, quam ratione pretii. Hæc si sit cum gravi nocumento, & injuria proximi, grave est peccatum, leve autem si injuria nocumentumqué leve nonnisi fuerit.

2do: Fallacia, quæ est astuta deceptio in verbo, sive est dolosa verborum mendacium, aut æquivocorum ad proximi deceptionem usurpatio, quæ si juramento confirmetur, mortale est perjurii scelus.

3tio: Inquietudo, quæ est nimia, & anxia solicitudo ad

ad acquirendas, aut conservandas divitias, cum nimio timore ne deperdantur, & in posterum desint. Hæc opponitur Christi præcepto Math. cap: 6. *Nolite soliciti eſse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus.*

4to: Obduratio contra misericordiam, & est tenax rebus terrenis adhæsio, quæ impedit ne cor miseriis pauperum emolliatur, unde fit ut sæpe eleemosynæ dandæ violetur præceptum. Præter hæc, ex avaritia lucri, ac mercedis iniquæ capeſsandi gratia, provenit *proditionis scelus. Est autem proditio illicita manifestatio rei*, vel personæ in proximi detrimentum, contra fidem ipsi debitam, ut si quis alterius literas aperiat, quod sine peccato ſæpe etiam mortali fieri nequit. Nam litterarum sigilla publicæ fidei, concredita sunt, unde qui illas resignat iniquus est, tum in eum qui eas mittit, tum in eum, ad quem mituntur. Attamen nonnisi venialiter peccaret, qui alterius aperiret litteras, certo sciens in iis non contineri nisi res levioris momenti. Imo & à veniali immunis foret. *1mo:* qui sciret eum, cuius sunt litteræ ratum & acceptum habiturum, si ipsius aperiantur litteræ. *2do:* Qui non temere, sed probabiliter judicat litteras vel in proprium sui, aut tertii cuiuspiam, ac præsertim communitatis damnum conscriptas eſse, illas aperiendo, nullatenus peccat, quia iure suo excidit qui litteris ad alterius perniciem abutitur. Sed & ii proditores sunt, qui alterius arcanum, fidei suæ concreditum, in ejus detrimentum evulgant, ut aliquando faciunt Advocati, Medici, Chirurgi qui clientum suorum secreta, pudendas, sed occultas ægrorum, qui suæ se fidei, & curæ commiserant, morbos revelant, illi denique qui momentosum arcanum, sibi ab amico concreditum, contra, aut præter ejus voluntatem, alteri manifestant, præsertim dum probabiliter metuere debent, ne quid hinc in eum redundet mali. Verum excipiendum est, si res secreto commiſsa, tendat in grave damnum alicuius exg: incendium domus, machinatio in vitam alterius, aut in bona ipsius. In his enim casibus, præter Confeſsarium, nemo obligari potest per ſecreti commiſsum, quia violaret charitatem quam debet illi cui insidiæ, damnumquè paratur.

Quæres 8vo: Quid sit gula, & quale peccatum?

Resp: Gula *est inordinatus appetitus, & usus cibi & potus*, unde gulosi ii dicuntur, qui cibo & potu utuntur, non ut neceſsitati naturæ satisfaciant, ſed ut voluptati in-

dulgeant, & hoc voluptatis studium efficit ut justam mensuram excedant in edendo, & bibendo.

Gula dividitur *in commeſsationem*, *seu crapulam* & *ebrietatem*. Hæc in immoderata potus sumptione, illa in immoderato cibi usu consistit.

Commeſsatio, seu crapula, ab ebrietate sejuncta, aliquando est peccatum mortale, aliquando solum veniale, quare S. Paulus ad Galatas Cap: 5. commesationes reponit inter illa opera, quæ, qui agunt regnum Dei non poſsidebunt. Est autem commeſsatio peccatum mortale. *1mo:* Cum quis cibo se usqué ad vomitum ingurgitat aut licetsi vomitus non sequentur, per nimium cibum multum nocet suæ ſanitati. *2do*: Cum quis per nimiam crapulam præbet sibi occasionem immunditiæ, pollutionis. *3tio*: Peccant quoquè qui postquam multum comederint, ad vomitum se excitant, ut denuo manducare poſsint, hoc enim plus quam bestiale est. *4to*: Peccant & ii graviter, qui propter suum ventrem omnia faciunt, solas cibi & potus delicias quærunt, cætera negligunt. Extra hos casus gula non est, nisi peccatum veniale.

Quæres 9no: Quid sit ebrietas, & quale peccatum?

Resp: Ebrietas est sumptio potus usqué ad violentam rationis privationem, violenter enim per nimiam potationem usus rationis aufertur.

Ebrietas ex genere suo est peccatum mortale, quia qui se voluntarie inebriat, delectationem potus præfert integritati rationis, unde Apostolus 1. Corinth: cap: 6. dicit: *Ebriosi regnum Dei non poſsidebunt.* Ebrietas igitur grave est peccatum, quod à Regno Cælorum excludit.

Jam verò ratione & occasione ebrietatis peccant mortaliter. *1mo:* Qui licet expreſse non intendant se inebriare, tantum tamen bibunt quantum poſsunt, aut quantum rogantur, non curantes an inde ebrietas ſequatur, nec ne. *2do:* Qui ex longa multum bibendi consvetudine, vel ex sumptione alicuius pharmaci, sic constituti sunt, ut rationis usum vel nullatenus amittant, quidquid biberint, vel intra breve tempus illum recuperant. Ii enim sunt strenui potatores, quibus exitium interminat Isaias cap: 5. dicens. *Væ qui potentes estis ad bibendum.* Determinari attamen non potest, quis præciſse in bibendo exceſsus, talibus sit mortalis, quia quod uni enorme est, potest alteri enorme non eſse. Verum sicut gravis in cibo exceſsus, mortale est peccatum, etsi rationem non perimit.

mit, ita etiam gravis in potu excefsus, etsi non auferat usum rationis, mortalis est. *3tio.* peccant quoqué graviter, qui largiori potu ita cerebrum suum accendunt, ut perpetrent, aut fubeant morale periculum, perpetrandi certa quædam crimina, in quæ se, cum in tali sunt statu positi, proclives éfse, & nonnunquam incidere experti sunt. Et hi quidem duplicis peccati rei sunt, excefsus scilicet in potu, & criminis, in quod ex eo prolabuntur.

Quœres xomo: An ebrietas œquale sit in omnibus peccatum?

Resp: Ebrietas licetsi ex se gravè sit malum, majus tamen est peccatum *xmo:* in iis quibus aliorum cura incumbit, quales funt Patresfamilias. Hi enim si nimio potu se ingurgitant gravifsimum scandalum præbent. *2do:* In fæminis, & puellis, quia per ebrietatem majori exponuntur multorum criminum periculo *3tio* in illis qui ad continentiam obligantur. Nam ut Prov: Cap: 20. dicitur: *luxuriosa res est vinum:*

Quœres xxmo: Quid sentiendum est de iis qui aliis nimium fubministrant potum?

Resp: Qui tantum potus aliis porrigunt, ut illos eo inebriari prævideant, ii etiam graviter peccant, quia gravi cooperantur peccato, cujus adhuc magis rei funt illi, qui de industria alios inebriant, quacunquè ex causa id faciant, quia nunquam licet alios ad peccandum inducere.

Caupones pariter peccant, cum potum ministrant iis, quos inde prævident inebriandos. Si enim quisque tenetur proximi peccatum impedire, quantum potest, â fortiori obligatur ebrietatis materiam, & occasionem non fubministrare. Pafsim tamen excusantur Caupones, quod ad hanc largioris potus administrationem adigit gravioris incommodi imminens periculum.

Quœres x2mo: Quœ funt ebrietatis filiœ?

Resp: Quinque referuntur. *xmo:* Est inepta lætitia, quæ, quia sæpius movet ad actus turpes, choreas parum pudicas, ad obscenas cantiones, & similia, mortalis est. *2do:* Scurrilitas, & turpiloquium. Namque ut scribit S. Chrisostomus. Homil. 57. *Ubi ebrietas, ibi diabolus, ibi turpia verba, ubi saturitas, ibi dœmones choros agunt.* Hinc tot in popinis cantilenæ turpes. *3tio:* Immunditia, inde enim mollities, tactus impudici, aspectus periculosi. *4to* Multiloquium, unde pullulant colloquia prava, detractiones, & similia. *5to* Hebetudo mentis. Unde inquit Chri-

stus

stus Lucæ Cap: 12. *Attendite ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate.* Hisce malis annexa ſunt alia prope innumera, atque imprimis; propriæ sanitatis læsio, neglectus officiorum hominis Christiani, neglecta item prolis & domesticorum cura, profanatio tandem dierum festorum, qui cum sanctificari debeant, penè integri in popinis transiguntur.

Quæres 13tio: Quid sit invidia, & quale est peccatum?

Resp: Invidia *est tristitia de alienis bonis.* Ad invidiam revocatur gaudium de malo alieno. Hinc invidia neque est ille animi ſensus, quo quis de alieno contristatur bono, quia eo caret, ipsoque potiri vellet, diciturque æmulatio, neque etiam est ille dolor, quo quis exuritur, cum bona quædam ab indignis poſsideri videt, & vocatur indignatio, tandem invidia non est illa affectio, qua quis de alterius bono, exg. potestate mæret, quia inde grave aliquod malum sibi imminere prospicit, & est timor. Quare invidia proprie est ille sensus, quo quis dolet de felicitate alterius sive digni, sive indigni, ita, ut illum ipsa ſpoliari, eamque in se transferri ardenter exoptet.

Invidia ex genere ſuo est peccatum mortale, unde Paulus Epist: ad Rom: Cap: 5. eos morte dignos eſse censet, qui pleni ſunt invidia. Quia tamen, ut advertit S. Thomas Doctor: in quolibet genere peccati mortalis, inveniuntur aliqui imperfecti actus, ſeu ratione ſui, ſeu ratione materiæ, quæ ſolum ſunt peccata venialia, ideo invidia in quibusdam casibus, non est nisi peccatum veniale.

Quæres 14to: Quæ peccata ex invidia profluant?

Resp: Ex invidia hæc profluunt peccata. 1mo: Susurratio, quæ est occulta mali de proximo narratio, ad ſeminandas inter amicos discordias. Hinc susurro, & detractor, ambo pariter de proximo malum annuntiant, ſed differunt in fine, quia detractor intendit denigrare famam proximi, ſusurro autem intendit amicos à ſe invicem ſeparare. Hinc ſusurratio est peccatum detractione gravius, etiam cum ſusurro licet directe non intendat amicorum ſeparationem, ea tamen narrat, quæ nata ſunt amicitiam labefactare.

2do Exultatio in adversis proximi, tristitia & animi afflictio in prosperis ipsius. Sed pro ratione ſubjectæ materiæ aut grave, aut leve est peccatum. Ex invidia quoque oritur, detractio, odium. Sed hæc alibi explanantur.

Quæres 15to: Quid sit Acedia, & quale est peccatum?

Resp:

Resp: Acedia, ſeu desidia est *tedium*, *atque animi remissio in divino servitio*, virtutum praxi, fuga peccatorum, bonorum operum exercitio, propter laborem, difficultatemque illis adjunctam. Hujus desidiæ rei ſunt 1mo: qui ea, quæ ad salutem, & officium ſuum neceſsaria ſunt, edoceri nolunt, tum ii qui cum obstinatione illas detrectant functiones, munera, ad quæ à ſuis Superioribus vocantur. 2do: Qui marcent ignavia, torpent otio, & tempus in ludis, visitationibus, inanibus confabulationibus, aliisque id genus nugis, ineptiis, terunt. 3tio: Qui ad divina, orationes, pietatis exercitia ſegnes ſunt, ad pænitentiam ita tardi, ut eam diu procrastinent.

Acedia est peccatum mortale, aut veniale, prout per illam violatur præceptum in re gravi, aut levi.

Quæres 16to: *Quæ ſunt desidiæ filiæ.*

Resp: Quinque numerari ſolent. 1mo: Derisio, contemptus bonorum ſpiritualium, & illorum qui nos exemplis, vel doctrina ad pietatem accendere conantur. Hæc grande est impiorum peccatum, qui idcirco, ut habemus Sapientiæ Cap: 5. timore horribili in inferis turbati, præ angustia spiritus gemunt.

2do: Rancor, ſeu indignatio adversus Superiores qui acediosos ad meliora compellunt. Eaque grave est peccatum juxta id Prov: Cap: 25. *Qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus.*

3tio: Nimia pusillanimitas, quæ est vitiosa de suis viribus diffidentia, qua quis Dei consilia, aut præcepta ex animi timiditate omittit, ac negligit. Est peccatum mortale, cum quis ea, quæ sibi à Superiore injuncta ſunt, aut ad quæ â Deo evidenter vocantur, negligunt.

4to: Torpor, ſeu animi remiſsio, ex qua præcepta vel totaliter omittuntur, vel negligenter adimplentur. Cui affinis est desperatio, qua ex animi dejectione bona, sive neceſsaria, sive multum utilia, negliguntur, ac omittuntur.

5to: Evagatio mentis, cum mens præ tædio rerum ſpiritualium, ad objecta exteriora evolat, ut ex iis aliquam consolationem percipiat, quam ex rebus divinis non percipit.

Quæres 17mo: Quid sit ira, & quale est peccatum?

Resp: Ira, *est inordinata cupiditas vindictæ, ut malevolum cor saucietur.* Est verô hæc cupiditas inordinata vel ex parte *objecti*, cui vindicta expetitur, vel ex parte *modi*, quo expetitur. Et quidem exparte *objecti*, ut

si

si quis optet pænam ei, qui non meruit, aut saltem qui non meruit tantam, item qui optat alicui inferri pænam, ſed ab eo, qui ad id auctoritatem non habet, aut demum si exoptet alteri pænam, non propter debitum finem, qualis est conservatio justitiæ, & correctio culpæ, ſed ut malevolum cor alterius pæna exsacietur. Ex parte verò *modi*, si quis nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ.

Ira ex parte objecti inordinata, est ex natura ſua peccatum mortale, aut enim charitati, aut etiam justitiæ adversatur, unde *omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* Math. Cap: 5to. Ira verò quæ ſolum ex modo irascendi vitiosa est, non habet ex suo genere rationem peccati mortalis. Poſset tamen eſse peccatum mortale, ratione blasphemiæ, convitiorum. Item si talis sit exceſsus, ut magnum præbeat aliis scandalum, aut irascens valetudini ſuæ plurimum noceat, aut demum vel opere externo, vel etiam sola animi dispositione, charitati graviter adversetur, sic enim ira perdet etiam sapientes, ut dicitur Prov: Cap: 7.

Quæres 18vo: Quæ sunt filiæ iræ?

Resp: Ira quatuor habet filias. *1ma*: est indignatio, & est animi commotio qua quis ob injuriam sibi illatam proximum reputat indignum, cui officia, aliis exhiberi solita, præstentur, veluti illum salutare, cum eo colloqui, ſuppetias ipsi ferre. Hæc erit mortalis, si conjunctum habeat gravem proximi contemptum, aliorum scandalum, aut præ indignatione nolit aliquis id proximo præstare, ad quod ſub gravi obligatur. *2da*: Est clamorosa vocis elatio, & confusa locutio. Gravis eſse potest ratione scandali, convitiorum, ac similium. *3tia*: Contumelia, cum in proximum præsentem verba effunduntur injuriosa. *4ta*: Sunt rixæ, contentiones, ac quævis nocumenta quæ proximo irato animo inferuntur.

Quæres 19no: Quid sit luxuria?


Resp: Est *inordinatus appetitus & usus venereorum*. Est peccatum mortale ex genere ſuo. Quare Apostolus Paulus Epist. ad Galatas Cap: 5to inquit. *Opera carnis quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt.*

Ex luxuria graviſsima mala profluunt, videlicet cæcitas mentis, obduratio cordis, carnis ac voluptatum amor

amor, nimia adhæsio terrenorum, præsentisque vitæ cæca dilectio, horror, & desperatio futuri sæculi, tandem finalis impænitentia.

Quæres 20mó: Utrum in materia luxuriæ poſsit dari parvitas materiæ, quæ excuset a mortali?

Resp: In materia luxuriæ, quando directe, & in se volita, & quæsita est, parvitas materiæ non datur, unde in rebus, actibusque impuris, ratione parvitatis materiæ, si adsit debita advertentia, nunquam eſse potest peccatum veniale, ſed ſemper est mortale. Quare leve etiam osculum ob delectationem veneream datum, levis venereorum commotio de industria excitata, brevisſima impuræ cogitationis delectatio, peccata ſunt mortalia. 1838.



TRACTATUS

DE

PRÆCIPUORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS ET ILLORUM PECCATIS

CAPUT PRIMUM

De Obligationibus Clericorum.

Quæres Quotuplex est Clericorum status?

Resp: Multiplex est Clericorum Status, sive genus. Alii in Sacris Ordinibus constituti ſunt, alii non. Utrique vel habent beneficia, vel non habent. Beneficiis verò quandoque annexa est cura animarum, quandoque non. His omnibus quædam onera ſunt communia, quædam veró ſunt uniuscujusque claſsis propria.

ARTICULUS 1mus.

De communibus Clericorum obligationibus.

Quæres 1mo: Quæ ad Clericatum prærequiruntur dotes?

Resp: Ad Clericatum requiritur 1mo: innocentia vitæ vel diligenter custodita, vel congruê reparata. Et id ipsa sublimitas, ac ſanctitas status expostulat: unde S. Isidorus Hispalensis libro 2. de Officiis Eccles: Cap: 5 ait. *Quod is, qui post Baptismum aliquo mortali peccato corruptus ad Sacerdotium non promoveatur, lex ipsa testatur.* & S. Martinus I. Papa, & Martyr in Epist: ad Amandum inquit: *Tales quærimus ad sacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullum vitæ sit contagium.* Hinc S. Thomas in 4. dist: 24. docet, quod mortaliter peccet, qui cum conscientia peccati mortalis ad Ordines accedit. Et multis probabilius videtur, mortalis peccati reatum contrahere, qui indigne etiam primam suscipit Tonsuram. Porro qui postquam à baptismali innocentia

centio exciderunt, Clero adscribi volunt, illorum pænitentia non remiſsa, ſed acris eſse debet. Hinc merito in quibusdam Synodis sancitum est, *ne ullus ex laicis ante annualem conversionem ordinetur*. Hoc tamen tempus ut protrahi, præsertim ob in continentiæ peccatum, sic & aliquando imminui debet, pro fervoris gradu.

2do. Prærequiritur scientia. Unde Concilium Lateranense. 4. sic inquit. *Duo sunt nobis neceſsaria, vita scilicet & doctrina, alterum propter nos, alterum propter proximos*: quare Gelasius Papa constituit ne illiterati ad Clericatus ordinem admittantur. *Illiteratos aut aliqua parte corporis vitiatos, nullus præsumat ad Clericatus ordinem promovere, quia litteris carens, sacris non potest aptus eſse officiis*: ex quo manifeste liquet, defectum scientiæ competentis, non secus ac vitium corporis, veram parere irregularitatem.

Hinc colligitur quam graviter peccent in Seminariis Clerici, qui tempus in otio transigunt, nec alio animo ad studia litterarum accedunt, quam quo servi ad corporalem laborem.

Verum scientia quæ ad Clericatum prærequiritur, est scientia statui Ecclesiastico conveniens, ac officiis ejus exercendis correspondens. Unde qui multa novit exg. Poetas veteros, Mythologiam, singulas Matheseos partes, poſse ad Clericatum insuffiicientem eſse. Debent ergo Clerici acquirere 1*mo*: Scientiam Sanctorum, quæ libris spiritualibus, continetur. 2*do*: Sacram Scripturam ejusque intelligentiam. 3*tio*: Historiam Ecclesiasticam, Jus canonicum. 4*to* Demum ac præcipue Theologiam dogmaticam, ac moralem. Præterea scire debent sacros Ritus, modum concionandi, catechisandi, administrandique Sacramenta. Quoniam vero qui vult finem, & media velle debet, tenentur Clerici quoquomodo comparare sibi libros, ad prædictas scientias acquirendas, & perpolienda, omnino neceſsario.

Quæres 2do: Quid præterea ad Clericatum prærequiritur?

Resp: Prærequiritur vera & sincera à Deo proveniens vocatio. Et id aperte docet Paulus Apostolus Epist: ad Hebr: Cap: 5. dicens. *Nec quisquam sumit sibi honorem sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret*. Unde S. Cyprianus Epis: 55. ad Cornelium Papam scripta affirmat: sacrilegæ eſse temeritatis, ac perditæ mentis, ut quis

quis putet sine Dei judicio fieri Sacerdotem. Hinc qui de amplectendo Clericali statu cogitat, ſerio perpendere debet, vocatusne à Deo est, an non? quod ex quibusdam signis recognoscere potest. Hic porro triplicis generis occurrere poſsunt signa, alia quæ vocationem abeſse probant, alia quæ illam adeſse evincunt, alia denique, ex quibus utpote ambiguis, nihil certi definiri potest.

Signa quæ vocationem abeſse probant, his paucis expreſsit Hallerius. *Impurus eſse, & ad obeunda ministeria ineptus, mala arte Sacerdotium præripere tentas, ambitione duceris, vel avaritia, inhias honori, non oneris, non operis cupidus, aut saltem patiens, non te vocat Deus, ſed diabolus tentat.*

Signa vocationis moraliter certæ ſunt. *Judicium prudentis Directoris*, maxime Confessarii, qui discretionem spirituum habet, & in Ecclesiam bene affectus est. *Congeries bonorum qualitatum animi, & corporis*, quæ ad obeunda Sacra ministeria neceſsaria ſunt. *Intentio sincera* gloriam Dei, suam, & proximi salutem, omni, qua licebit via procurandi. *Ecclesiæ, ac disciplinæ ipsius amor*, ac ingens studium. Signa vocationis dubia sunt, *corporis, ingeniique talenta, Ordines recipiendi desiderium*, quæ aliquando non ex divina charitate, ſed ex mundana cupiditate promanat. Quare qui de vocatione sua dubius, ac incertus est, ne in re tanti momenti erret, debet sedulo Dei voluntatem explorare *1mo*: Oratione, sæpius verba Psalmi 142. repetendo, & Deum suppliciter depræcando *Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam*, *2do*: Sapientiorum, ac Deum timentium consilio, plena, totalique ad illorum judicium & decisionem, resignatione.

Quæres 3tio: Quæ Clericis specialiter prohibita ſunt?

Resp: Clericis specialiter prohibita sunt, Venatio, ludus alearum, negotiatio, popinarum ingreſsus, extra neceſsitatis casum, veluti iter agendo, ac demum omnis lusus, ſpectacula, commeſsationes, & similia vetita ſunt illis. Latas ab Ecclesia prohibitiones adducere nimis longum eſset, totum Jus Canonicum plenum est legibus, quibus prædicta severe Clericis prohibentur, & vetantur: à Romanis Pontificibus, à Synodis etiam Nostrarum Regionum sive Provincialibus sive Diæcesanis frequenter renovatæ & inculcatæ. Sed & ratio naturalis ostendit hæc omnia statum Ecclesiasticum dedecere, ac communis SS. Patrum ac Doctorum Ecclesiasticorum sensus, atque doctrina est,

illa

illa Clericis omnibus illicita, ac peccaminosa eſse. Sufficiat hic decretum Concilii Tridentini Seſs. 22. Cap: 1. de Reformatione latum adduxiſse, ubi hæc habentur. *Statuit Sancta Synodus, ut quæ alias â Summis Pontificibus & â Sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commeſsationibus, choreis, aleis, luxibus, ac quibuscunque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. Si quæ vero ex his, in desvetudinem abiiſse compererint, ea quam primum in usum revocari, & ab omnibus accurate custodiri curent, non obstantibus consvetudinibus quibuscunque.*

Quæres 4to: Quid circa venationem, alearum lusum, negotiationemque Clericis prohibitam, sciendum sit.

Resp: Circa venationem sciendum, & annotandum est. 1*mo:* Venationem clamorosam, quæ fit cum canibus, armis, Clericis prohibitam eſse, quia licita est interdum Clericis venatio quieta, quæ fit laqueo, retibus causa neceſsitatis, vel moderatæ recreationis. 2*do*: Clericum, qui clamorosæ venationi deditus est, in statu peccati mortalis eſse, quod inde manifestiſsime apparet, quia Canones, ac Ecclesiasticæ Constitutiones graves pœnas minantur, & infligunt Clericis, qui clamorosa venatione occupantur, aliunde etiam multæ & noxiæ inconvenientiæ ex illa profluunt; unde Clericis graviter illicitam, & prohibitam eſse apparet.

Circa alearum, chartarumve lusum, notanda ſunt. 1*mo*: Clericum mortaliter peccare, qui sæpe alea ludit, cum notabili jactura temporis, neglectu ſuorum officiorum, vel si etiam semel ludat, ſed cum aliorum ſcandalo aut magna pecuniæ summa jactura. 2*do*: Illos etiam Clericos, qui modice, & moderate chartis ludunt, vix immunes eſse à peccato, saltem veniali. Chartarum siquidem illecebræ sensim rapiunt, & ludendi consvetudinem pariunt, atque semper hominem ad pietatis officia segniorem efficiunt. 3*tio:* Non raro evenire, ut Clerici, imo & Laici, illos inspiciendo qui chartis ludunt mortaliter peccare, atque id præsertim contingit, quando illi, qui ludunt, mortaliter peccant, sive ob blasphemias, impræcationes, perjuria, maledicta quæ evomunt, sive ob notabiles quas exponunt summas, quia ex eorum aſsistentia, aspectu, multum accendantur ad continuandum.

Quan-

Quantum attinet negotiationem, sciendum est *1mo*: negotiationem eſse contractum, quo quis rem eo animo comparat, ut integram, & non mutatam vendendo, aut permutando lucretur. Et hæc stricte Clericis prohibita est, est enim plena periculi, implicat negotiis sæcularibus, atquè à Deo avocat, tandem maximum ponit impedimentum Clericis ad functiones ſuas fideliter perficiendas. *2do*: non constat an Clericus, qui semel, aut iterum negotiatur mortaliter peccet. Quia Canones, & Statuta Ecclesiastica, quæ Clericos negotiatores gravibus subiiciunt pænis, non actum rarum, & transeuntem, sed consvetudinem, & habitum insinuare videntur, attamen tutior pars in hoc casu tenenda est. *3tio*: Licitum autem est Clericis proprios agros colere, ut fructus illorum vendant, & greges in suis prædiis alere, ut ex fætu, lacte, pecuniam acquirant, aut ipsa animalia saginata vendant. Eis quoqué licet, res quæ ad suos usus emerant, postea data occasione carius vendere, nam hoc non est negotiatio.

Quæres 5to: *Quæ à Clericis præstanda sunt?*

Resp: Clerici omnes, maxime verô Sacris Ordinibus initiati, tenentur. *1mo*: Tonsuram, habitum Clericalem, ac vestem talarem portare. Id præcipit noviſsime Concilium Trident: Seſs: 14. de Refor: Cap: 6. ubi etiam vanam, quæ à vanis Clericis afferri solet excusationem, his explodit verbis. *Et si habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos, vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.* Sixtus etiam V. in Bulla sua severe præcipit, omnibus, ac quibuscunqué Clericis, ut Tonsuram, & habitum Clericalem, vestes scilicet talares, jugiter deferant. Certé, ex quo ceſsante persecutionum æstu, laicæ, & Sacræ vestes discerni cæperant, vix quidpiam amplius Sacris Canonibus Generalium, Nationalium, Provincialium, ac Diæceſanorum Conciliorum, commendatum ac injunctum Clericis fuit. Peccant igitur quam maximè, qui habitum fere laicalem portant, adeo; ut nullatenus à laicis secerni poſsint, nequé etiam à peccato immunes censeri debent illi, qui non solum Tonsuram non gerunt, sed & crines retortas, ac calamistratas, in ipsa etiam domo Dei deferunt, inter Sacra quoqué mundani, ac vani. *2do*: Dominicis, ac festis Diebus tenentur Clerici divinis intereſse officiis, ac propterea cantum Ecclesiasticum, ac Sacras Cæremonias addiscere obligantur; Divina siquidem officia, sine quibusdam ritibus, & usitato

to in Ecclesia cantu perfici nequeant, hæc ergo Clerici scire tenentur, ut Sacra in Ecclesia persolvant munia, à quibus dispensare se, ac eximere nec poſsunt, nec debent, cum Ecclesiæ servitio mancipati sint. Certe, ut sapienter monet Concilium Aquileiense. *Nihil potest videri absurdius, quam ut sœculares officiorum divinorum tempore Ecclesiam frequentent, Clerici refugiant, illi Deum vel tacitis vocibus in Ecclesia laudent, isti boni aversione scandalum prœbeant.*

Quæres 6to: Quæ sit præcipua Clericorum obligatio?

Resp: Præcipua Clericorum, maxime qui in Sacris ordinibus constituti sunt, hæc est obligatio, ut sint ab omni crimine puri, & castitatem corporis, ac animæ exactè servent. Et id omni ævo Ecclesia à Clericis exigebat. Unde Concilium Carthaginensé II. cap: 2. sic statuit. *Episcopos, Presbyteros, & Diaconos placuit continentes eſse in omnibus, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Variis proinde in Conciliis generalibus continentia, ac omnimoda castitas Clericis præcipue in ſacris Ordinibus existentibus demandata, ac præcepta est, quod noviſsimè Concilium Tridentinum iterum injunxit, ac Seſs: 24. Can: 9no constituit. *Si quis dixerit: Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, poſse matrimonium contrahere, contractumque validum eſse, non obstante lege Ecclesiastica, anathema sit.* Ex lege igitur Ecclesiastica, & quemadmodum communior docet Theologorum opinio, ex implicito castitatiś voto, Sacris Ordinibus initiati, omnimodam puritatem servare stricte obligantur, quare iam pridem scripserat S. Gregorius Magnus, prout habemus cap: 1. dist: 28 *Nullum facere Subdiaconnum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit*, & hoc modo étiam à Subdiaconis in eorum ordinatione exigitur. Quare omnes Clerici antequam ad Sacros promoveantur Ordines, castitatem omnimode colere tenentur, quia ut constituerat Urbanus II. Papa dist 32. cap: 12. *Nemo ad Sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatœ castitatis*: quapropter temere, ac illicite sacros Ordines amplectuntur, qui se ipsos quo ad hoc punctum minime probaverunt, nec minus peccant Confeſsarii, qui fragiles adhuc, nec satis probatos, sacros ordines suscipere permittunt.

ARTICULUS

ARTICULUS 2dus.

De obligationibus Beneficiatorum.

Quæres 1mo. Quæ sunt præcipuæ Beneficiatorum obligationes?

Resp: Beneficiatorum præcipuæ obligationes sunt, unius Beneficii posſesio, residentia in eo, & legitima ejusdem fructuum dispensatio.

Quæres 2do: Quid sit residentia?

Resp: Residentia, est personalis in loco Beneficii commoratio, & ibidem munerum Ecclesiasticorum adimpletio. Non residet ergo Parochus in suo Beneficio, qui licet in eo personaliter maneat, munera tamen sua non exercet, non concionatur, non cathechisat, Confeſsiones non excipit, Sacramenta non administrat, non admonet errantes, vitiosos non increpat, pauperum curam non gerit.

Quæres 3tio: Quo jure ad istiusmodi residentiam Beneficiati obligantur?

Resp: Beneficiati quibus cura animarum incumbit, in suis beneficiis omni jure residere personaliter obligantur. Enimvero Beneficiarii sunt Pastores, Rectores, Doctores, Duces ovium suarum, ac populi sibi à Deo concrediti. Porró Pastor, Magister, Rector tenetur iis aſsidere quos pascere, docere, regere debet, quia alioqui nec pascere, nec docere, nequé regere illos poterit. Et hoc definivit, ac decrevit Concilium Trid: Seſs. 23. cap: 1. *Cum præcepto Divino mandatum sit, omnibus quibus cura animarum commiſsa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum, aliarumqué miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munera pastoralia incumbere, quæ omnia ab iis præstari, & impleri nequaquam poſsunt, qui gregi suo non invigilant, nequé aſsistunt, sed mercenariorum more deserunt, Sacro-Sancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factiqué forma gregis, in judicio & veritaté pascant.*

Dices: Non raro Parochus officium ſuum melius exequitur per alium, quando videlicet is, quem loco sui præficit gregi, & sanctior, & doctior ac proinde utilior est populo. Non ergo ipse tenetur in Beneficio suo residere.

Resp: Jure etiam naturali qui stipendio fruitur, laborare

borare debet, qui ergo non laborat, nequé mercedem recipere ipse debet, ut ergo Beneficiatus fructus Beneficii merito percipiat, in beneficio laborare tenetur. Hinc merito scripsit S. Bernardus Epist: 4. *qui per vicarium inservit, per vicarium remunerabitur.* Sed & summe difficile est, ut per Vicarium illa suppleri pofsint, quæ sunt propria Pastoris, scilicet in regendo gubernandoqué, grege.

Hinc graviter peccant, qui in suis Beneficiis non resident, aut residendo munia sua, ut par est, non adimplent.

Quæres 4to: Quæ sunt munera Parochorum?

Resp: Munera Parochorum sunt sequentia *1mo:* populum docere per Conciones, Catechismos, quare gravis peccati censetur efse reus, qui duobus, aut tribus Mensibus discontinuis etiam non concionatur, non catechisat. Non sufficit autem Parocho quomodolibet concionari, sed id utiliter præstare debet, quæ ad salutem necefsaria sunt, ad formandos mores, ad rite suscipienda Sacramenta conducentia, sermone vulgari, ad captum gregis accomodato, exponendo & docendo.

2do: Debet grasantia scelera, publica scandala tollere ac coercere, privatis etiam monitionibus, exortationibus. Scrutari debet, an omnes ejus Parochiani Paschali Confefsioni, communionique satisfecerint, an omnes catechismum sciant, an divinis Officiis diebus festivis intersint.

3tio: Singularem pauperum curam gerere tenetur, infirmos etiam Sacramentis munitos visitare, in extremo agone roborare, egenos gratis sepelire.

4to: Pro suis Parochianis Dominicis, festisque diebus Mifsam offerre, neque tunc ullum stipendium pro eadem Mifsa recipere potest, quia illam pro populo applicare tenetur, & ad id etiam obligati sunt Vicarii sive perpetui, sive ad tempus constituti, Commendatarii quoqué qui locum Parochi tenent.

5to: Debent per se, & per alios suorum Parochianorum Confefsiones excipere, iis Sacramenta administrare quoties id petunt, & quamvis id non petant, ad id paratos se efse, ostendere debent.

Quæres 5to: Quæ excusant Parochum à residentia personali?

Resp: Juxta Concilium Trident: Sefs: 23. Cap: 1. quinqué offeri solent causæ quæ excusant à residentia personali in suo Beneficio. *1ma* est Christiana charitas. Potest enim Parochus à sua ad tempus abefse Ecclesia, ut alte-

alteri in gravi necefsitate constitutæ succurrat. Efset tamen contra ordinem charitatis, aliis fuppetias ferre cum nocumento suorum.

2da: Urgens necefsitas, hæc autem vel est ab *intrinseco*, exg: ab infirmitate Parochi, vel ab *extrinseco* vg. â persecutione hostis, qui singulariter Parochum insequeretur. Unde Parochus infirmus locum mutare potest, sanitati alibi consulere, hostem fugere. Non potest tamen fugere Parochus pestis tempore, sed tenetur, aut per semetipsum, aut per alios Sacramenta peste infectis administrare.

3tio: Obedientia debita legitimo Superiori ad aliud vocanti, quare potest aliquando Parochus ad breve tempus abefse, ut ex commifsione Episcopi nonnullarum Ecclesiarum Visitationes peragat, sed ut aliquo Officio per longum tempus fungatur, suam Parochiam deserere nequit.

4to: Evidens Ecclesiæ utilitas *exg:* si Ecclesiæ suæ, jura defendere cogatur, si vacandum sit annuis Recollectionibus.

5to: Reipublicæ utilitas, quæ tamen cum necefsitate conjuncta efse debet, nam Parochus iis implicare se non debet, quæ per Laicos æque præstari pofsunt?

Quæres 6to: An plura Beneficia pofsideri pofsunt?

Resp: Certum est *1mo*: nonnulla efse Beneficia, quæ simul ob incompatibilitatem nullo modo teneri pofsunt, in hoc ordine sunt duo Beneficia curata, duæ dignitates, Personatus, aut etiam duo simplicia ejusdem generis Beneficia sub eodem tecto, seu in eadem Ecclesia posita, veluti duo Canonicatus. *2do*: sed & plura, in diversis quoqué Ecclesiis habere Beneficia, quamvis simplicia, graviter illicitum est, ac prohibitum, quando unum ad honestam fufficit sustentationem. Ita constitutum ac decretum est à Concilio Triden: Sefs: 24. Cap: 27. *Quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos non Deum decipientes, plura simul beneficia obtinere non erubescunt, Sancta Synodus præsenti Decreto statuit, ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod si quidem ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem superaddere.* Et veró ut invictis rationibus probat, & sua auctoritate corroborat S. Thomas Doctor. Quodlib: 9. Art: 15. *Habere plures Præbendas, plurimas in se continet*

tinet

tinet inordinationes, utpote quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire. Sequitur etiam diminutio cultus Divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatis testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi eſset. Sequitur etiam inequalitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest, & multa alia, quæ de facili parent. Et hæ omnes rationes subsistunt, ac pugnant non solum contra pluralitatem Beneficiorum incompatibilium, sed etiam illorum, quæ simplicia dicuntur. Certe qui tribus Beneficiis simplicibus donatus est, tria quotidie non persolvit officia, unde fundatores ſua fruſtrantur intentione. Unde sequitur illum graviter peccare qui plura poſsidet Beneficia, nisi quæ superflua ſunt, dimittat, quare merito ex S. Bernardo adducit idem S. Thomas Doctor: *Qui non unus sed plures est in Beneficiis, non unus sed plures erit in supliciis.*

Quæres 7mo: Quotuplicis generis bona à Beneficiatis poſsideri poſsunt?

Resp: Tria bonorum genera à Beneficiariis poſsideri poſsunt. *Patrimonialia* quæ habentur à Parentibus ſucceſsione, item donatione, legato. *Quasi patrimonialia* quæ obtinentur ratione ministerii Ecclesiastici, dum exg: alicubi concionantur, psallunt, munus Confeſsarii, Capellani obeunt, funera comitantur, Scholas docent, aut etiam industria acquirunt. *Pure Ecclesiastica* quæ procedunt à Beneficio, pensionibus pure Ecclesiasticis.

Beneficiorum autem reditus dividuntur in duas partes, altera *honestæ sustentationi* neceſsaria est, altera verò eidem *superflua.* In quo autem sita sit decens illa sustentatio, adeo difficile est definire; suam reipsa habet latitudinem, nec certa pro quocunque beneficiario regula dari potest, ratio itaqué habenda est tum personæ, plura enim infirmo, quam robusto sunt neceſsaria, tum loci, quod enim Vilnæ vix sufficit, alliis in locis superabundat, tum officii, & qualitatis, plus enim exigit conditio Prælati, Canonici, Decani, Parochi, quam Vicarii. Verum omnes Ecclesiastici, quibusvis Beneficiis donati, hanc præcipue Concilii Tridentinii Seſ-: 25. Cap: 1. positam ſectari debent regulam. *Ita mores suos componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac sanctæ humilitatis exempla petere poſsent. Quapropter non solum jubet S. Synodus ut Episcopi modesta ſupellacti-*

stili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.

Quæres 8vo: Utrum Beneficiati bonorum pure Ecclesiasticorum domini sint?

Resp: Beneficiati bonorum pure Ecclesiasticorum non ſunt domini, sed dispensatores, unde ex iustitia tenentur quidquid ex iisdem redditibus à honesta sustentatione ſuperest, pauperibus, vel in alios pios usus erogare. Et hic est constans Ecclesiæ sensus, omnium SS. Patrum, ac Doctorum doctrina, contra quam nulla prava consvetudo prævalere potest. Enimvero antiquus Canon: 12. Quæst: 1. Can: 16. sic habet: *Res Ecclesiæ non quasi propriæ, ſed ut communes, & Domino oblatæ cum summo timore, non in alios quam pios usus ſunt fideliter dispensandæ*, idem tradit Alexander 3. Cap: 2. de Donat: his verbis: *Episcopus, & Prælatus Ecclesiasticarum rerum est procurator, non dominus.* Concil: gener. 8. Cap: 15. decernit; Ecclesiasticos reditus ad ministrorum sustentationem & ad escam pauperum, & peregrinorum sustentationem eſse. Concil. Later: 3. Cap. 19. dicit *Ecclesiarum bona, & Clericorum, & pauperum Christi usibus deputata eſse.* Et Gregorius IX. Cap: 16. de foro comp: affirmat, valde eſse iniquum ea, quæ collata sunt pro remedio peccatorum, Ecclesiis relicta, aut justis aliis modis iis acquisita, aliis usibus applicari. Ex multis verò SS. Patribus ſufficit hic adduxiſse S. Augustinum in Canone 12. quæst: 1 ubi sic inquit de reditibus Ecclesiarum: *Non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicantes.* Unde breviter S. Bernardus Epist: 2. ad Fulcon: concludit: *Quod præter neceſsarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

Et verò Beneficiati nullo titulo ſunt domini bonorum Ecclesiasticorum. Nullus enim hic occurrere potest titulus præter voluntatem Fundatorum, & conceſsionem Ecclesiæ. Porrò Beneficiati non ſunt domini bonorum Ecclesiasticorum ex voluntate Fundatorum, quia bona quævis à fidelibus Ecclesiis sunt data ea intentione, & cum hoc onere, ut impenderentur in cultum divinum, & alios pios usus, scilicet in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & alimentum pauperum, in fabricam, reparationem, atqué

Templi

Templi ornamenta. Certe aliam fuiſse Fundatorum mentem, ac intentionem nequé cogitare licet. Hinc à SS. Patribus & Conciliis bona Ecclesiæ dicuntur vota fidelium, prætia peccatorum, patrimonium pauperum, bona Dei, Deo consecrata, quatenus donata ſunt tantum in ejus cultum, & pios usus ipsi gratos. Non ergo in alios usus Beneficiati bona Ecclesiastica convertere poſsunt, alias iniqui forent diſsipatores. Cum itaqué non pro libitu ſuo ſed ſecundum mentem & voluntatem Fundatorum Beneficiati bonis Ecclesiasticis uti, & iis disponere teneantur, non sunt illorum domini.

Nequè etiam Beneficiati ex conceſsione Ecclesiæ sunt domini bonorum Ecclesiasticorum. Semper namquè Ecclesia, Prælatos ac quosvis Beneficiatos, æconomos, & dispensatores bonorum Ecclesiasticorum, non dominos eſse reputabat. Hinc S. Gregorius Magnus Papa Epist: 23. ad Julian: de ſe ipso ait: *Quem constat non res suas, sed ad dispensandum res pauperum habere, dispensatoris locum in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus.* Et S. Thomas Doctor: quæst: 119. Art: 3. inquit: *Clerici sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, quos defraudant prodige expendendo.* Præterea innumera ad hanc rem confirmandam adduci poſsent Concilia, Patres, Doctoresquè Ecclesiastici. Cum verò nonnisi ex iis constare poſsit de mente ac voluntate Ecclesiæ. Ex ipsius conceſsione Beneficiati nequeunt censeri tanquam domini bonorum Ecclesiasticorum, quapropter, quæ illis ſupersunt ab honesta sustentatione, illa in pios usus erogare tenentur. Hinc S. Bernardus Ser: 18. in Cant: sic graviter admonet: *Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum quas poſsident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debeant, minime contenti, ſuperflua quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegequè sibi retineant, & in usus superbiæ, atqué luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur.*

Et hæc omnia, quæ modo dicta sunt de beneficiariis, stringunt quoqué Commendatarios, qui in locum Beneficiariorum substituuntur. Cum enim locum illorum in munere, jure, & commodis teneant, illorum quoqué in omnibus onera subire debent.

Quæres 9no: Utrum Beneficiarii de bonis, quæ quasi

si patrimonialia dicuntur, pro libitu suo disponere, & in quoscunquê usus erogare poſsunt?

Resp: Beneficiarii, & cæteri Clerici, Vicarii exg: Capellani, qui poſsident bona *Quasipatrimonialia*, habentquê reditus ex officiis, functionibusquê pure spiritualibus, veluti administratione Sacramentorum, Sacrificiis, & aliis similibus muneribus, id, quod ab honesta ſuperest sustentatione, tenentur in pios erogare usus. Enimverò istiusmodi bona non conferuntur Clericis ut merces, nequé titulo mercedis ab illis recipi poſsunt, ſed ratione Ministerii Sacri, istiusmodi reditus obveniunt Clericis titulo honestæ sustentationis, quidquid ergo ab ea superest in usus pios expendi debet & erogari. Et id docet cum cæteris Doctoribus S. Thomas 2. 2dæ quæst: 86. Art: 2. ubi hæc habet: *Oblationes quæ â populo Dei exhibentur, ad Sacerdotes pertinent, non solum ut eas in suos usus convertant, verum etiam ut eas fideliter dispensent, partim quidem expendendo eas in his quæ pertinent ad cultum Divinum, partim vero in his quæ pertinent ad proprium victum, partim etiam in usus pauperum.* Verum illa bona *Quasipatrimonialia*, sive reditus, qui proveniunt Clericis, ex iis functionibus quæ etiam à Laicis exerceri, & æqualiter ab ipsis perfici poſsunt exg: musicam canere, Philosophiam aut aliam ſcientiam docere, quæ etiam industria sibi comparant, istiusmodi redituum quoniam Clerici pleno jure sunt domini, proinde pro libitu suo de illis disponere poſsunt.

Quæres 10mo: Beneficiati ac cæteri Clerici bonorum patrimonialium habentne dominium plenum?

Resp: Plenum habent dominium, atque de iis pro libitu suo disponere poſsunt. Et id certiſsimum est, atque indubitatum apud omnes. Neque etiam qui ſufficiens ad victum habet patrimonium tenetur ex eo vivere, bonis parcens Ecclesiasticis, ſed iis ad congruam ſui ſustentationem libere uti valet. Nunquam enim à Beneficiariis exigebat Ecclesia, ut qui ex iis divites erant, Ecclesiæ bonis parcerent, & ſuis ſumptibus viverent. Atque id docuit Apostolus 1. Corinth. Cap: 5. scribens. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit: Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* & iterum: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus, nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario ſunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari parti-*

tici-

ticipant. Cum itaque carnalia metere posſit, qui spiritualia seminat, & illi de altari vivere licitum sit, qui altari deservit. Poſsunt semper Ministri Ecclésiæ, sive propria bona sua habeant, sive non habeant, de altari vivere, carnalia metere, de fructu vineæ suæ manducare, & de lacte gregis ſui edere, neque ullo modo obligari poſsunt ut in castris Ecclesiæ suis militent stipendiis.

Quæres xxmo: Utrum peccent Beneficiati, & cæteri Clerici qui ex reditibus Ecclesiasticis ſuos ditant consanguineos affinesque?

Resp: Qui ex reditibus pure Ecclesiasticis, aut quasi patrimonialibus, quæ ratione muneris sacri obveniunt, consangvineos, atque affines suos ditant, iis bona terrestria emunt, largas donationes, atque testamentis legata faciunt, graviſsime peccant. Quia non ſua, ſed aliena pauperum scilicet, dant, Dei & Ecclesiæ bona diſsipant, piiſsimam Fundatorum intentionem defraudant. Unde graviter pronuntiavit S. Hieronymus in Cap: 3. Isaiæ scribens: *Rapina pauperum in domibus Sacerdotum qui Ecclesiæ opes sibi thesaurisant, & in delicias abutuntur, quæ ad ſustentationem pauperum dantur, & sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopiam suas, vel ſuorum divitias faciunt.* Et expreſse decrevit atque constituit Concilium Trident: Seſs: 25. Cap: I. ne Episcopi, & quicunque Beneficiati, *ex reditibus Ecclesiæ consangvineos, familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consangvineis donent, sed si pauperes ſunt, iis ut pauperibus distribuant, eos autem non distrahant, nec dissipent illorum causa, imo quam maxime eos sancta Synodus monet, ut omnem hunc humanum erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesiam seminarium extat, penitus deponant:* Poſsunt itaque Beneficiarii consangvineis ſuis aliquid largiri, *dummodo illud faciant moderate, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant,* aït S. Thomas Doctor 2 2dæ art: 7mo.

Dices: Si ita est, non deberet Ecclesia tolerare consvetudinem in multis locis vigentem, qua Beneficiarii de omnibus bonis ſuis Testamento disponunt, & in quibus etiam juxta legum civilium ordinationem consangvinei etiam non pauperes in Beneficiariorum bona ſuccedunt.

Resp: Ecclesia ad vitandas multas lites ac civium perturbationes id tolerat, & cujusque conscientiæ relinquit.

Præ-

Præterea nullus præsumendus est malus, nisi probetur, non est ergo censendus Beneficiarius donare, legare, consangvineis aut affinibus suis quidpiam ex reditibus pure Ecclesiasticis, sed illa, quæ ipsius dominio atque omnimodæ subjacent dispositioni, multa siquidem à Beneficiariis, donatione, industria, aliisque justis titulis acquiri posśunt, de his itaque cum disponere pro suo libitu possint, legare, donare valeant, & vix unquam probari possit, factas à Beneficiariis in rem suorum consangvineorum legationes, donationes, eśse ex reditibus pure Ecclesiasticis, quamquam forte de hoc fortis adeśset suspicio ac præsumptio, ideo Ecclesia ad evitanda multa mala, quæ ex innumeris litibus orirentur, istiusmodi donationes, legationes tolerat, non improbat, sed etiam non approbat, Dei judicio cuncta relinquens.

ARTICULUS 3tius

De obligationibus Religiosorum.

Quæres 1mo: Quid sit status Religiosus?

Resp: Status Religiosus est stabile vitæ institutum, ab Ecclesia approbatum, tendens ad perfectionem jugiter acquirendam per solemnia vota castitatis præsertim, paupertatis, & obedientiæ. Hinc graviter adversus substantialem status sui perfectionem delinquunt ii Religiosi, qui ad perfectionem tendere negligunt, & Ordinis sui regulas, quasi frivolas, & inutiles abijciunt, ac dedignantur. Peccant quoque & ii, quibus Candidatos ad Religionem admittere jus est, dum vel dignos abijciunt, vel eos passim, & temere admittunt, quos constat in amplexu Ordinis, non Christi Crucem quærere, sed id solum moliri ut inopiæ se subducant. Merito igitur Nicolaus 3. Cap: *Exiit*, de verbo. signific. in 6to. eos solum ad Ordinem admitti jubet, *qui suffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumstantiis pośsint utiles eśse Ordini, sibique per vitæ meritum, aliisque proficere per exemplum.*

Quæres 2do: Ad quid tenentur Religiosi ratione suæ Profeśsionis?

Resp: Religiosi per suam profeśsionem quadruplex contrahunt onus, stabilitatis nempe, paupertatis, castitatis, & obedientiæ.

Quæ-

Quæres 3tio: Ad quid tenetur Religiosus ratione stabilitatis?

Resp. Præcipua Religiosi obligatio est, immota in Religione quam profeſsus est permanentia. Unde graviter peccat qui sciens se valide profeſsionem emisiſse, aut primo invalide factam, scienter renovaſse, contra illam reclamat, quasi nulliter profeſsus fuerit. Sed & ille non minus peccat, qui temere de una Religione ad alteram transit.

Verum hic attendenda est Concilii Tridentini Seſs. 25 Cap: 19. de Regularibus facta ordinatio, ubi sic habetur: *Si Regularis prætendat, se per vim & metum ingreſsum eſse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſsum fuiſse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superioris, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die profeſsionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo & Ordinario.* Verum qui vult contra ſuam profeſsionem reclamare inprimis cavere debet, ne habitum ſui Ordinis motu proprio deponat, alias enim juxta Concilii Trident. dispositionem, *ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur.*

Quæres 4to: Quæ requiruntur ad validitatem profesſionis religiosæ?

Resp. Sequentia requiruntur. *1mo*: Ex Concilio Trident. Seſs. 25. cap: 15. annus dicimus sextus completus. *2do*: Ut non fiat nisi post annum integrum, & continuum probationis in Novitiatu, quemadmodum idem constituerat Concilium. *3tio*: Ut sit ſpontanea, non fraude nec metu injusto extorta. Ut vero profeſsio quæ ab initio nulla fuit, valida fiat, neceſse est ut ipse profeſsus sciens ſuam profeſsionem eſse nullam, postea ratam habeat. Non ergo satis est eam ratificare ex eo, quod putetur ab initio fuisse valida, quia cum hæc ratificatio ex errore procedat, nulla est.

Quæres 5to: Quæ circa transitum ab una Religione ad alteram scienda ſunt?

Resp: Hæc præcipue scienda, & tenenda sunt. *1mo*: Transitus ab una Religione ad aliam nulli svaderi debet, quia secundum Apostolum 1. Corinth. cap: 17. *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* *2do:* Ad strictiorem Religionem transire licet, si id graves & justæ requirunt causæ, ad laxiorem transmigrare non licet

licet. *3tio:* Etiam ad strictiorem Ordinem transeundo necessaria est ad id legitimorum Superiorum licentia, & concessio.

Quæres 6to: Ad quæ tenentur Religiosi ex ratione voti castitatis?

Resp: Tenentur ad abstinentiam ab omni delectatione, & actu venereo. Hinc id omne quod est in sæcularibus quoquomodo peccatum contra puritatem, est in Religioso sacrilegium, ac proinde peccatum duplex, unum contra sextum Decalogi præceptum, alind contra votum castitatis. Imo si Religiosus sacris Ordinibus sit initiatus, peccans contra castitatem, quoniam duplex solemne castitatis violat votum, duplicemque gravissimam transgreditur obligationem, hanc circumstantiam in confessione aperire tenetur. Pariter & mulier quæ cum tali Religioso lapsa est, utrumque in confessione aperire debet.

Quæres 7mo: Votum paupertatis religiosæ, quem parit effectum?

Resp: Efficit Religiosum proprietatis incapacem, quare Religiosi dominium nullius rei habere possunt, unde etiam pensiones, quæ aliquando ipsis, à Parentibus, consangvineis, conceduntur, aut ex ratione alicujus officii, publici muneris, illis obveniunt, appropriare sibi non possunt, neque de illis pro libitu suo disponere valent. Hinc peccant contra paupertatis votum Religiosi, qui rem quamcumque temporalem, pretio æstimabilem sine licentia Superioris, accipiunt, retinent, consumunt, dant, permutant. Hæc enim omnia cum fiant proprio arbitratu, sunt actus proprietatis, adeoque contrarii voto paupertatis, per quod Religiosi exuunt se omni temporalium proprietate, & abdicant se omni potestate de illis disponendi. Verum etiam, ut statuit Concilium Trident. Sess. 25. cap: 2, *Mobilium usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt conveniat, nihilque in ea superflui sit.* Unde qui ex Superiorum etiam consensu vanas & inutiles faciunt expensas, pecunias sibi concessas in profanos convertunt usus, qui sæculari magis, quam Reliogiosis conveniunt, tales peccant, & quandoque graviter, quia Superior nihil permittere potest, quod sacris Canonibus, aut veræ paupertati adversatur. Pariter peccant Religiosi, qui vestes sericas, picturas inanes, notabilis prætii horologia portant, tapetia, cortinas, & alia parietum ornamenta, in cubiculis retinent, convivia sumptuosa exhibent. Namque hæc omnia

reli-

religiosæ paupertati adversantur, & statui eorum disconveniunt.

Quæres 8vo: Quæ quantitas sufficit ut Religiosus contra votum paupertatis peccet?

Resp: Jlla sufficit, quæ ad mortale furtum sufficere censetur. Quia peccatum proprietatis est usurpatio rei, vel usus illius sine consensu Superioris, hæc autem usurpatio, cum non solum sacrilega sit, sed & injusta, ac lesiva, quamdam furti rationem habet. Ergo quod sufficit ad furtum mortale, sufficit ut mortaliter votum paupertatis violetur.

Quæres 9no: Ad quæ tenentur Religiosi vi voti obedientiæ?

Resp: Religiosi vi voti obedientiæ, tenentur ea omnia implere quæ ipsis à suis Superioribus, secundum Regularum præscriptum, mandantur, ac præcipiuntur.

Quæres 10mo: An liceat fœminis ingredi Monasteria Religiosorum?

Resp: Fæminæ ingredientes Monasteria Religiosorum, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, nisi excusentur ob invincibilem ignorantiam. Religiosi quoque qui in sua Monasteria introducunt mulieres, aut illas ingredi permittunt, suspensionis vinculo constringuntur, & si id fecerint prætextu facultatum sibi concessarum, excommunicationis censura Papæ reservatæ innodantur. Pariter omnibus viris & fæminis, sub excommunicationis pæna prohibitus est ingressus in Monasteria Monialium sine Episcopi consensu, & licentia. Monialibus quoque severe injunctum est, ne istiusmodi personas intra sua admittant septa.

CAPUT SECUNDUM

De Horis Canonicis.

Quæres: Quid sunt Horæ Canonicæ?

Resp: Horæ Canonicæ sunt *certæ præces vocales ex Canonum Ecclesiasticorum præscripto, certis diei horis recitandæ*, ideoque Horæ Canonicæ vocitantur, quia ex præscripto Canonum, certis horis persolvi debent. Vocantur etiam *Breviarium*, quia illis adjuncta est sacra

Scri-

Scriptura veteris & novi Testamenti, Patrum scripta, & vitæ Sanctorum breviter contractæ. Vocantur quoque *Officium Canonicum, Divinum, & Ecclesiasticum*, quia ad Dei cultum, juxta Canones ab Ecclesia institutum, & ordinatum est. Septem autem ſunt Horæ canonicæ, nimirum: *Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium.*

ARTICULUS 1mus

De iis qui ad Horas Canonicas recitandas tenentur.

Quæres 1mo: Qui obligantur ad Horas Canonicas recitandas?

Resp: Clerici omnes in sacris Ordinibus constituti, etiamsi Beneficiarii non sint, ſub mortali tenentur ad Officii divini recitationem. Consvetudo namque ubique recepta, vim legis habens, Conciliorum Canonibus, Romanorum Pontificum constitutionibus roborata, in materia gravi ſub mortali obligat. Porro jam dudum in Ecclesia Orientali, & Occidentali recepta est consvetudo, ut Clerici in Sacris Ordinibus constituti ad Officii divini recitationem teneantur, quæ etiam multis Conciliorum Canonibus, & Romanorum Pontificum Constitutionibus roborata est, est quoque in materia gravi, & ob causas adeo graves inveeta, atque ab Ecclesia confirmata. Igitur omnes Clerici in sacris Ordinibus constituti, etiamsi Beneficiarii non sint, ad Officii divini recitationem sub mortali tenentur.

Neque ab hac obligatione eximuntur illi, qui ſuspensi, excommunicati, aut etiam degradati, ac depositi sunt, quia nemo ex improbitate ſua commodum reportare debet.

Ista verò obligatio divinum officium recitandi, incipit â tempore; quo quis Subdiaconatus Ordine insignitur, quare is non obligatur nisi ad illam officii partem, quæ correspondet tempori, quo Subdiaconatus Ordinem recepit, ac proinde, si Ordinem hunc recipiat hora circiter nona matutina, tenebitur ad tertiam, & alias subsequentes horas. Si quis verò ad Subdiaconatum promovendus, ante Ordinationem Officium divinum persolverit, muneri ſuo non satisfecit, cum necdum lege ligatus fuerit, neque Ecclesiæ minister constitutus, cujus nomine preces fundere vi Ordinis obligatus est, quare officium repetere debet.

Quæ-

Quæres 2do: An quæ ab Episcopo in Ordinatione recitanda imponuntur, rigorose recitari debeant?

Resp: Plures Theologi censent, ad illa recitanda rigorose non obligari, attamen sine omni peccato omitti nequeunt. Nocturnus verò diei, qui tunc recitandus imponitur, est ipsius Sabbati, aut alterius diei, quo Ordinatio confertur, Nocturnus, etiamsi Officium fiat de Sancto aliquo illo die occurrente.

Quæres 3tio: Qui præterea ad Officii divini recitationem obligentur?

Resp: Beneficiarii omnes, etiamsi sacris Ordinibus non sint insigniti, ad Officii divini recitationem tenentur, unde illud commune prodiit effatum: *Beneficium datur propter officium*, qui ergo fruitur beneficio officium recitare tenetur. Hinc in Concilio Lateranensi 5. fub Leone X. celebrato, Sefs. 9. gravifsimæ constitutæ funt pænæ in Beneficiarios qui divini Officii recitationem negligunt, hæc enim ibi habentur: *Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens beneficium cum cura, sive sine cura, si post fex menses ab obtento Beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cefsante, Beneficiorum fuorum fructus fuos non faciat pro rata omifsionis recitationis Officii & temporis, fed eos fructus tamquam injuste perceptos, in fabricam huiusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur, si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, Beneficio ipso privetur, cum propter Officium detur Beneficium.* Quæ omnia confirmavit, & explicuit Pius 5. in fua Bulla quæ incipit: *Quod à Nobis —*

Quæres 4to: Utrum Beneficiarius Ordine Sacro minime insignitus ad officii divini recitationem teneatur, antequam Beneficii sibi collati pofsefsionem inierit?

Resp: Non tenetur, quia ante initam Beneficii fui pofsefsionem, non censetur quis perfecte Beneficium obtinuifse, multaque occurrere pofsunt, quæ impediant, ne de Beneficio provifus, pofsefsionem illius afsequatur. Præterea regula juris est: *Qui sentit onus, sentire debet & commodum:* cum itaque ante captam Beneficii pofsefsionem, de illo provisus, nullum ex eo percipit commodum, nullum tenetur adimplere onus. Verum qui fua culpa differunt Beneficii vacantis inire pofsefsionem, ad Officii divini recitationem obligantur, quia ex regula juris: *Mora fua cuilibet est nociva.* Ii pariter qui ante initam pofsessionem, magnos quosdam fructus actu percipiunt, ut ali-

quan-

quando contingit, ad Officii divini recitationem tenentur. Pari de causa, si ex duobus de Beneficio litigantibus, uni ad interim poſseſsio adjudicata fuerit, & Beneficii reditus percipiat, ad Officii recitationem obligatur.

Quæres 5to: Utrum etiam ad Officii divini recitationem obligentur, qui pensiones Clericales, & præstimonia habent?

Resp. Qui Pensiones Clericales ſuper Beneficiis Ecclesiasticis constitutas habent, tenentur ſub gravi, vel Officium parvum B. M. Virginis recitare, vel Officium divinum majus persolvere. Pariter qui Præstimonia poſsident. Horas canonicas ex integro recitare obligantur. Ita constituit, & decrevit Pius 5. in laudata Bulla. Et certe, sive Præstimonia, sive pensiones Clericales, habent rationem Beneficii Ecclesiastici, & inter illa merito reputantur, qui ergo ex illis fructus Ecclesiasticos percipiunt, onus divini officii persolvere tenentur.

Quæres 6to: Qua forma divinum Officium est recitandum?

Resp: Divinum officium ubique recitandum est juxta formam Breviarii Romani. Quia Pius 5. quæcunque alia, præter Romanum, sustulit Breviaria, atque decrevit, omnes, quibus divini officii recitandi munus impositum est, obligationi ſuæ non satisfacere, nisi illud formula Breviarii Romani persolverint. Quod in nostris Regionibus receptum, & usu confirmatum est. Verumtamen cum Diæceses, & Ecclesiæ, particularia ſua habeant festa, & Officia propria, in recitandis Horis Canonicis, quilibet sequi debet Directorium illius Diæcesis, & Ecclesiæ cui addictus est, & inservit, in qua residet, aut Beneficium obtinet.

Quæres 7mo: Utrum necesſe sit recitare Officium proprium diei?

Resp. Tenetur quisquè recitare officium proprium diei, alioqui non satisfacit præcepto, licet aliud æque longum, aut longius recitaverit. Quia Ecclesia non officium quodcunquè, sed hoc officium in individuo, hujus diei proprium recitare mandat, ergo qui aliud loco illius persolvit, non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Hinc qui ſcienter Officium immutat, unum pro alio recitando, graviter peccat, ſed & ille peccat qui ex errore, & inadvertentia culpabili, quia Directorium inspicere neglexerat, unum Officium pro alio absolvit.

Quodsi quis incaute & inculpabiliter, unum Officium pro alio recitaverit, si errorem adverterit iam toto perso-

persoluto officio, communior & probabilior opinio tenet; illum ad recitandum denuo proprium diei Officium non teneri. Nisi tamen Officium recitatum longe sit brevius eo, quod recitandum erat, aut ab eo totaliter differat, quia tunc melius est Officium omiſsum persolvere. Si verò errorem agnoverit, ante persolutum officium, tutius est ut errorem corigat, & aut totum omiſsum huius diei proprium officium persolvat, aut saltem omiſsa ſuppleat. In utroquê autem casu quæ dicta sunt, fieri debent, cum sine gravi incommodo fieri poſsunt.

Quæres 8vo: Qui per errorem etiam inculpabilem, hodie recitavit Officium, quod cras recitari debet, an iterum idem Officium recitare debet?

Resp: Ita est, quia error non dat jus, nequè tribuit potestatem invertendi, et permutandi ordinem Officiorum, unde sequitur officium de Sancto, quod die ſuo occurrens ommiſsum est, non deberi prima die non impedita ſuppleri, ac recitari, quia festa, sicut et jejunia diebus suis alligata sunt, nequè ex privatorum arbitrio mutari poſsunt, cum illis ergo transeunt.

Quæres 9no: Quo tempore recitandæ sunt Horæ Canonicæ?

Resp: Antiquitus Horæ Canonicæ suis temporibus & intervallis, non solum in Choro, sed etiam extra Chorum recitabantur, modo autem ex communi sententia *non videtur eſse mortale quandocunqué quis tarde dicat Divinum officium, dummodo non transeat dies, qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem*: ità docet S. Antoninus 3. part: tit: 13. Cap: 4. quia qui sic recitat Horas canonicas etsi minus perfecte, implet tamen præceptum. Sed qui incipit hodiernum officium paulo ante mediam noctem diei sequentis, & notabilem illius partem absolvit post mediam noctem, non adimplet præceptum. Nam ex communi Ecclesiæ, & omnium Theologorum sensu, totum talis diei Officium sub mortali absolvendum est, ante finem hujus diei mathematice ſumptum, unde qui aliquam Officii partem transacta media nocte recitat, ita non satisfacit præcepto quo ad illam partem, quemadmodum quo ad totum officium, ille non adimplet præceptum, qui illud totum post mediam elapso die noctem, persolvit.

Quæres 10mo: Quo ergo precise tempore Horæ Canonicæ sunt recitandæ?

Resp: Horæ Canonicæ parvæ, quavis ante meridiem hora

hora recitari poſsunt. Attamen ſexta, & nona post meridiem dici potest. Vesperæ, & Completorium à meridiæ ad ſolis occasum dici debent. Sed tempore Quadragesimæ convenit, ut ante refectionem privatim etiam vesperæ recitentur, Completorio ad tardius tempus rejecto. Matutinum verò cum Laudibus ex conceſsione Eccleſiæ, pridie recitari potest, ab eo circiter incipiendo tempore, quo ſol propinquior est ad occasum, quam ad meridiem. Qui igitur à tempore præfixo, in recitatione Divini Officii, multum recedit, peccat venialiter, exg: qui vesperas mane, aut vespere omnes parvas horas recitat. Verumtamen poſsunt vesperæ mane recitari ab iis, qui iter facturi, aut magnis per diem ambagibus implicandi, prævident se nonnisi ægre, aut parum devote Officio suo, in diei decursu perfuncturos eſse. In genere, *quando Officium Divinum propriis horis dici non potest, propter occupationes, melius est*, ait S. Antoninus, *prævenire*, *quam tardare*, *quia prævenire est providentia*, *tardare verò est negligentia*. Sive autem tempus præveniatur, sivè retardetur, non est peccatum mortale.

Quæres 11mo: An liceat Horarum Canonicarum ordinem invertere, vg. Laudes ante Matutinum recitare?

Resp: Id, si sine causa fiat, erit quidem peccatum, sed veniale tantum, quia talis disordinatio, non est notabilis, & ordo Horarum Canonicarum, non est de præcepto rigoroso, unde graviter non obligat. Qui verò ordinem Horarum Canonicarum ex legitima causa immutat, nullatenus peccat, ut si quis ab ægroto, aut viro gravi, cui resistere non convenit, nec differre, invitetur ad dicendum cum eo matutinum ſequentis diei, nondum absoluto Completorio hujus diei. Idem dicendum est de eo, qui actu Breviarium ad manus non habens, aut legere in rheda non valens, scit memoriter Horas minores, is enim illas, cum venit earum tempus, recitare potest, & deinceps matutinum persolvere.

Quæres 12mo: Potestne Matutinum à Laudibus separari?

Resp: Potest; certum enim est, hæc olim à se separata fuiſse, & nunc etiam in Festo Nativitatis Domini ab invicem separantur, imo: quia nunc communiter Matutinum vespere præcedenti recitatur, congruentius videtur, ut à Matutino Laudes ſeparentur. & mane recitentur, matutino siquidem tempori, plura, quæ in Laudibus dicuntur, magis congruunt, quam vespertino.

Sed

Sed & Nocturni Matutini ab invicem separari, & sejungi poſsunt, quia etiam antiquitus Nocturni ab invicem ſeparabantur. Non ſunt ergo reprehendendi qui justa de causa Nocturnos à se invicem dividunt, modo separatio hæc, non plus, quam tribus horis perduret, quia primitiva Nocturnos separandi consvetudo, eosdem ultra tres horas non dividebat.

Quæres 13tio: An peccet, qui Matutino, & Laudibus nondum persolutis, Miſsam celebrat?

Resp: Qui justa de causa Miſsam Matutino, & Laudibus anteponit, non peccat. exg. si Miſsa dicenda sit, ne Viaticum desit infirmo, ne Plebs diu expectet, ne ipse Sacerdos statim profecturus in die festo Miſsam omittat, aut cum eam ex justitia debet.

Seclusis hujusmodi casibus qui Miſsam celebrat nondum persolutis Matutino, & Laudibus, peccat: quia Rubricæ Miſsalis Romani, & validius adhuc Innocentius 4tus in sua Constitutione Anno 1254. emiſsa, Matutini & Laudum recitationem præscribunt antequam Miſsa dicatur. Verum istiusmodi peccatum, an sit mortale, an veniale, controvertitur. Daniel Concinna insignis Theologus Tomo 2. Theologiæ Christianæ libro 2. Diſsert: 2. quæst: 6. hæc habet: *Consvetudo quam allegant*, scilicet Matutinum cum Laudibus antequam Miſsa celebretur, recitandi, *non obligat sub gravi culpa, quod autem in Rubricis cavendum dicitur, ne ante matutini recitationem celebretur Miſsa, non propterea sequitur culpam perpetrare lethalem, cum, qui talem ordinem violat, quia licet omnes Rubricæ conjunctim acceptæ, quæque formam substantialem ritus constituunt, obligent sub gravi, non tamen quælibet divisim accepta.* Huic multi insignes ſufragantur Theologi. Sed & bene multi docent peccare illum mortaliter, qui non persolutis Matutino & Laudibus sine justa causa Miſsam celebrat. Benedictus 14. Papa in opere de Sacrificio Miſsæ à se conscripto libro 3. Cap: 13. mediam sententiam adinveniſse videtur, docet namquè, peccatum eſse leve, nulla urgente causa Miſsam privatam, nondum persolutis Matutino & Laudibus, aliquando celebrare, nullum verò eſse peccatum, si legitima adsit causa, quamvis non gravis. At gravis peccati reum eſse censet, qui ex prava consvetudine Miſsas celebrat non persolutis Matutino & Laudibus. Hæc quilibet perpendat, & suæ conscientiæ recte consulat.

ARTICULUS 2dus

De modo, quo Divinum Officium recitari debet?

Quæres 1mo: Quomodo recitari debet Officium Divinum?

Resp: Officium Divinum recitari debet. 1mo: distincta, & articulata voce, non gutture inter dentes, & sincopando, quare qui sola mente Breviarium legeret, vel solis oculis pervolveret, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ. Verum qui attenté, & distincte recitat, etiamsi propter aliquod impedimentum, strepitum vg. se ipsum non audiat, satisfacit præcepto, quia nullo jure constitutum est, quatenus Divinum Officium ita clara voce recitetur, ut recitans se ipsum audiat.

2do: Integre. Nihil verò ad integritatem Officii refert, an quis solus Officium recitet, an alternis versibus cum alio, imo erit in alternis versibus modus recitandi melior, quia choro similior. Non tamen satisfacerent præcepto, si duo, vel tres ita partirentur Officium, ut alter legeret Psalmos, alter verò lectiones, aut etiam primus Psalmum primum, secundus, secundum, tertius tertium, vel tandem primus primum Psalmi versum, secundum, tertius quartusquè, tertium, & quartum. Id enim totius Ecclesiæ adversatur consvetudini. Non est verò necesse, ut socius cum quo quis divinum recitat Officium, ad illud recitandum teneatur, dummodo distincte omnia pronuntiet, & bene attendatur, atquè percipiatur, quod ab illo profertur, quare peccat tum surdaster qui socii verba non percipit, tum ille qui Officii recitationem accelerando, resumit, necdum finito ab illo, suo versu completo.

3tio: Devote: Et ad id necesſaria est modesta corporis compositio, & pius mentis ad Deum affectus. Potest autem Divinum officium recitari sive sedendo, sive stando, sive ambulando, semper tamen in recitatione ipsius, illa sunt omnino vitanda, & fugienta, quæ attentionem & devotionem impediunt.

4to: Attente. Porrò attentio in recitatione Divini Officii alia est ad verba, alia ad sensum verborum, alia deniquè ad Deum, aut res, quas ab eo orando petimus, ut cum inter orandum contemplamur Dei misericordiam, aut nostram egestatem.

Quæ-

Quæres 2do: Qualis requiritur attentio ad Divini Officii recitationem?

Resp: Ad debitam Divini Officii recitationem, requiritur attentio interior, & id constat ex Concilio Lateranensi *4to:* ubi sic habetur: *Districte præcimus, ut divinum Officium nocturnum & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose pariter celebrent, & devote*, studiose autem & devote nihil fieri potest sine seria animi attentione & consideratione. Ut ergo studiose, & devote divinum Officium persolvatur, seria attentio, & consideratio est necessaria. Hinc qui notabilem Officii partem voluntarie distractus recitavit, nisi id repetat, quod male persolvit, mortaliter peccat, proinde ac si partem illam omisisset. Fieri tamen potest, ut istiusmodi distractio, si non fuerit plane voluntaria, nonnisi veniale sit peccatum.

Sed distractio voluntaria esse potest vel in se, vel in causa. Distractio tunc est voluntaria in se, cum homo sciens, & volens extraneis cogitationibus mentem pascit. Idem fere est, cum quis Horas canonicas recitat in loco distractionibus exposito, ubi habentur colloquia, cantilenæ, aliaquè interiori recollectioni contraria. Distractio voluntaria in causa, cum quis etsi distractus esse nollet, ea tamen facit, ex quibus distractiones secuturæ prævidentur. Hinc peccant, qui post inania cum omni personarum genere colloquia, post ludum, Sacras subito inchoant preces. Aliud dicendum est de iis, qui labori necessario dediti, negotiis inevitabilibus immersi, & tempus si quod liberum occurrit, ad Divinas laudes persolvendas arripere coguntur, & dum orant, inviti mente revolvunt, quæ ante fecerant, audierant, aut locuti fuerant, nequé enim Deus in culpam ea vertit, quæ nonnisi propter eum suscipiuntur, & isti tamen & tempus, & locum magis orationi opportuna, quantum fieri potest, eligere debent. Interim qui se distractos esse sentiunt, attentionem suam suscitare, ac intendere debent.

Quæres 3tio: Qualis præterea debet esse attentio?

Resp: In divini Officii recitatione requiritur attentio tum ad verba ut distincte, & intelligenter proferantur, tum ad Deum, aut res, quæ ab ipso postulantur. Officii siquidem divini recitatio fieri debet humano modo, & ea ratione ut vera sit oratio Deo accepta, ad hoc verò necesse est, ut & verba attente ac intelligenter proferantur, & mens ad Deum, resqué divinas ac salutares, quæ postu-

lantur, elevetur. Non potest ergo debita eſse divini Officii recitatio, sine interiori & ad verba, & ad Deum attentione. Equidem non est neceſse ut istiusmodi attentio semper sit actualis, quia considerata humanæ mentis levitate, vix fieri potest, ut semper homo ad id actu attendat, quod agit, unde inviti etiam inter orandum sæpius distrahimur, sed sufficit, & omnino requiritur, ut præmiſsa congrua præparatione, nos ad divinum pensum persolvendum cum debita mentis applicatione accingamus, quod si inter orandum mens alio abripiatur, continuo revocanda, ad Deum elevanda, & firmius tenenda est, ne extra divagetur.

Quæres 4to: Qui Horæ alicuius canonicæ recitationem interrumpit, peccatne, & quomodo?

Resp: Interruptionem hanc si sit notabilis, & sine rationabili causa, non eſse sine peccato, quia ex sensu & usu Ecclesiæ quælibet Hora canonica continuo & non interrupte ita recitari debet, ut unum quid constituat, hæc autem unitas vel totaliter per notabilem interruptionem tollitur, vel saltem multum minuitur. Si tamen interruptio ista fiat rationabili de causa, ut vg. cum quis à persona multum superiore invisitur, aut urgens occurrit negotium, quod hic & nunc expediri debet, nullum est peccatum, nec obligatio repetendi, quæ iam dicta sunt, nisi interruptio hæc longo tempore, ut una hora, aut amplius perduraverit. Sed Nocturni Matutini ab invicem semper ſeparari ac disjungi poſsunt, quia quilibet Nocturnus totum quodpiam perse constituit.

Porrò prædicta unius, & ejusdem Horæ interruptio, cum fit sine rationabili causa, est majus, aut minus peccatum, prout major, aut minor est mora, habita ratione tum illius partis Officii, quæ interrumpitur, nam interruptio in recitatione Tertiæ horæ notabilior censetur, quam si fieret in Laudibus, aut Vesperis, etsi ejusdem moræ fuerit, tum etiam causæ, propter quam fit interruptio, qui enim Officium interrumpit, ut vana, vel mala cum alio misceat colloquia, longe magis peccat, quam si interrumperet, ob quædam, quæ licet haud neceſsaria ſunt, nihil tamen habent mali.

Quæres 5to: An, & quomodo peccet, qui divinum Officium recitare omittit?

Resp: Quæcunque ex septem Horis Canonicis, omittatur, communiter loquendo, est peccatum mortale, quia reipsa per talem omiſsionem Officium divinum notabiliter mu-

mutilatur. Verum primæ Vesperæ Paschatis, adeo minimum quid eſse censentur, ut illarum omiſsio, ad mortale peccatum constituendum non sufficiat. Si verò unius horæ pars ommittatur, hæc pars non debet spectari ut est pars hujus Horæ, sed secundum suam absolutam quantitatem considerari debet, unde si Matutinum cum Laudibus una sit Hora, omiſsio unius Nocturni, quamvis vix sit quarta pars, ad peccatum mortale satis eſse judicatur, unius vero Psalmi in Tertia, aut Nona prætermiſsio, licetsi sit quasi tertia illius Horæ pars ad peccatum mortale non sufficit.

Hinc ſequitur illum tot committere peccata, quot Horas canonicas negligit recitare, quia uniuscujusqué Horæ prætermiſsio, grave est peccatum, quare in Confeſsione exprimendus est numerus Horarum, quæ prætermiſsæ sunt, pro numero siquidem illarum, peccata multiplicantur, vel saltem si unum nonnisi sit numero peccatum, gravius efficitur.

Quæres 6to: Ad quid tenentur Beneficiarii, qui Horas canonicas recitare omittunt?

Resp: Ex Constitutione Pii V. tenentur fructus Beneficii perceptos restituere, & pauperibus distribuere. Sic enim habet: *Qui Horas canonicas uno vel pluribus diebus, intermiſserit, omnes Beneficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui vero Matutinum, tantum dimidium, qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui horum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei, amittere debet.* Et id justitiæ, atque æquitati omnino congruit. Cum enim Beneficium detur propter Officium, atqué ideo ex totius Ecclesiæ sensu Beneficiarii, pro Fundatoribus, & plebe sibi commiſsa orare tenentur, qui igitur huic Beneficii oneri non satisfaciunt, commodum, & reditus ex beneficio percipere nequeunt, illosque cum perceperint, restituere tenentur. Jam vero circa hanc Pii V. Constitutionem hæc annotanda sunt. *1mo:* Beneficiarium qui Horas Canonicas omittit, ad restituendos fructus Beneficii in conscientia obligari ante sententiam Judicis declaratoriam, unde damnata est ab Alexandro 7mo ista propositio: *Restitutio à Pio V. imposita Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante séntentiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna. 2do:* Huic restitutionis obligationi non subjacere, qui Divinum Officium recitare omisit inculpate, vg. ex oblivione naturali, quia pæna quæcunque justa, culpam

sup-

supponit, porro qui ex naturali oblivione, quæ ignorantiæ invincibili comparatur, aut alia quacunquè gravi, ac legitima de causa, divinum omittit Officium, a culpa immunis est, ergo a pæna liber eſse debet. Unde etiam in sua Constitutione Pius V. eos solum ad restituendos fructus Beneficii teneri decernit, *qui legitimo ceſsante impedimento* Officium omittunt.

Quœres 7mo: Utrum Beneficiarius, qui Horas Canonicas omisit, sed cœtera, quœ sunt Officii sui adimplevit, Parochus exg: Sacramenta administravit, œgrotos visitavit, temporalium Beneficii bonorum curam geſsit ita ad eandem restitutionem obligetur, ac si nihil egiſset?

Resp. Quia talis Beneficiarius partem laboris, quem debebat, præstitit, partem etiam fructuum sui Beneficii, præstito labori correspondentem retinere sibi potest. Quotam vero pro obsequiis præstitis partem retinere poſsit? ex eorundem obsequiorum natura, & quantitate dijudicari debet.

Quœres 8vo: Unde, & cui facienda sit prœdicta restitutio?

Resp: Jlli Beneficiarii, qui bona patrimonialia, aut etiam donatione, industria comparata habent, ex iis restitutionem facere tenentur, quia quidquid ex Beneficio percipiunt, detracta honesta ſustentatione, jam pauperum est, ergo si ex reditibus Beneficii, â congrua ſustentatione remanentibus restituerent, ex eo restituerent quod stricto jure pauperibus debetur, talis autem restitutio non valet. Quod si nullos alios habent reditus nisi Ecclesiasticos, impensis etiam legitimis, & neceſsariis parcere debent, ut obligationi huic, quantum poterunt faciant satis. Si verò modici sint eorum reditus, ex quibus vivere debent, à restitutionis onere immunes erunt, satisque erit, si culpam admiſsam congrua pænitentia abluant, & reparent, vg. plus orando pro Fundatoribus, Miſsas ad quas non tenentur, pro iis celebrando.

Hæc verò restitutio facienda est, pauperibus loci, in quo situm est Beneficium, vel Ecclesiæ, si reparatione indigeat.

Quœres 9no: Quœ causœ à recitatione divini Officii eximunt?

Resp: Tres afferri solent causæ, quæ ab obligatione recitandi divini Officii eximunt. *1ma:* Est impotentia ſeu *physica*, cum quis absolute divinum Officium recitare nequit, puta quia caret Breviario nec memoriter persolvere

valet

valet, seu *moralis* cum Officium persolvi non potest sine magna difficultate, puta sine magno capitis dolore, vel corporis notabili incommodo. Hinc etiam qui ex gravi morbo, febre convalescet, non tenetur statim divinum Officium reassumere, sed ex arbitrio prudentis Medici, vel Confessarii per aliquot dies potest illud prætermittere, propter periculum reincidentiæ, & virium debilitatem. Quodsi dubium sit an infirmanti, vel convalescenti recitatio divini Officii notabiliter nocitura sit, in tali dubio nulla est obligatio illud recitandi, quia pia Mater Ecclesia non vult filios suos notabili lædendæ sanitatis periculo exponere. Tamdiu porro infirmitas non censetur ab Officio divino recitando eximere, quamdiu non impedit, ne homo alia gravia negotia pertractet.

Verum qui totum non potest persolvere Officium, tenetur ad eam partem recitandam, quam potest, & qui prævidet ob futuram infirmitatem, febris exg. cras non posse â se divinum totum persolvi Officium, pridie illa recitare debet, quæ præveniri possunt, veluti Matutinum cum Laudibus, qui enim stricte ad aliquod munus tenetur, illud adimplere debet tunc cum potest. Tandem qui non potest Officium divinum solus recitare, vg. ob debilitatem oculorum, socium sibi adsociare debet, si commode haberi potest, quod maxime Beneficiarium cæcitate laborantem stringit, qui multa ex Breviario memoria tenet, quæ ipse recitare valet, ad alia legenda, dicenda, adiutorem sibi conducat. Sed etiam qui Breviario caret, & nihil ex eo memoria tenet, debet omissionem divini Officii oratione vocali, aut piis meditationibus, suspiriis, affectibus compensare, quia quisque tenetur facere id, quod potest, ut Deo secundum Ecclesiæ intentum, servitium præstet.

2da causa â recitatione divini Officii eximens est charitas, seu quævis gravis, & honesta occupatio, quæ sine notabili sui, vel proximi incommodo differri vel omitti non potest, ut si quis periculose ægrotantium confessiones excipere debeat, aut magni Festi die, sive tempore Jubilæi, tanta Pænitentium obruitur multitudine, ut iis omnibus & Breviario satisfacere non possit, aut demum gravissimo quopiam negotio per totum diem vacare debeat. Quia charitati, quæ virtutum regina est, cætere virtutes cedere debent.

3tia: causa est dispensatio· Hæc â Romano Pontifice justa de causa concedi potest ipsis etiam Beneficiariis, ut

ut si occulorum debilitas, dolor capitis, vertigines, Officii divini cefsationem expostulent. Extra hos & similes justæ necefsitatis casus, non prodefset Breviarii dispensatio etiam à Romano Pontifice obtenta.

CAPUT TERTIUM

De obligationibus Judicum, & illorum qui ad judicia concurrunt, ac denique de iis quæ Domini suis debent Vasallis.

ARTICULUS 1mus

De obligationibus Judicum.

Quæres 1mo: Quid sit Judex?

Resp: Judex est persona publica, potestatem habens, de eorum qui sibi subditi, & commifsi sunt, controversiis, criminibusque cognoscendi, eorumque causas ex præscripto legum per sententiam definiendi.

Quæres 2do: Quibus dotibus Judex pollere debeat?

Resp: Judex pollere debet scientia, ac præcipua legum notitia, bono sensu & intelligentia, constantia atque animi fortitudine, præterea à lucri studio aversus, ac alienus efse debet. Sine his namque dotibus nemo Judicis Officium ut par est exercere potest. Quare graviter ille peccat, qui suæ sibi vel imperitiæ, vel pusillaminitatis conscius, judicis Officium etiam quæsitus, acceptat, aut non dimittit postquam illud acceptaverit, continuo siquidem peccandi periculo se exponit.

Quæres 3tio: Quid Judex legibus debeat?

Resp: Duo præcipue Judex legibus debet 1mo: secundum leges, & ordinem à legibus præscriptum dijudicare, & sententiam ferre tenetur. Judex enim potestatem accipit judicandi non pro nutu, & phantasia sua, sed conformiter ad leges. Ergo secundum leges judicare debet.

Hinc peccat judex, qui commiseratione ductus, minorem reo indicit pænam, quam quæ legibus constituta est. Haud tamen peccet, qui pro tempore, & loco, spi-

ritum potius legis, quam verba ſectatur. Unde qui crimen aliquod gravi pæna, aut notabili mulcta dignum commisit, propter provectam ætatem mitiore pæna plecti potest, aut propter inopiam minor ei mulcta imponi poterit. Quodsi crimen rei, etsi probabilius, manet tamen obscurum, nec satis probatum, mitius cum eo agendum est, longe enim minus malum est crimen ex parte inultum relinquere, quam innocentem pæna gravare. Aliud est; cum de bono civili agitur, tunc enim Judex probabiliori parti ſemper adhærere debet, præſertim cum cavendum est, ne quis privetur re, quam poſsidet.

2do: In casibus à jure obscure tactis, aut etiam prætermiſsis, Judex id statuere debet, quod omnibus mature inſpectis, æquitati magis consonum eſse crediderat, ac proinde in quæstionibus juris & facti opinionem probabiliorem ſequi tenetur, eam ſcilicet quæ ex allegationibus, & probationibus verisimilior est, æquitati, & juri conformior. Quare judex non potest ferre sententiam ſecundum judicium aliorum, si post diligentem & sinceram veritatis inquisitionem, certus sit de maiore probabilitate ſuæ opinionis.

Quod si opiniones sint æque probabiles, & nullus ex litigantibus rem poſsideat, res inter partes ex æquo dividi debet, aut ejus pretium, si ipsa dividi nequeat. Pariter in quœstionibus facti, Judex tenetur causam adjudicare parti, quæ pro ſe habet, testimonia, atque argumenta probabiliora. Quodsi hæ probationes facti, sint æquales, æquale jus fundant, ideoque æqualiter res est inter illos dividenda, si nemo eorum illam poſsideat. In causis autem criminalibus, si utrimque appareat æqualis probabilitas, Judex debet reo favere, eum abſolvendo, alioqui ſe exponeret periculo innocentem damnandi.

Quæres 4to: Quid agendum sit Judici in quæstionibus dubiis, ubi agitur de re poſseſsa ab uno litigantium?

Resp: Notiſsima est regula juris: *In dubio est melior conditio poſsidentis*, quam in materia justitiæ valere, omnes Theologi conſentiunt. Ex omnium siquidem gentium consensu in pari casu, favorabilius excipitur poſseſsor, quam ille, qui poſseſsor non est, quia poſseſsor, ultra rationes quas æquales habere ſupponitur, habet pro se poſseſsionem, quam alter non habet, merito autem præsumitur meum eſse, quod apud me est, etsi enim contrarium evenire potest, communius tamen evenit, ut unusquisque rem ſuam non apud alios, ſed apud se conservet,

quare

quare in materia justitiæ hæc regula: *Melior est conditio poſsidentis*, cum hac alia concurrit regula: *Pro eo standum est, pro quo stat præsumptio*

Si verò contingat, ut uterque litigans, poſseſsoris personam repræsentet, quia ambo poſseſsionem allegant, & probant, ille præfertur cujus antiquior est poſseſsio, vel titulo munita est. Quod si utrobique sit paritas, cuilibet poſseſsori communiter, aut divisim adjudicanda res erit. Cæterum quidquid in casibus dubiis faciat Judex, nec uni præ altero, quod sibi amicus sit, favere, nec ab alio quidpiam accipere potest, ut in ejus gratiam judicet.

Quæres 5to: Ad quæ præterea Judices obligantur?

Resp: Obligantur præterea Judices *1mo*: debitam in examinandis litibus diligentiam adhibere, ſeu maturum rei dijudicandæ examen, quia in rebus sæpe intricatis, non omnia facile scrutari poſsunt, quorum tamen si vel unum efugiat, mutabit judicium, Hinc peccant Judices, & ad restituendum tenentur, qui ante discuſsam ut decebat causam, ſententiam iniquam ferunt *2do*: Tenentur celeriter, quantum fieri potest lites terminare, & causas dijudicare, ne, ut toties evenit, vel ambo litigantes omnem perdant substantiam, priusquam ſententiam definitivam in judicio obtineant, vel pauperes ferendis expensis impares ad gravaminosam combinationem misere adigantur. Quare peccant Judices, qui dilato de die in diem examine, causa ſunt, cur testibus jam mortuis, aut alio profectis, desint probationes, unde fit, ut pupilli, quibus protectores suos mors abstulit, hæreditatem suam aſsequi non potuerant.

Quæres 6to: Utrum judex poſsit ea ſupplere, quæ ab Advocatis imperite prætermiſsa sunt?

Resp: Jlla, quæ juris sunt, si ab Advocato prætermiſsa fuerint, aut minus bene adducta, judex & potest, & debet ſupplere. Hinc tenetur Judex ineptas probationes reijcere, dilationes concedere, testes haud legales repudiare, quia hæc juris ſunt, scilicet ex jure requisita. At vero ea, quæ facti ſunt, factum inquam respiciunt, communiter judex non tenetur ſupplere, ac proinde alteram partium litigantium monere, ut dilationibus utatur, ut pro injuria satisfactionem petat, ut certa quædam producat documenta, nec potest monere, nec debet, quia de studio partium se suspectum redderet. Si tamen factum aliqu d vel aliundè vel ex actis notorium eſset, potest illud Judex ſupplere, cum ab Advocato partis omiſsum est,

puta

puta si publice, aut ex dictis constat, aliquem ex delicto inhabilem eſse ad standum in judicio, imo si de bono publico, causa pia, pupillorum rebus agatur, plura Judex ſupplere potest, quam alioqui poſsit.

Quæres 7mo: Utrum judex contra privatam, quam habet notitiam, juxta allegata, & probata decernere poſsit?

Resp: Certum est *1mo*: Judici, qui non omnino certam rei alicujus notitiam habet, curandum eſe, ut & conscientiam deponat, & secundum allegata, & probata judicet. Debet quidem conscientiam deponere, quia ut dicitur Cap: 13, de restit: ſpoliat: *quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam*. Sed & ex allegatis, ac probatis judicare debet, quia peſsum iret judiciarius ordo, si propter privatam, incertam, & forte falsam notitiam, poſset Judéx ab allegatis, & probatis recedere. *2do*: Et id etiam communiter agnoscunt Theologi, á Judice ſecundum allegata, & probata absolvéndum eſse reum, quem ille propriis oculis delinquentem conspexit. Quia generaliter constitutum est, ut accusatore, & delatore non probante reus absolvatur, & minus est malum ut absolvatur reus, quam ut judiciarius ordo perturbetur, cum itaque utrumque malum vitari nequit, minus est eligendum.

Quæres 8vo: Sed quid, si Judex ex privata quam habet scientia, certus sit hunc eſse innocentem, quem ex allegatis & probatis constat eſse reum?

Resp: In tali casu Judex omnem movere debet lapidem, ut innocentis famæ, fortunæ, ac præcipue vitæ consulat. Unde documenta, testes, debet plenioribus oculis perpendere iterum, atque iterum examinare. Si vero hæc minime succedant, in causis criminalibus, ubi agitur de morte innocentis, Judex debet duriora quæque pati, quam innocentem ex allegatis, & falso probatis ad mortem condemnare. Quia innocentem condemnare, minime reum vita privare, in quibusvis circumstantiis intrinsece est malum, unde Exodi Cap: 23. dicitur: *Innocentem & justum non occides, quia aversor impium:* dicit Dominus, & iterum ibidem: *Non suscipies vocem mendacii, nec in Judicio plurimorum acquiesces sententiæ ut à vero devies:* Nunquam ergo licet Judici secundum alegata, & falso probata, illum morti addicere, quem certo novit eſse innocentem, hoc enim eſset voluntaria innocentis occisio, immane crimen. Idem dicendum est de mutilatione, ſeu absciſsione membrorum. Nulla siquidem, licetsi ſuprema

authoritas

authoritas potestatem habet vitæ & corporis ſuorum ſubditorum, neque ergo vita, neque membris privare potest innocentem. Quantacunque igitur authoritate præditus sit Judex, secundum allegata, & falso probata, vere innocentem, neque pæna mortis, neque mutilatione membrorum plectere potest.

Verum etiam in causis civilibus, in quibus agitur de pænis pecuniariis, officii, fortunæ privatione, famæ detrimento, exilio, aliaque gravi corporali castigatione, non potest Judex ſecundum allegata, & falso probata damnare, nec plectere, quem ex ſua privata scientia certo novit eſse innocentem. Namque civem innoxium veluti sceleratum traducere, ut facinorosum plectere, cum minime reus sit, intrinsece est malum. Ergo nulli, in quibusvis circumstantiis, id licitum est facere. Et vero tenetur Judex habere certitudinem moralem de æquitate ſuæ ſententiæ, quam profert, alioqui imprudenter ageret, & peccati periculo se exponeret. Igitur quando Judex non solum non habet moralem certitudinem de æquitate sententiæ quæ ſecundum allegata & falso probata pronunciaretur, ſed & moraliter certus est, illam eſse iniquam, & injustam, eam pronuntiare nullo modo potest.

Quæres 9no: Quæ debet Judex iis, quos dijudicat?

Resp: Judex 1mo: in dicendo jure nullam habere debet rationem personarum, scilicet: nec pauperis, nec divitis, nec amici, nec inimici, nec consangvinei, nec extranei, ſed æqualiter omnes ſecundum leges dijudicare. *2do:* Dona, munera à litigantibus accipere nequit, ſed stipendio ſuo intra limites sibi à lege permiſsos contentus eſse debet. Ut enim scriptum est Eccles: Cap: 20. *Dona excæcant occulos Judicum.* Et Prov: Cap: 17. *Munera impius accipit, ut pervertat semitas judicii.* Graviter ergo peccat qui ſese exponit voluntariæ cecitati, in re, quæ totam animi perspicacitatem requirit, quique rectas judiciorum pervertit semitas. Id autem facit Judex, qui dona, atque munera accipit. Ergo graviter peccat. Sed & hic Judices meminiſse debent juramenti, quod præstant antequam Officio sibi commiſso fungantur, quod etiam graviter violant, dum dona, ac munera a litigantibus sponte etiam oblata, suscipiunt.

ARTICULUS

ARTICULUS 2dus.

De obligationibus illorum qui ad judicia pertinent, & ad ea concurrunt.

Quæres 1mo: Qui ad judicia concurrunt?

Resp: Ad judicia concurrunt, *Advocati, Procuratores, & Notarij.*

Advocatus est ille, qui Causidicorum cathalogo ad scriptus, in negotiis forensibus, parti litiganti, ſuum præbet auxilium, consilio, scriptura, vel viva voce causam ipsius promovendo.

Procurator, ſeu Plenipotentiarius, is est, qui litigantis nomine, & mândato, causam in judicio prosequitur.

Notarius, ſeu Scriba; qui sententias Judicum actaque Judiciorum scribit, illaque litigantibus extradit.

Quæres 2do: Quibus dotibus Advocatus pollere debeat?

Resp: Advocatus pollere debet. *1mo*: Plurima scientia. Namque Advocatus, vel causas promovere, vel consultus de jure respondere debet. Ad utrumque vero plurima scientia opus est, neceſse siquidem est ut apprime teneantur leges, constitutiones, statuta varia, formalitatesque juris satis multæ.

2do: Fidelitate, per quam hic intelligitur, tum ipsa secreti fides, tum sincera illa ingenuitas, qua Clientibus res aperiuntur nude, ut se habent. Et hæc fidelitas Advocato est ſumme neceſsaria, alioquin Clientum ſuorum negotia ſubvertet, & minime juvabit, sive illorum arcana parti adversæ revelando, sive svadendo ut incipiant litem iniquam, ac damnabilem. Utrumque vero legibus naturæ adversatur.

3tio: Diligentia. Quia ut Advocatus vel respondeat de causa, vel illam promoveat, neceſse est ei, ut omnes rei, intricatiſsimas etiam circumstantias cognoscat, & eandem omnibus, quibus moraliter potest sustentet motivis, non iis solum, quæ peremptoria ſunt, ſed & iis etiam, quæ quandoque licet minutiora ſunt, attamen nonnullos potentius movent, & flectunt, quam quæ nativi roboris plus habere creduntur. Porro hæc munia absque insigni diligentia præstari non poſsunt. Debent quoque Advocati omnem diligentiam adhibere, ut Clientum suorum negotia, causasque, quam primum moraliter fieri potest, terminent, ac finiant, quia mora, & sumptus auget, & ad iniquas

iniquas transactiones redigit, & causa est cur probationes pereant, ac demum non nullos litigantes ad xenodochium detrudit. Diligentia ergo insignis Advocato est quam necessaria.

4to: Justitia quoquè Advocatis est summopere necessaria *1mo*: ne plus à litigantibus exigant, quam legibus sibi permissum est, ne contra leges transigant de parte litis vg. de dimidia, aut tertia parte, ne Scripturas inutiliter multiplicent, ne litem, quam ab initio justam crediderunt, detecta ejusdem iniquitate tueri pergant. *2do*: ne clientes suos, quos amice componere possunt, ad litem periculosam variis modis stimulent, ne illos impensis onerent, aut fatigent dilationibus, ne dolo, malis artibus, mendaciis, adversam partem à jure suo deturbent, deterreant.

5tó: Necessaria quoqué est Advocato Charitas ut scilicet pauperum, viduarum præsertim, & pupillorum causas suscipiant, ac promoveant, proximi famam temere non violent, sed illi quantum fieri potest pareant, asperiori dente adversam partem non carpant, convicia non jaciant.

Quæres 3tio: In quibus ergo peccant Advocati?

Resp: Advocati graviter peccant *1mo*; cum quamlibet suscipiunt causam sine discrimine, & non considerando an justa sit, an iniqua, solum attendentes ad formalitatem juris, nihil expendentes causæ meritum. Sed & illi Advocati à peccato non sunt immunes, qui plures causas suscipiunt, quam recte expedire possint.

2do: Quoties malitia, imprudentia, aut etiam ignorantia causa sunt, cur Cliens aut malam litem inchoaverit, vel á justa causa exciderat, vel indebitas expensas fecerit: atquè in his casibus ad restituendum tenetur. Nequè ut Advocatus restituere debeat, requiritur negligentia crassa, sed sufficit levis, quia ex Officio ad omnem adhibendam in promovenda causa diligentiam obligatur. Verum si Advocatus bona fide ea omnia præstitit, quæ diligentes, & in eodem Offiicio periti præstare solent, si nihilominus causa cadat, ad restitutionem non tenetur. Sed hic attendenda sunt, & observanda illa, quæ circa restitutionem de jure & justitia agendo ponuntur.

3tio: Cum adversæ parti, ejusve Procuratori secretum Clientis sui revelat, & arma contra ipsum præbet, & tunc ultra peccatum injustitiæ, & proditionis, tenetur ad omne damnum læso resarciendum.

4to:

4to: Cum rem iam judicio aptam, iniquis artibus protrahit, sive in Clientis sui, sive in adversæ partis præjudicium.

5to: Cum causam, quæ primo justa videbatur, comperta illius iniquitate, non deserit, atque in hoc casu tametsi retinere poſsit stipendium suo labori debitum, quem bona fide præmisit, deinceps nihil recipere valet, alioquin reciperet mercedem iniquitatis. Debet ergo Advocatus causam deserere, vel eum, cujus causam agit, ad cedendum inducere, vel ad componendum, attamen sine adversarii damno. Nequé tamen tunc licitum est Advocato prodere ſecretum partis suæ, ut aliam partem juvet. Nisi tamen propterea innocens capite damnandus foret, aut si ageretur de integritate celeberrimæ familiæ, magna ac insigni fama, honore, & statu personæ illustris. In his tamen casibus prius monendus eſset Actor, ut ab injustitia desistat, quam foret prodendus; & expendere debet Advocatus, an non sibi tantum nociturus sit, quam alteri profuturus.

6to: Quodsi Advocatus iniquæ litis, causam vincat, leges abrogatas, obsoletas citando, alias in alienum sensum detorquendo, producendo falsos testes, vel falsa adducendo documenta, tenetur de damno partis immerito condemnatæ.

7mo: Peccat graviter Advocatus, cum illa detegit adversæ partis crimina, quæ ad rem non faciunt. Ut si quis *exg.* velit à Judicibus obtinere, ut ille qui puellam decepit, prolem nutriat, alios ejusdem, in hac, vel alia materia lapsus in foro adducat, & divulget.

Quæres 4to: An Advocatus causam dubiam, aut minus probabilem agere poſsit?

Resp: Advocatus tueri potest causam dubiam. Quia quilibet, rem quæ tam ſua eſse potest, quam alterius, adversario dimittere non tenetur. Ergo de ea Judicem interrogare potest, si aliter inter se convenire non poſsint. Igitur & iis coram Judice Advocati Ministerium ſuum præbere poſsunt, monere tamen eos prius debent, rem vere eſse dubiam Si enim illam certam, & indubitatam aſsereret, Advocatus & litigans sic affectus eſset, ut comperta dubietate abstineret à litigando, jam Advocatus eſset litis causa, & damnorum, quæ inde ſequerentur.

In causis autem Criminalibus, in quibus agitur de vita hominis, ubi dubium occurrit, Advocatus contra accusatum ministerium suum præbere nequit, nequè accusan-

cusanti adjutorium præstare potest, quia sicut graviter peccat qui vult, & instat in judicio ut morte afficiatur homo, aut gravi pæna plectatur, cujus culpa, & innocentia æquale dubium habent, sic & graviter peccat Advocatus, qui eidem in judicio deſervit, operamquè suam illi præstat. Accusati tamen, in ejus defensionem, causam Advocatus ſuscipere potest, quamvis culpa & innocentia illius, in pari dubio posita sint. Pariter Advocatus nec consulere, nec patrocinari potest pro parte minus probabili, contra probabiliorem. Quia nemo alium juvare potest in actione quam is sine peccato exequi non potest. Porrò nemo potest exigere ut sibi adjudicetur res, quam probabilius judicat alienam eſse non ſuam, nequè hanc ipsi sine injustitia Judex adjudicare potest. Igitur etiam Advocatus hac in causa, nequè consulere, nequè patrocinari ipsi sine peccato potest.

Quæres 5to: In quibus, & quando peccant Procuratores, seu Plenipotentiarii?

Resp: Procuratores, se Plenipotentiarii peccant. *1mo*: Cum principales ſuos vel ad compositionem iniquam inducunt, ut faveant adversæ parti, vel à justa retrahunt in lite dubia, quam certam eſse jactitant. *2do*: Cum principalis sui ſcripturas, documenta, ea qua par est diligentia non custodiunt, illius ſecreta, vel ex garrulitate, vel quia ab eis dimiſsi ſunt propalant. *3tio:* Qui negotia protrahunt, causas prolongant, illas, ſervato juris ordine non accelerant.

Quæres 6to: Quid de Scribis ac Notariis sentiendum sit?

Resp: Peccant ii *1mo:* si decisiones, judicii definitiones, aliaquè sive ex imperitia, sive ex iniquitate rite non conficiunt, aut ambiguas voces, clausulas apponunt, quæ lites generant. *2do:* qui Scripturas, Documenta, Instrumenta in Libros non inserant, in iis ea describere negligunt, unde multa per illorum incuriam cum gravi jactura multorum pereunt. Acta judiciorum, librosquè transactionum, venditionum, emptionum cæterorumquè contractuum caute, & diligenter non custodiunt, iis namquè eorum culpa deperditis, de damno tenentur. Præterea si transumpta, & exscripta ex illis fideliter non extradunt, sed illa corrumpunt. *3tio*: si conficiant acta legibus reprobata, *exg*: donationem hominis ratione destituti, cum animo extorquendæ pecuniæ differunt instrumentorum, documentorum expeditionem, aut extraditionem. *4to*: Si

loco

loco testamenti, aut alterius transactionis, quod perierat, aliud simile confingant. Si secretum prodant, aut quidpiam contra præstitum Officii sui juramentum faciant. *5to*: Tandem si Notarius, qui falsa confecerat instrumenta, proximus sit morti, tenetur damnum & iacturam inde provenientem quoquomodo resarcire, quod si non habet unde restituat, debet efficere, quantum in se est, ut pars cui nocet falsificatum documentum, servetur illæsa, sive exigendo ut ille, in cuius gratiam cedit dolus, sibi illud restituat, ex actis eliminet, sive tradendo Confessario, vel potius testibus fide dignis schedulam, qua declaret falsitatem instrumenti à se confecti. Verum hic notandum est, quod Notarius habens apud omnes bonum nomen, non magis tenetur se infamare, quam Mulier adultera, ex cuius peccato, filius spurius inter legitimos hæredes recensetur, idcirco expendendum est, an damnum tanti sit, quod feret aliquis falsi instrumenti occasione, ut debeat illud reparari per jacturam famæ, quæ est bonum ordinis superioris.

Quæres 7mo: Qui prœterea ad judicia concurrunt?

Resp: Ad judicia suo etiam modo concurrunt, qui in causis facti Inquisitiones expediunt, testes examinant, & illi peccant multis modis, & quidem *1mo*: cum ea, quæ sibi commissa sunt, expedire, & perficere negligunt, dolose procrastinant, quæ ab ipsis confecta sunt, suo tempore ad judicia non deferunt, unde ex mora illorum culpabili crescunt litigantium expensæ. *2do*: cum in expediendis ac perficiendis sibi commissis, iisque referendis, aliquid substantiale causæ omittunt, jus, aut factum unius magis exponunt, quam alterius. *3tio*: cum revelant quis uni vel faverit, vel adversatus fuerit. Si testimoniis testium, aut partium dictis, vel factis, aliquid addunt, vel detrahunt, nec sincere res scribunt, ut se habent.

ARTICULUS 3tius

De iis ad quœ Domini, suis Vasallis tenentur.

Quœres 1mo. Quid per Dominos, & illorum Vasallos intelligendum sit?

Resp: Per Dominos Civiles ii intelliguntur, qui in quædam bona temporalia quæ possident, plenum ius, ac dominium habent.

 Vasal-

Vasalli, illi sunt qui Dominorum suorum quibus subjacent, agros poſsident, eosquè excolunt, sive ad tempus aliquod præfixum sive in perpetuum, atquê ex illis vel opera quædam servilia præstant, vel constitutam pecuniæ summam exsolvunt.

Quæres 2do: Quæ Domini suis debent Vasallis?

Resp: Domini suis Vasallis debent *1mo*: Justitiam, quam sive per seipsos, sive per suos substitutos administrare tenentur. Unde peccant, qui constituunt Economos, Commiſsarios imperitos, suspectæ, & non exploratæ probitatis, eorum exactionibus, iniquis extorsionibus obsistere negligunt. Tenentur quoquè Domini ex munere suo curare ne Vasalli ſui etiam volentes decipiantur, ne ab aliis opprimantur, quia tuitioni ac defensioni ſuorum Vasallorum incumbere debent. Unde peccant Domini si oppreſsioni ſuorum Vasallorum non obstant, si nocivos, & sceleratos non puniunt, non expellunt, sed illos protegunt.

2do: Debent Domini suis Vasallis immunitatem ab oneribus indebitis. Quare peccant si illos oneribus, quo ad substantiam, aut quoad modum indebitis gravant, veluti qui census augent, opera diurna multiplicant, in pecuniariam solutionem vertunt, initos contractus rescindunt.

Quæres 3tio: Quid debeant Vasalli suis Dominis?

Resp: Vasalli debent suis Dominis, annuos census, & diurnos labores qui Prædii Inventario præscripti ſunt, aut contractu constituti, atquè determinati. Hæc debita persolvere, onera adimplere, si Vasalli renuant ac detrectent, peccant, & Dominis suis injuriam faciunt.

Quæres 4to: Utrum Vasalli habeant proprietatem suarum rerum.

Resp: Vasalli agrorum quos poſsident, & excolunt, ac illorum omnium rerum, quæ illis à Dominis suis ad usum nonnisi tradita, & conceſsa sunt, proprietatem non habent, illorum vero rerum quas labore, industria sibi compararunt, aut quovis alio justo titulo ipsis obvenerunt, proprietatem habent, ac de illis disponere valent.

CA-

CAPUT QUARTUM

De mutuis obligationibus Conjugum.

Quæres: Quæ sunt obligationes Conjugum?

Resp: Obligationes Conjugum aliæ respiciunt debitum conjugale, quod sibi mutuo reddere Conjuges tenentur, aliæ ſunt, quæ respiciunt eorum secum cohabitationem, atquê mutuum quem sibi debent amorem.

ARTICULUS 1mus

De conjugali debito.

Quæres 1mo: Utrum Conjuges teneantur sibi debitum conjugale reddere?

Resp: Tenentur. Et id expreſse docet & probat Apostolus 1. ad Corinth: Cap: 7. ſcribens. *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter autem & vir sui corporis potestatêm non habet, sed mulier.* Hinc ſequitur 1mo: obligationem debiti conjugalis eſse sub mortali, quia est obligatio justitiæ & gravis importantiæ, cum ea debiti conjugalis denegatione, conjicitur alter conjux in periculum multiplicis incontinentiæ. Unde negare debitum ei, qui serio & instanter illud exigit, licetsi solum tacite expostulet, quamvis semel sine justa causa id fiat, non est à peccato mortali immune. Aliud est, si exigat remiſse, dilationem facile concedat, negationem non egre ferat, nec subsit incontinentiæ periculum, tunc enim debitum conjugale negare, vel differre nullum aut nonnisi leve erit peccatum. 2do· novi & gravis peccati reum eſse, qui se reddit impotentem ad satisfaciendum propriæ uxori debitum conjugale exigenti, *exg.* voluntaria pollutione, commercio fornicario cum extraneis mulieribus. Imo à peccato non eſset immunis qui indiscretis jejuniis, aliisquê mortificationibus ad idem maritale officium persolvendum notabiliter se redderet incapacem.

Jus autem exigendi debitum conjugale æquale est utri-

utriusque conjugis, quia oritur ex mutuo contractu matrimoniali, quo se vir mulieri, & mulier viro obligavit, quare inquit Paulus I. Corinth: Cap: 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.*

Quæres 2do. An Conjuges aliquando debitum matrimoniale petere, & exigere teneantur?

Resp: Per se loquendo non tenentur, quia liberum est unicuiquè juri suo renuntiare. At per accidens tenentur. Et quidem 1mo: si alter conjugum præsertim uxor ex signis, variisquè indiciis dignoscatur illud cupere, atquè hoc indigere, licet ex verecundia exprefse non exigit, quia tacite expostulat, & tacita expostulatio, non desinit vera efse petitio. 2do: cum sentitur conjugem alterum versari in periculo incontinentiæ, tunc enim peccatum ipsius debiti conjungalis petitione, sive oblatione avertendum est. 3tio: cum id ad fovendum mutuum amorem est necefsarium & ad vitanda odia, difsensiones prodefse potest.

Quæres 3tio: An & quando conjux potest non reddere debitum?

Resp: Debitum conjugale negari potest. 1mo: cum is, qui petit ebrius est, amens, furiosus, quia tunc debitum conjugale nec petitur, nec exerceri potest humano & rationabili modo. Potest tamen tunc, & debet uxor mariti petitioni acquiescere, ut vitentur majora mala vg. pollutio, aut adulterium illius. 2do: Cum qui petit non potest rationabiliter conqueri de negatione debiti exg. si debitum reddi nequeat sine periculo gravis infirmitatis, si petatur frequentius, id enim & rationi difsentaneum est, & graviter incommodum. 3tio. cum conjux excidit à jure petendi debitum per admifsum à se adulterium. Verum si crimen sit occultum, ac proinde ab altera parte ignoretur, vel etiam difsimuletur, quamvis non potest stricte exigi, peti tamen benevole concedendum potest.

Quæres 4to: Quandonam debitum conjugale absolute denegari debet?

Resp: Toties denegari debet, quoties pars â qua petitur necefsario peccaret illud concedendo. Quare debitum conjugale concedi nequit vel in loco Sacro etiam ad vitandam incontinentiam petentis, vel cum is, qui petit, consvetum concubitus modum ita prætermittit, ut non pofsit recipi semen, prout ad generationem recipi debet. Talis namquè congrefsus est jure naturali prohibitus, quare nequê timore mortis permitti potest. 2do:

Cum

Cum vir præ senio copulam perficere nullatenus potest. Si veró aliquando perficiat, exg: ſemel in uno, alterove mense, uxor ad debiti redditionem tenetur. *3tio:* Cum vir ſemen fudit extra vas muliebre, idquè mulier ex continua experientia compertum habet. Aliud est si vir interdum copulam modo debito perficiat, quia non licet ob crimen incertum, jure ſuo quempiam privare. Interim uxor maritum ſuum serio monere debet, ut á tanto crimine abstineat. Si veró maritus pergat idem crimen perpetrare, & mulier versetur in gravi incontinentiæ periculo, quod post adhibita orationis, jejunii, eleemosynæ remedia perdurat, poterit ipsa, & petere, & reddere debitum conjugale, quia licet constat maritum id facturum non eſse sine peccato, id tamen petitur ab eo, quod sine peccato facere potest. *4to:* debet negari debitum cum uxor uterum gerit, & ex redditione debiti incurreret periculum abortus, etiam fætu nondum animato. Secluso autem abortus periculo, qui matrimonio utuntur tempore graviditatis, fluxus menstrui, ac puerperii, venialiter peccant, quia istiusmodi concubitus & indecentes sunt, & minus congruunt generationi ac bono prolis, imo noxii eſse censentur, quoniam tempore graviditatis, & stante fluxu menstrui, ob indispositionem mulieris, proles concipi nequit, & durante puerperio, vitiato ex concubitu lacte, proles necdum ablactata, si á matre lactetur, multum debilitatur, atquè ei, quæ concipi potest, matrique ipsi, multa afferunt nocumenta, unde his in circumstantiis ab usu matrimonii abstinendum est, nisi incontinentiæ immineat periculum, tunc enim uxor, viro debitum exigenti, si monitioni non acquiescat, reddere debet.

Quæres 5to: Qui sunt futiles negandi conjugalis debiti prætextus?

Resp: Futiles negandi conjugalis debiti prætextus sunt sequentes. *1mo:* Si uxor marito in reddendo debito conjugali obsequi nolit ob devotionem, quia ad Sacram Communionem accedere statuerat, aut diem festum ſanctius cum continentia transigere proposuerat. Quare si petens monitioni mulieris non acquiescat, debitum reddendum est, quia jure suo fraudari non debet propter voluntariam alterius devotionem, quamquam maritus tunc ab uxore debitum conjugale exigens, nisi ipsi incontinentiæ periculum immineat, âpeccato immunis non est, quia ut inquit Ecclesiastes cap: 3. *omnia tempus habent, tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus.* 2do nec

nec potest conjux conjugi debitum matrimoniale denegare metu numerosæ prolis. Eſset enim id quædam diffidentia de Divina providentia, quæ dando benedictionem uteri, frequenter etiam dat benedictionem boni temporalis. *3tio:* Si mulier hactenus mortuos liberos edidit, marito graviter instanti, obsequi debet, nec potest debitum conjugale ipsi denegare, quia nonnunquam contingit, ut quæ pluries abortum paſsa est, pariat tandem feliciter, & plerique abortus sola prodeunt Conjugum culpa, qui vel intemperantius matrimonio utuntur, unde impeditur plena fætus conformatio, vel qui prægnationis tempore non sibi bene consulunt, vel uterum strictius constringendo, ne gravidæ videantur, vel saltando, onera nimia deferendo. &c. nullatenus vero licet mulieri denegare debitum conjugale ob incommoda, & molestias, quas gravidæ experiuntur, aut propter ordinariam partus difficultatem, nam nubendo, his miseriis á Deo Evæ, & aliis omnibus mulieribus impositis, sponte ſe ſubiecit.

Quæres 6to: Quæ privant Conjuges jure petendi debitum conjugale?

Resp: Tria sunt, quæ privant Conjuges jure petendi debitum conjugale. *1mum:* est adulterium commiſsum. Sed hic duplex occurrere potest adulterium, unum simplex quod commiſsum est cum persona utriquè conjugi prorsus extranea, aut quæ uni conjugum nonnisi remote in tertio scilicet aut quarto gradu consangvinea est, alterum mixtum quod commiſsum est cum persona uni Conjugum in primo aut secundo gradu consangvinea. Ex priori adulterio nulla oritur inter Conjuges affinitas, ac proinde nulla interveniente dispensatione, ſed ſola culpæ condonatione, ac remiſsione, amiſsum ius petendi debiti restitui, & recuperari potest: ex altero adulterio, affinitas oritur, & hæc impedit petitionem debiti conjugalis, cumquè ipsa aliter tolli nequeat nisi dispensatione, per adulterium mixtum amiſsum jus petendi debiti, sola culpæ condonatione, ac remiſsione non recuperatur.

Itaque per adulterium quodcunquè etiam simplex amittitur jus petendi debitum, & licetsi petatur, altera Conjugum pars non tenetur illud reddere, quia frangenti fidem, fides non est ſervanda. Sed hoc parti innocenti ſervit, nam si uterque conjux adulterii reus sit, unus alteri debitum conjugale denegare nequit, quia comparia crimina compensatione mutua delentur, & non est conveniens, quod pari crimine infectus, alterum de eodem puni-

puniat, commodo ipsius eum privando, quare in tali casu uterquè & petere debitum potest, & petenti reddere tenetur. Potest autem conjux innocens comparti in adulterium prolapso, si adulterium commiſsum fuerit simplex, culpam remittere, ac condonare. Et id præstare censetur, sive amititiæ, & propensionis signa ostendendo, sive ad matrimonialem copulam compartem admitendo. Sed & conjux adulterii rea, quando compars ejus crimen aut ignorat, aut difsimulat, potest opus conjugale, non quidem ut stricte sibi debitum exigere, sed ut libere & benevole concedendum expostulare, nequê enim culpam suam, ejus remiſsionem petendo, prodere, ac ſe diffamare tenetur.

2dum est affinitas contracta, quæ oritur ex adulterio mixto, seu ex commercio carnali habito cum consangvineis alterius conjugis in primo vel ſecundo gradu positis. Nihil vero interest sive hæc affinitas à marito, sive ab uxore contrahatur, sive crimen sit publicum, sive occultum, semper per illud deperditur jus petendi debitum. Debet tamen ejusmodi commercium formaliter eſse incestuosum, unde mulier à consangvineo viri sui per vim cognita non excidit a jure petendi debitum, quia nullam commiſsit culpam; aliud vero eſset si minis etiam intentatæ mortis ceſsiset. Hinc etiam non excidit ab eodem jure maritus qui cognoscit fæminam, quam uxoris suæ consangvineam eſse ignorat, quia ex jure requiritur ſcientia, scilicet notitia hanc eſse conjugis ſuæ consangvineam, cum qua peccatur, ut pæna privationis debiti conjugalis contrahatur, haud tamen excusaret ignorantia affectata, vel tam craſsa, ut æquivaleret affectatæ, quia utraquè scientiæ æquiparatur.

Hæc autem privatio juris ad petendum debitum incurritur, dum adulterium admittitur cum consangvineis alteriur conjugis. Si quis enim propriam ſuam consangvineam, cognatamve, vel affinem uxoris ſuæ carnaliter cognoverit, non erit huic pænæ obnoxius, quia id nullibi in jure constitutum est. Præterea hæc pæna privationis jure petendi debiti conjugalis, tunc solum contrahitur, quando adulterium incestuosum admittitur cum consangvinea alterius conjugis in primo, vel secundo gradu, quia enim affinitas in ordine ad contrahendum Matrimonium restricta est ad primum, & ſecundum gradum, pariter in ordine ad usum matrimonii restricta eſse censetur. Tandem jure petendi debitum nonnisi ille conjux

priva-

privatur, qui adulterii incestuosi reus est, conjux enim innocens jus ſuum ſemper retinet, & illi petenti, incestuosus debitum conjugale reddere tenetur. Si autem uterque conjugum incestum commiserit, neuter debitum conjugale aut petere, aut petenti reddere potest. Pari modo, si unus conjugum alterius incestui consenserit, à jure petendi debitum excidit non secus, ac si ipse incestum commisiſset.

3tium est, cum unus conjugum nulla urgente neceſsitate, scienter baptisat, vel in Baptismo, aut Confirmatione ſuscipit prolem utriusque conjugis propriam. Quia per id contrahitur spiritualis cognatio, quæ impedit ne debitum conjugale petatur, quod enim dirimit matrimonium contrahendum, usum contracti impedit. Si vero baptisetur proles utriusque conjugum ex legitimo thoro suscepta, urgente, & id exigente neceſsitate, aut ex ignorantia, quia qui baptisat, aut in Baptismo sive Confirmatione ſuscipit, nescit ſuam, & conjugis ſuæ eſse prolem, per hoc non amittit jus petendi debitum conjugale, pæna siquidem qua quis privatur jure sibi competénte culpam ſupponit. Porro qui baptisat, aut in Baptismo, sive Confirmatione prolem suscipit ſuam, uxorisque ſuæ propriam, cogente ad id neceſsitate, vel etiam ignoranter, ac nescienter, nullam committit culpam, ergo neque pænæ ſubjacere potest, ac proinde jus petendi debitum conjugale amittere non debet. Et id verum est, si quis videns prolis ſuæ periculum eoque perterritus, aliis etiam presentibus qui baptisare poſsent, pene indeliberate accureret, eumque baptisaret, quia in gravi, & instante periculo, non est deliberandi locus, & jus Ecclesiasticum ſubindicat, tunc tantum Patrem delinquere, & à jure petendi debitum conjugale excidere, quando ſuam prolem præsente Sacerdote baptisat, unde merito infertur illum à jure exigendi debitum conjugale non excidere, qui etiam nullo gravi ingruente periculo, propriam prolem baptisaret, præsentibus aliis qui id facere poſsent, dummodo id non fiat presente Sacerdote, quia pænæ quantum fieri potest intacta Canonum littera, restringi debent. Jam vero Canones eum privant jure petendi debitum conjugale, qui præsente Sacerdote propriam prolem baptisaverit. Ergo qui id fecerit absente Sacerdote, licet aliis præsentibus, qui baptisare poſsent, non excidit à jure petendi debitum.

Pariter amittit jus petendi debitum conjugale qui suam

ſuam, uxorisque ſuæ prolem, in Baptismo aut Confirmatione Patrini personam gerens, & officium adimplens, ſuscipit, quia tunc etiam spiritualis inter conjuges cognatio contrahitur, quæ uſum Matrimonii impedit, nisi id fiat ignoranter, quia scilicet nescit talem se ſuscipere prolem, eique munus Patrini exhibere. Hæc autem omnia quæ hucusque dicta ſunt pro casu, quando unus conjugum, utriusque propriam prolem ex legitimo inter ipsos Matrimonio progenitam baptisat, vel in Baptismo, sive Confirmatione tamquam Patrinus suscipit, vera sunt, & adaptari debent ad casum, quando unus conjugum, alterius conjugis prolem ex illegitimo concubitu progenitam baptisat, aut in Baptismo sive Confirmatione tamquam Patrinus suscipit, dummodo id fiat non ex urgente necessitate, atque scienter talem scilicet eſse prolem, propriæ inquam uxoris vel ſui Mariti ex illegitimo concubitu progenitam. Quamquam vero conjux baptisando, sive in Baptismo, aut Confirmatione propriam suscipiendo prolem amittit jus petendi debitum conjugale, tamen debet alteri parti petenti illud reddere, quia ex ejus culpa non debet alter incommodum reportare.

Porrò istiusmodi ammiſsum jus petendi debitum conjugale non restituitur, neque recupératur, nisi dispensatione tollatur contracta spiritualis cognatio.

Quæres 7mo: Quid conjugibus licitum, aut vetitum sit in dubio de valore matrimonii sui?

Resp: Imprimis indubitatum est, illum qui de matrimonii sui nullitate certus omnino est, nec petere nec reddere debitum conjugale poſse, quia id eſset luxuriæ crimen, extra verum ac legitimum Matrimonium lege divina prohibitum, intrinsece malum, ac proinde in quavis circumstantia illicitum, & nefarium. Unde etiamsi conjux nullitatis sui matrimonii conscia, a Judice Ecclesiastico per ſententiam, & Censuras urgeretur ad cohabitandum cum altera parte, haud poſset cum ipsa cohabitare vel opus matrimoniale cum ipsa exercere. Unde generaliter pronuntiat Innocentius 3. Can: 44. De Sent: Excom: quod conjux sciens *pro certo impedimentum conjugii sui, debet potius excommunicationis sententiam humiliter ſustinere, quam per carnale commercium peccatum operari.*

Quodsi verò nonnisi dubium occurrat de valore matrimonii, tunc vel istiusmodi dubium fundatum est, & probabile, vel leve, & nulla innixum ratione probabili.

Si

Si sit dubium grave, tum vel præcefsit matrimonium, vel eidem jam contracto supervenit. Itaque 1mo: si dubium leve est, *explorata ad Pastoris sui consilium conscientia levis, & temerariæ credulitatis, licite potest pars dubia non solum reddere, sed exigere debitum conjugale* inquit Innocentius 3. loco mox laudato. 2do: si dubium sit grave, & matrimonium præcefserit, poterit qui dubitat, dubio permanente debitum conjugale reddere, non autem illud petere. Quia qui stante tali dubio debitum conjugale petit, exponit se fornicationis periculo, à quo immunis est debitum non exigendo. Debet autem petenti reddere, quia qui jus aliquod bona fide pofsidet, non est eo spoliandus propter malam alterius fidem. Porro conjux qui bona fide Matrimonium contraxit, jus habet ad debitum conjugale. Ergo illo propter malam alterius fidem, qui cum dubio matrimonium iniit, non debet spoliari. Unde Cap: 2. de secundis nuptiis dicitur. *Si aliquis, vel aliqua de morte prioris conjugis sibi existimat dubitandum, ei qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti.* 3tio: quod si verè uterque conjugum in dubio matrimonium inierit, neuter debitum conjugale petere aut reddere potest, quia nemo eo uti potest, de quo prudenter dubitat, an ad illud jus habeat. Cum autem ambo conjuges de valore Matrimonii sui dubitant, & cum dubio illud contraxerunt, eo ipso prudenter dubitant, an ad copulam matrimonialem jus habeant, ergo illo uti nequeunt, ac proinde neque debitum conjugale exigere, neque reddere ipsi valent.

Quæres 8vo: Sed quid facto opus sit, cum dubium grave suboritur contracto jam matrimonio?

Resp: Hæc statuenda sunt 1mo: si matrimonium necdum consummatum sit, duobus primis mensibus, non erit consummandum, ut veritas sedulo inquiri pofsit, & Eclesia concedit conjugibus ab usu matrimonii per id tempus abstinere, cum ergo tunc debitum conjugale inculpate denegari pofsit, ob subortum grave dubium, negari debet. 2do si jam matrimonium consummatum est, & alter conjugum nihil habeat dubii, reddendum est ei debitum conjugale, cum illud exigit, fed ab eo non est exigendum, donec res serio expensa fuerit. 3tio: Si post serium examen, idem quod prius perseveret dubium, reddi quidem debet debitum conjugale illi conjugi qui non dubitat, haud tamen licitum est illud ab eo exigere, quia prudenter dubitat, an ad illud exigendum jus habeat, pro-

inde-

indeque gravi se scienter exponit fornicandi periculo, quod semper illicitum est. Unde Can: 44. de Sent. Excom: generaliter statuitur: *Cum conscientia conjugis pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra legem conscientiæ, committat offensam.* Hinc manifeste colligitur, si idem sit utriusque conjugis dubium, & utrique cognitum, ambo tenentur abstinere & a petendo, & à reddendo debito conjugali. An autem & quando alter conjugum alteri ſua dubia, & dubitandi motiva pandere poſsit, res est ex prudentis Confeſsarii judicio definienda, qui eam ex circumstantiis resolvet. Quodsi unus conjugum non dubitet solum, sed ex momentis multo gravioribus moraliter certam habeat matrimonii ſui invaliditatem, tunc nequidem petenti debitum conjugale reddere poterit, nisi forte motiva ipsius viro prudenti, & conscientioso longe minora videantur, quam ipsi conjugi apparent.

Quæres 9no: Quomodo se gerere debet, qui post emissum votum aut ingrediendi Religionem, aut castitatem perpetuo servandi, Matrimonium contraxit?

Resp: Qui post emiſsum castitatis votum matrimonium contrahit peccat mortaliter, semper tenetur abstinere à petitione debiti conjugalis, reddere autem alteri conjugi illud exigenti tenetur, & post mortem conjugis ad secundas nuptias convolare nequit, quia votum in omni circumstantia observari debet, cum sine injuria tertii servari valet. Jam verò quod non petatur debitum conjugale, neque ad secundas convoletur nuptias, nulli fit injuria, si verò debitum conjugale parti innocenti, illud exigenti non reddatur, ipsi injuria irrogaretur. Ergo in prioribus casibus votum est observandum non verò in ultimo. Pari modo qui contracto Matrimonio emisit votum castitatis, petere debitum conjugale non potest, & abstinere tenetur ab omni actu venereo, quia votum servare debet omni modo quantum fieri potest sine injuria ſuæ compartis. Sed reddere petenti debet, nisi votum ab uno conjugum emiſsum fuerit cum consensu alterius conjugis, quæ juri suo ceſserit, quia tunc neutri licet debitum conjugale petere, aut illud reddere.

Qui verò post emiſsum votum ingrediendi Religionem, Matrimonium contraxit, ante illius consummationem ingredi Religionem tenetur, quia id licite facere potest,

& ad id se voto obstrinxit. Sed si matrimonium consummavit, graviter quidem peccavit illud consummando, postea tamen potest debitum conjugale non solum reddere, sed etiam petere. Quia non vovit castitatem, sed tantum ingressum Religionis, aut saltem non vovit castitatem nisi in Religione servandam. At post mortem conjugis ingredi Religionem tenetur, nam tenetur votum implere, cujus obligatio tempore matrimonii nonnisi suspensa fuit, non autem prorsus extincta. Qui etiam post consummatum matrimonium vovit vel Religionem ingredi, vel sacros suscipere Ordines, stante ejusmodi matrimonio, potest debitum conjugale & petere, & reddere. Quia per hoc votum contraxit solum obligationem ingredi Religionem, ac suscipiendi sacros Ordines, si conjugem suam supervixerit. Verum in talibus casibus, mens, & intentio voventis primario est attendenda, & in arduis circumstantiis, ad vitanda mala quæ ingruere sæpius possunt, aut commutatio voti facienda est, aut dispensatio expostulanda.

Quæres 20mo: Quando peccant conjuges in usu matrimonii?

Resp: Frequenter conjuges peccant in usu matrimonii. Et quidem 1mo: peccant conjuges, qui non fine prolem suscipiendi, aut alteri conjugum satisfaciendi animo, sed solius explendæ libidinis causa matrimonio utuntur. Sed tunc erit quidem peccatum, at nonnisi veniale. Unde S. Augustinus libro de bono conjugii Cap: 7. inquit: *Reddere debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ est venialis.* Coitûs tamen intemperantia peccatum est mortale 1. quando graviter nocet valetudini aut petentis, aut reddentis. 2. cum actus conjugalis exercetur coram aliis, quare cavere sibi multum hac in re debent conjuges, qui sub eodem tecto manent cum liberis suis. 3. cum prætermittitur naturalis concubendi modus, & inde imminet periculum effundendi seminis extra vas muliebre. Alioqui hic nonnisi culpam venialem agnoscunt plures ex Theologis; quia illicite quidem, sed tamen intra limites matrimonii captatur voluptas. Serio tamen ob id admonendi, & arguendi sunt conjuges. Quodsi vir debitum situm in exercenda copula prætermittat, eo quod corporis dispositio naturalem situm non patitur, immunis erit â culpa, dummodo absit periculum semen effundendi extra vas muliebre. 4. Cum conjuges generationem impediunt, aut prolis per abortum eijciendæ, sive graviter illam lædendi

periculo

periculo se exponunt. 5. Cum vir se retrahit, vel complete non seminat in vase muliebri. Idem est cum mulier susceptum semen de industria eijcit, aut proprium semen privatim effundit.

Quæres xxmo. An obscœni tactus inter conjugés sint peccata?

Resp. Prædicti tactus immunes sunt à culpa cum absque pollutionis periculo adhibentur ut necessarii ad coitum maritalem, quia tunc non fiunt voluptatis intuitu, sed intuitu maritalis copulæ, quæ cum inter conjuges licita sit, licitum etiam est id, quod ad illam disponit. Culpam vero venialem habent isti tactus, cum etsi ad copulam ordinentur, ad eam tamen necessarii non sunt, quia tunc solius voluptatis captandæ intuitu fiunt, quod à culpa veniali non vacat. Tandem ijdem tactus mortaliter peccaminosi sunt, quoties proximum habent periculum pollutionis, hæc enim Conjugatis ipsis graviter illicita est, ac proinde graviter peccant, cum ejus periculo se ultro exponunt. Unde sub gravi tenentur conjuges ab iis omnibus se abstinere quæ pollutionis periculum inducunt, quoties advertunt se per conjugalem copulam ipsi obviare non posse.

ARTICULUS 2dus

De cæteris obligationibus conjugum a conjugali debito distinctis.

Quærés 1mo: Præter conjugale debitum quid præterea sibi debent conjuges?

Resp: Præter conjugale debitum, conjuges debent sibi mutuum, sanctum, ac specialem amorem, quia ita strictissime secum conjuncti sunt, ut jam non sint duo, sed una caro. Quare Paulus ad Ephesios scribens. Cap. 5. sic inquit: *Viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Porro Christus Sancto, & speciali amore dilexit Ecclesiam. Idem ergo facere debent & conjuges, & quod hic Apostolus commendat, & injungit viris, idem præcipit & uxoribus nimirum *ut viros suos ament* ad Titum. Cap: 2. Atque contra hanc legem graviter peccant uterque conjux si rixas suscitet, aut faveat, si alterum conjugem ad gravem iram, aut ad aliud grave peccatum excitet, si unus alterum graviter percutiat, si se de-

dat

dat Zelotipiæ vitio, unde tot perversæ ſuspitiones, tot diu, noctuque perturbationes oriuntur.

Quæres 2do: Utrum conjuges secum cohabitare teneantur?

Resp: Conjuges secum cohabitare tenentur, Et id constat apertiſsime ex verbis Christi Math. Cap: 19. *Dimittet homo Patrem & Matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Hoc autem sine mutua secum cohabitatione fieri nequit. Ipsius quoque prolis conveniens educatio, & institutio id expostulant, atque obsequia quæ mutuo à conjugatis præstanda sunt, absque conjugali & ſociali cohabitatione nequeunt impleri.

Attamen licitum est viro à domó recedere ad breve tempus, sine licentia uxoris, ſed non vice versa. Imo poſset vir à domo diu abeſse, si id exigeret res familiaris, gravis infirmitas curanda, aut obsequium publicum, alias non debet alter sine altero, nisi de ejus consensu, diutius abeſse.

Quæres 3tio: An teneatur uxor sequi maritum qui alio divertit?

Resp: Non tenetur *1mo:* si maritus vagari velit quo sibi videbitur. *2do:* Si uxori eundem secuturæ, immineat periculum gravis infirmitatis, maxmæque defatigationis, ut si maritus ad bellum proficiscatur. *3tio* Si maritus sine vera, & gravi neceſsitate, in regionem admodum remotam migrare velit.

Quæres 4to: An & quibus de causis poſsint conjuges sive quoad tectum, sive quoad thorum à se invicem separari?

Resp: Licitum est utrique conjugi ab alio secedere, idque in perpetuum propter adulterii crimen. Patet id ex Math. Cap. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Unde S. Augustinus Libr: 2. de adult. conjug. cap: 5. ait *licite dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum conjugii prioris.* Non minus autem uxori quam viro licitum est divortium propter commiſsum ab altero conjugum adulterium, quia non minus vir quam uxor fidem violat conjugalem adulterando, quæ injusta fidei læsio divortium parit. Quatuor autem ſunt casus, in quibus propter adulterium divortium fieri nequit. Et quidem *1mo:* cum adulterium vacat à culpa, ut si mulier per vim ab extraneo opprimatur. *2do:* Si vir uxori ſuæ adulterandi causa fuerit, aut in adulterium ipsius consentiat, vel etiam

consu-

consulat. *3tio*: Cum conjux alter, ipse quoque adulterium committit, quia paria crimina mutua compensatione deleri censentur. 4to: Cum conjugi adulteræ crimen à conjuge altero condonatur. Porro potest conjux innocens crimen adulterii alteri condonare vel expreſse verbis manifestis, vel tacite, sive conjugem adulteram ad copulam matrimonialem admittendo, sive amicitiæ, & propensionis ſuæ signa ipsi demonstrando.

Quæres 5to: Utrum privata authoritate divortium propter adulterium fieri poſsit?

Resp: Si sermo sit de sola ſeparatione quoad thorum; pars innocens ab adultera sine sententia judicis potest se ſeparare, modo tamen ipsi certo de crimine constet, per signa non tantum probabilia, ſed adeo gravia, & indubitata, ut etiam in judicio fidem facere poſsint. Si verò ſermo sit de omnimoda ſeparatione quoad thorum, & tectum, opus est prævia Judicis ſententia, etiam in casu notorii adulterii, nisi tanta sit criminis notarietas, ut in dubium vocari nequeat, ut si conjux cum ſuo amasio palam vivat, liberos habuerit, quos certum est mariti ipsius fætum non eſse.

Quæres 6to: An conjux innocens, conjugem adulterii causa dimiſsam ac pœnitentem recipere poſsit, & debeat?

Resp: Semper recipere potest, etiamsi ſeparatio per sententiam Judicis facta fuerit, quia innocens ſententiæ Judicis acquiescendo, sibi viam non præclusit ad condonandum, cum nonnisi in gratiam ipsius lata fuerit ſententia. Non tamen ad condonandum tenetur, quia pænitentia tollit quidem culpam apud Deum, ſed injuriam homini factam, nequè pænæ reatum auffert. Verum non deſunt casus in quibus adulter dimiſsus & pænitens recipi debeat. *1mo:* cum innocens sine magno ſuo incommodo recipere potest conjugem emendatam, & hoc expediat ſaluti ejus, ne forte ad vomitum revertatur. *2do*: Si is qui adulterum dimiserat, ipse in adulterium prolabatur, si commiſsum crimen jam condonavit, si versatur in periculo incontinentiæ, huic enim mederi debet legitimam conjugem ad ſuum conſortium admittendo.

Quæres 7mò: Conjux adultera & dimiſsa, si revocetur, an tenetur reverti?

Resp: Tenetur, quia divortium in favorem innocentis institutum est, quod autem ob gratiam alicuius conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

Quæres 8vo: An facto ex adulterii causa divortio, licitum

licitum sit conjugibus castitatem vovere, aut Religionem ingredi?

Resp: Conjux innocens potest emittere votum castitatis, Sacros Ordines ſuscipere, aut ingredi Religionem, ibique irrevocabiliter profiteri post latam divortii sententiam. Sed non eadem est nocentis conjugis conditio. Is enim sine licentia innocentis non potest aut Sacros Ordines ſuscipere, aut religionem ingredi, quia revocari potest ab innocente, & redire ad eum tenetur.

Quœres 9no: Quœ sunt aliœ divortii causœ?

Resp; Præter adulterium ſunt etiam aliæ divortii causæ. *1mo*: Lapsus in hæresim, & apostasia à fide. *2do*: Periculum animæ, quando scilicet conjugum alter, alterum ad crimen adducit. exg: Sodomiam, furtum, ita ut is iam cum eo habitare sine peccato non poſsit. *3tio*: Sævitiæ, & malæ alterutrius conjugis tractationes, verberationes, percuſsiones. *4to:* Timor justus, cum exg: timet mulier ne in mariti ſui criminibus involvatur, & propter illa vitæ, bonorum, honoris dispendium incurrat. Verum ut propter prædictas causas divortium quoad thorum, & cohabitationem fiat, ſemper requiritur ſententia Judicis & sine illa, ſeparatio Conjugum licite fieri nequit. Quodsi ex mora immineat periculum, ut imminere potest ex furore mariti, licet sibi illico per fugam consulere, & deinceps opem Judicis implorare.

Quœres 10mo: Quœ prœterea Conjuges sibi prœstare tenentur?

Resp: Alter alteri alimenta præstare tenetur. Hinc peccat maritus qui vel negat uxori alimenta cum habet, vel non adhibet diligentiam ut ea acquirat, & conservet quantum neceſse est ad decentem uxoris sustentationem. Et ad id maritus tenetur etiamsi uxor dotem non attulerit, si id gratum habuit, quod sibi dos non fuerat constituta. Verum tamen non tenetur maritus uxorem alere, ac sustentare *1mo*: Cum eius pater non vult promiſsam dotem solvere, aliud eſset, si evasiſset solvendo impar. *2do*: Cum uxor pro libitu discedit à viro, eumqué ob causas futiles, deserit. Secus si receſserit propter correctionis acerbitatem, ut periculum morbi exitialis. *3tio*: Si dotem inscio marito consumpserit, quamquam & in hoc casu totaliter uxor à marito deseri non poterit. Sed pariter mulier ex bonis suis quæ habet, viro suo alimenta præbere debet, eumquè maxime in neceſsitate & inopia existentem ſustentare tenetur. Speciatim vero uxor tenetur

mari-

marito ſuo obedientiam in rebus ad familiæ gubernationem, domûsquè regimen pertinentibus. Unde graviter peccat, si viro in re gravi ad familiæ bonum, & domus gubernationem, liberorum institutionem ſpectante non obediat, si imperium sibi vindicet, si quid notabile ex bonis communibus expendat, alienet, contra rationabilem mariti sui voluntatem, in his siquidem omnibus marito suo uxor ſubiecta eſse debet. Unde Apostolus Ephes. cap: 5. inquit: *Mulieres Viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Quare etiam uxor marito veluti Domino & capiti suo, non solum omnem subiectionem, sed etiam reverentiam exhibere debet, unde quæ virum suum spernit, deridet, contemnit, peccat.

TRACTATUS

DE

PRÆCIPUIS VIRTUTIBUS CHRISTIANIS.

Quæres Quid sit virtus & quotuplex?

Resp: Virtus ut inquit S. Augustinus libro 83. quæst: 31. *est animi habitus naturæ atque rationi consentaneus*, recte igitur definitur: *habitus inclinans hominem ad recte & ordinate agendum.*

Virtutes aliæ sunt *Theologicæ*, quæ ipsum Deum pro primario habent obiecto, atquè ad ipsum directe tendunt, tales sunt fides, spes, & charitas. Virtutes *Morales* illæ dicuntur quæ habent pro objecto actus humanos ad honestatem dirigibiles, tales sunt justitia, prudentia, fortitudo. Sed inter ipsas eminet Religio quæ immediate versatur circa cultum Deo exhibendum.

CAPUT PRIMUM

De virtute Religionis.

Quæres Quid sit virtus Religionis?

Resp: Religio *est virtus inclinans hominem ad exhibendum Deo debitum cultum.* Actus vero præcipui Religionis sunt Oratio, Adoratio, Sacrificium, Votum, Juramentum. De nonnulis hic agemus, de cæteris alibi tractabimus.

ARTICULUS 1mus

De Oratione.

Quæres 1mo: Quid sit & quotuplex Oratio?

Resp: Oratio *est petitio à Deo illorum, quæ desideramus, atquè sive nobis, sive aliis exoptamus.* Duplex verò est oratio, alia *mentalis*, quæ sola mente perfici-

ficitur, alia *vocalis*, quæ fit oris voce. Oratio autem vocalis subdividitur, in *publicam* & *privatam*. *Publica* est illa, quæ fit à ministro ad id deputato, nomine Ecclesiæ, & pro communi salute peragitur. *Privata* quæ fit à persona privata, ac ſæpiſsime pro singulari, ac privata neceſsitate.

Quæres 2do: Oratio estne ad salutem neceſsaria?

Resp: Oratio est ad salutem neceſsaria, tum neceſsitate præcepti tum neceſsitate medii. Enimvero Lucæ cap: 18. dicitur: *Oportet semper orare. & non deficere:* Math: Cap: 26. inquit Christus. *Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem.* Sanctus quoque Jacobus Apostolus Cap: 4. ſcribit. *Non habetis propter quod non postulatis.* Ex quibus evidentiſsime patet præceptam eſse Orationem, aliundeque constat, multa eſse ad salutem neceſsaria, quæ sola Oratione à Deo obtineri poſsunt, veluti victoria in tentationibus & alia. Est ergo Oratio neceſsaria neceſsitate tum præcepti, tum medij. Et quamvis, ut docet S. Thomas Deus nobis multa præstet ex sua liberalitate, etiam non petitus, neque rogatus, verumtamen ipse constituerat, gratiam finalis in bono perseverantiæ, & alia quædam ad salutem neceſsaria non dari, nisi petentibus, & orantibus.

Quæres 3tio: Quo tempore est orandum?

Resp: Certum est frequenter orandum eſse, id enim inculcant ſacræ Scripturæ. Lucæ cap: 18. *Oportet semper orare* & Paulus I. Theſs: cap: 5. inquit *Sine intermiſsione orate.* Unde sequitur in suæ salutis discrimen illum venire, qui Orationis officium diu prætermittit. Verum multi etiam sunt casus, in quibus ex divino præcepto neceſsario orandum est, sic *1mo:* Orandum est cum imminet mortis periculum. *2do:* Cum gravis ingruit tentatio, quia dæmoniorum genus non eijcitur nisi in Oratione. *3tio:* Cum Sacramenta ſunt suscipienda, ad quæ digne percipienda gratia Divina est omnino neceſsaria. *4to:* Cum proximus in ea constitutus est neceſsitate, in qua præcibus potest, & debet juvari, quare inquit S. Jacobus Apostolus Cap: 5to: *Orate pro invicem ut salvemini.*

Quæres 4to: Qualem oratio habet efficaciam?

Resp: Oratio, si omni ex parte talis sit, qualis eſse debet, triplicem habet efficaciam, scilicet *merendi*, *satisfaciendi*, & *impetrandi*, unde oratio debito modo facta, est meritoria, satisfactoria, & impetratoria. Actus enim bonus, ex adiutorio Divinæ gratiæ factus, pænalis, & labori-

boriosus, divinas habens sibi annexas promifsiones, est meritorius, satisfactorius, & impetratorius. Porrò talis est Oratio, si debito modo fiat. Est enim actus bonus, fit ex auxilio gratiæ Divinæ, ut docet Apostolus Rom: cap: 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis.* Neque dubium est, orationem efse opus pænale, & laboriosum, quare Eccles: cap: 12. habetur: *Frequens meditatio, carnis est afflictio.* Divinas quoque promifsiones sibi annexas habet Oratio, si talis ex omni parte fuerit, qualis efse debet. Exprefse namquè spopondit Christus: *Petite & accipietis*, & iterum: *Omnis qui petit, accipit.* tandem Joan: cap: 16. *Si quod petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Indubitatum itaquè est, Orationem debito modo factam, efse meritoriam., impetratoriam, & satisfactoriam.

Quæres 5to: Quæ requiruntur conditiones ut Oratio sit efficax

Resp: Sequentes requiruntur conditiones.

1ma: Est, ut oratio sit de rebus quæ directe, vel indirecte ordinantur ad Dei gloriam, & nostram salutem. Quare bona non est Oratio, & injuriam Deo faceret, qui mali quidpiam á Deo peteret, quia injuriam Deo irrogat non levem, qui eum putat peccati etiam levifsimi authorem efse pofse. Pariter manca efset oratio si res prorsus indifferens à Deo peteretur, sine ulla ad illum, propriamque salutem relatione.

2da: Ut Oratio pie fiat, ad quod duo sunt necefsaria. *1mum* Fides, ex qua procedere debet Oratio juxta id Jacobi Cap: 1. *Postulet in fide, nihil hæsitans.* Non requiritur verò fides, qua quis certo credat se id obtenturum efse, quod petit, sed ut Divinis promifsionibus certo & ex animo afsentiendo illis innitatur, & id indicant verba Christi Math. Cap: 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis.* *2dum* Necefsaria est spes firma, seu fiducia quæ efficit ut oratio sit vehemens, & cum affectu, id docet Apostolus Hebr: cap: 4. scribens: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur.* Hinc procul ab oratione efse debet diffidentia & hæsitatio, *qui enim hæsitat* ait S. Jacobus cap: 1. *similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur, non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.* Sed & præsumptio ab Oratione longe efse debet, namquè *respexit Deus in orationem humilium, & non spre-*

sprevit preces eorum Psal: 101. & Jacobi cap: 4. dicitur: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

3tia: Conditio requisita, ut Oratio sit efficax, est perseverantia. Unde Christus Lucæ Cap: 28. dixit: *Oportet semper orare, & non deficere*; quod Salvator confirmat duplici exemplo, uno viduæ, quæ per importunas præces, vicit tandem duritiam iniqui judicis, altero hominis qui à vicino suo repulsam paſsus, propter improbitatem seu in petendo pérseverantiam obtinuit panes quotquot habuit neceſsarios.

Quamdiu vero perseverare debeat Oratio, non est hominis definire, quia ut inquit Christus Actor: Cap: 1. non est nostrum *noſse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

Quæres 6to: *Quem orare oportet?*

Resp: Imprimis Deus orandus, & rogandus est, quia ipse est prima, & principalis causa omnium bonorum tam spiritualium, quam temporalium. Recte autem & utiliter invocamus Sanctos, in Cælis cum Christo regnantes ut illi pro nobis ad Deum intercedant. Sed & justi dum in terris vivunt, poſsunt rogari ut pro nobis ad Deum intercedant. Unde Jacobus Apostolus Epist: cap: 5. inquit: *Orate pro invicem ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi aſsidua*: & Paulus commendans se orationibus Theſsalonicensium Epist: 2. cap: 5. ait: *Fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat.* Quodsi justos in terris degentes rogare licitum est, & múltum expedit, ut ipsi pro nobis ad Deum intercedere dignentur, magis Sanctos qui iam in Cælis cum Christo gloria perfruuntur æterna.

Quæres 7mo: *An etiam impii, & peccatores utiliter poſsint orare?*

Resp: Impii, & peccatores poſsunt, & sæpiſsime utiliter orant, quod inde manifestiſsime evincitur, quia illos Deus exaudit, præces illorum benigne suscipit, & ipsorum frequenter miseretur, & id constat ex Sacris Scripturis. Libro 2. Esdræ: cap: 9. dicitur: *Fecerunt blasphemias grandes, & in tempore tribulationis clamaverunt ad te, & tu de Cœlo exaudisti*, & Psal: 106. *Exacerbaverunt eloquia Dei, & clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſsitatibus eorum, liberavit eos.* Cum vero peccatores à Deo misericorditer exauditi fuerint de neceſsitatibus suis, cum tribularentur, à Deo liberati extiterint, utiliter itaquè poſsunt Deum orare, & ad id profecto tenentur. Hinc Origenes Homil 5. in Isaiam sic scribit:

bit. *Etsi peccatores estis, orate Dominum. Peccatores exaudit Deus. Quodsi timetis illud, quod in Evangelio dicitur. Scimus quia peccatores non exaudit Deus, nolite pertimescere, nolite credere, cæcus erat, qui hoc dixit.*

Quæres 8vo: Quæ, & quomodo à Deo petenda sunt?

Resp: Petenda ſunt á Deo bona & temporalia, & ſpiritualia, sed modo diverso; bona temporalia, quoniam iis homo abuti potest, petenda sunt tantummodo conditionate, scilicet in tantum, in quantum saluti nostræ nocitura non sunt, ſed eidem profutura. Multi enim perierunt gloria circumdati, ut Saul, qui egeni, & inopes fortê non periiſsent. Bona vero spiritualia, gratiæ, & virtutes petenda sunt à Deo absolute, quia ad salutem prorsus sunt nobis neceſsaria.

Quæres 9no. Quæ oratio cæteris omnibus præstat?

Resp: Oratio Dominica. Præstat enim *authoritate*, quia à Christo Domino tradita, & instituta est, *brevitate*, quia paucifsimis verbis complectitur, & docet, non solum quid â Deo petendum sit, sed etiam quid credendum, ſperandum, diligendum, & fugiendum sit, unde vocatur â S. Cypriano. *Compendium doctrinæ Cœlestis.* Præstat tandem *efficacia* quia nihil Patri Cælesti acceptius eſse potest, quam si ipsum ea formula invocemus, quæ ab unigenito ejus Filio præscripta nobis est.

Quæres 10mo. An Oratio Dominica ab omnibus Christianis sciri, & frequentari debeat?

Resp: Oratio Dominica ab omnibus Christianis ex præcepto Ecclesiæ memoriter sciri, & frequentari debet. Oratio siquidem adultis omnibus neceſsaria est ad salutem neceſsitate medii. Porro nulla Oratio, utilior, efficacior, ac facilior quam Oratio Dominica, illam ergo quilibet scire & frequentare debet. Si quis tamen tam hebes foret, ut ne quidem Orationem hanc addiscere poſset, non ideo extra salutis portum locandus eſset, cum ad impoſsibile nullus obligetur.

Quæres 11mo: Pro quibus orandum est?

Resp: Orandum est pro omnibus vivis, sive justis sive injustis, amicis, & inimicis, fidelibus, & infidelibus. Unde S. Paulus 1. ad Timoth. Cap: 2. sic inquit: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt,* qui tunc ethnici erant, *hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes vult salvos fieri.* Pro mortuis quoque qui in pietate dormitionem

nem

nem acceperunt, & quibus ad expiandum aliquid in futura vita superest, orandum est: namque; *Sancta, & salubriis est cogitatio pro Defunctis exorare ut à peccatis solvantur* libro 2. Mach: Cap: 12. Sed non licet orare pro Sanctis qui sunt in cælo, quia jam nostris orationibus non indigent, & ut loquitur Augustinus Serm: 17. de verbis Apostoli. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Pro damnatis quoque non expedit orare, nihil enim illis nostræ prodeſse poſsunt orationes, quia ex inferno nulla est redemptio.

Quæres 12mo: An oratio pro pluribus defunctis facta, æque prosit omnibus, ac si pro uno tantum fieret?

Resp: Si Oratio spectetur prout est satisfactoria, non æque illa prodest omnibus, ac si pro uno tantum fieret, quia sic finiti est valoris, finitum autem inter plures divisum, minus singulis obvenit. Si autem Oratio spectetur ut impetratoria, perinde ipsa prodest omnibus, sive paucis, sive multis applicetur. Impetratio enim Orationis innititur misericordiæ divinæ, hæc autem non minuitur ex eo, quod Oratio fiat pro multis.

ARTICULUS 2dus.

De Votis, illorum natura, obligatione, commutatione, ac dispensatione.

Quæres 1mo: Quid sit, & quotuplex votum?

Resp: Votum est *promiſsio deliberate Deo facta de meliori bono.*

Est itaque votum *1mo*: promiſsio, seu spontanea in se obligationis susceptio, qua quis ita se ad aliquid faciendum constringere vult, ut si id non fecerit, peccati reus existat, quare votum distingvitur à simplici proposito, vi cujus non intendit homo tam arcte se obligare.

2do: Est promiſsio deliberate facta, qui enim vovet, gravem sibi obligationem imponit, nemo autem sine deliberatione ſufficienti gravem sibi obligationem imponere censetur. Unde si quis ex subito animi motu, lingva mentem præveniente votum emiserit, illud non tenet, neque obligat. Quod vero quis emiſso voto statim doleat se voviſse, eumque emiſsi voti pæniteat, exinde nequit inferri, illum sine sufficienti deliberatione voviſse, plena enim deliberatio uno momento haberi potest, tum circa bonum

bonum, tum circa malum, unde quemadmodum in uno momento potest quis cum ſufficienti deliberatione peccare mortaliter, licet eum illico commiſsi peccati pæniteat, sic etiam potest quis cum ſufficienti deliberatione momento vovere, licet statim doleat se voviſse, in signum est istud nonnisi mutæ voluntatis, talis namque est inconstantia hominis, ut cum sæpe pæniteat eorum etiam, quæ cum plena deliberatione sibi proposuit, atque constituit. Unde raro contingit, ut vota ex defectu deliberationis non obligent.

Deliberatio autem ad votum neceſsaria talis eſse debet, qualis ad peccatum mortale prærequiritur, qui ergo cum ea nonnisi deliberatione votum emisit, quæ solum ad veniale, non veró ad mortale peccatum ſufficit, illius votum saltem ſub mortali non obligaret. Ut itaque votum ex toto teneat, & ſub gravi obliget, cum plena advertentia fieri debet.

3tio: Est promiſsio de meliori bono, hoc est de eo; quod omnibus spectatis est ad salutem homini magis conducens, & Deo gratius, quam ei oppositum, ſeu ipsius negatio. Quia votum debet eſse gratum Deo, cum sit actus quo ipse colitur, & debet ab ipso acceptari. At non potest Deo placere nec ab eo acceptari voluntas se obligandi, ad relinquendum id quod est melius, perfectius, & ipsi acceptabilius. Votum igitur omnino de re meliori eſse debet.

Quæres 2do: Quæ requiruntur ut votum censeatur eſse deliberate factum,

Resp: Duo potiſsimum requiruntur. *1mo:* Cognitio rei quæ vovetur, nihil enim est volitum, nisi cognitum. Unde votum factum ex errore circa ſubstantiam rei quæ vovetur, non obligat, quia error talis impedit ne res quæ vovetur fuerit cognita, ac volita. Si vero error sit tantummodo circa aliquam circumstantiam quæ notabiliter non mutat rem voto promiſsam, ut si quis voverit castitatem falso putans illam eſse ad servandum facilem, tale votum tenet & obligat. Pariter si votum factum fuerit ex errore circa causam finalem, tale votum non tenet, neque obligat, quia censetur factum ſub tacita conditione scilicet si causa finalis ſubsistat, & ſublato principali motivo volendi, res non est volita. Hinc si quis voverit jejunium pro salute Patris, quem falso putabat ægrotare, cum sanus sit, ad jejunandum non tenetur. Quodsi error sit solum circa causam impulsivam, ut si voveris dare eleemosynam

synam Petro, quia falso putas illum eſse pium, tenet votum quia cum tali errore ſubsistit & motivum, & intentio voventis circa ſubstantiam rei, quæ in voto à vovente intenditur.

2do: Ut votum censeatur eſse deliberate factum, requiritur attentio, quia votum eo modo faciendum est, quo actio humana, maxime gravis ponderis, fieri debet. Porro ut actio vere sit humana, neceſsaria est attentio, atque advertentia. Ergo ut votum, censeatur deliberate, & humano modo factum, neceſse est, ut vovens, attendat, & advertat quid agat. Quare qui extra se raptus, terrore consternatus, adeo; ut sibi minime præsens, nesciat quid agat, dum vovet: tale votum, utpote sine omni attentione, & advertentia factum, non tenet, neque obligat. Verum ut votum censeatur deliberate factum, non est opus illo prævio examine, quo motiva pro & contra facientia discutiuntur, difficultates quæ in exequendo voto occurrere poſsunt perpendantur, ſed ſufficit, ut substantia rei quæ vovetur, sciatur, & intelligatur. Hinc potest eſse votum imprudens, cum fit sine examine rei quæ vovetur proportionato, imo qui sic vovet peccat, aliquando etiam graviter, ſed votum tenet, quia scienter, & volenter, libere, ac deliberate factum est.

Quæres 3tio: Quotuplex est votum?

Resp: Votum *1mo:* duplex est, *simplex*, & *solemne*. Votum *simplex* est nuda, & sine sollemnitate Deo facta promiſsio, vg. jejunandi. Votum *sollemne* est consecratio ſui ipsius divino cultui, cum præscriptis sollemnitatibus facta, & Dei nomine ab Ecclesia acceptata. Duo autem ſunt hujus generis vota, *castitatis* scilicet in susceptione sacrorum Ordinum, & *Professionis* religiosæ in Ordine ab Ecclesia approbato.

Differunt autem hæc vota *à posteriori*, ſeu ab effectu, quia votum simplex impedit quidem Matrimonium contrahendum, non tamen dirimit jam contractum, votum verò sollemne non solum impedit contrahendum, ſed etiam contractum irritat. Differentia verò horum votorum *à priori*, recte reponitur in statuto Ecclesiæ, per quod qui cum formalitatibus ab Ecclesia præscriptis vota quædam emittit, ad certos effectus inhabliis redditur, scilicet ad valide nubendum, ad habendum rerum temporalium dominium. Atque hinc colligitur: votum simplex & sollemne natura non differre, unde ex Celestino 3. Papa. *Simplex votum apud Deum non minus obligat quam sollemne.*

ne. Gravius tamen peccat, qui sollemne votum transgreditur, quam qui simplex, unde hanc circumstantiam in confefsione aperire debet.

2do: Adhuc votum est triplex *personale, reale, & mixtum. Personale* est promifsio actionis, vel omifsionis quæ ipsum voventem afficit, tale est votum castitatis, jejunii. *Reale* est promifsio rei per se, vel per alium efficiendæ. *Mixtum* ex personali & reali coalescit, ut eundi ad pium aliquem locum, & ibi calicem offerendi.

Est quoque aliud votum *temporale* quod ad certum tempus durat, ut votum jejunandi per mensem: aliud *perpetuum* quod per totam voventis vitam durare debet. Est etiam votum *absolutum*, quod fit simpliciter, & sine adjecta conditione, & *conditionatum* quod fit fub certa quadam conditione.

3tio: Tandem votum dividitur in *morale*, & *pœnale*. Votum *morale* est illud quod spectat ad mores & emittitur ut majus habeatur incitamentum ad opus aliquod bonum, ac virtuosum. *Pœnale* est illud, quo promittitur aliquid faciendum in pænam criminis vel jam admifsi, sive admittendi, si illud admitti contingat. Votum pænale aliquando duplex est, ut cum extenditur, & ad fugiendum peccatum, & ad fubeundam pænam, si illud admittatur, vg. Voveo me non amplius inebriandum, & si contra fecero, per tres dies jejunabo: aliquando nonnisi simplex, cum ad pænam solum subeundam extenditur.

Quæres 4to: Quæ voveri pofsunt?

Resp: Votum debet efse de re pofsibili, bona, & meliori, feu de re quæ non sit boni melioris impeditiva, quia non potest Deus rei impofsibilis, aut malæ, vel quæ majus bonum impediret, promifsionem acceptare, sine quo votum stare nequit.

Quæres 5to: An valeat votum cujus materia partim pofsibilis est, partim impofsibilis?

Resp: Votum obligat quo ad partem pofsibilem, si talis sit hujus voti materia, ut dividi pofsit, & soleat. Quia vovens censetur partes illas divisim promisifse, id est: reputatur se obligafse ad id, quod facere pofset, & regula juris dicit: *Utile non debet per inutile vitiari.* Hinc qui non potest centum aureos quos vovit, pauperibus erogare, tenetur decem dare, quos potest. Puella quoque quæ virginitatem vovit, si corrupta fuerit, quamvis jam virginitatem non pofsit servare, tamen ad continentiam tenetur, quam servare valet, quia cum absolute, & sine restrictio-

ne

ne vovetur virginitas, vovetur abstinentia ab omnibus venereis. Quapropter quoties in objecto unum est per modum principalis, aliud per modum accefsorii, principale servari debet, si pofsibile remaneat, etsi accefsorium impofsibile factum sit, quia ex jure *accefsorium principale ad se trahere non debet.* Nisi tamen accefsorii impofsibilitas, principale ita reddat difficile, ut vovens illud solitarie fumptum vovere non intenderit. Sic exg: qui vovit ad quemdam pium locum longe distantem peregrinationem in equo vel curru, iis deficientibus pedester ire non tenetur.

Quod si vero partes rei, quæ vovetur, nec dividi pofsint, nec feparari soleant, si illarum altera fiat impofsibilis, nulla fuperest obligatio, quia vovens non divisim, fed collective illas partes promisifse censetur, neque intenderat se ad unam partem obligare, sine altera. Hinc qui vovit in sacco peregrinationem, si peregrinari non possit, saccum induere non tenetur: qui tali die jejunium vovit, illudque diei affixit, puta in Sancti alicujus honorem, si illa die jejunare non pofsit, die sequenti jejunare non tenetur, quia non divisim, fed conjunctim vovit & saccum portare, & peregrinari, jejunare & tali die jejunare, hæc itaque dividere non solum præter, fed et contra voventis efset voluntatem.

Quæres 6to: Si quis prioris voti immemor, aliud emiserit cum priori incompatibile, quid faciendum?

Resp: Votum quod est de re meliori servandum est, licet enim votum in melius commutare. Si vero posterius votum sit de bono æquali, adhærendum est priori, quia votum prius in aliud æquale mutari nequit. Idem dicendum si dubitetur an posterius, an vero prius votum sit de meliori bono, quia tunc standum est pro voto priori, illudque implendum.

Quæres 7mo An valeat votum de re indifferenti?

Resp: Votum de re prorsus indifferenti, exg. crines, ungues non abscindendi, barbam non radendi, tale, & huic simile de re prorsus indifferenti votum, non tenet neque obligat, & hoc verum est etiamsi res illa, quæ vovetur ad Dei cultum referatur, quia istiusmodi Dei cultus, est fuperfluus, ac proinde culpa non vacat, re siquidem prorsus indifferente velle Deum honorare, ridiculum est, & vere Deum inhonorat. Pariter qui rem ex se bonam vovet, fed illam ad finem prorsus indifferentem refert, exg. vovet quis certis diebus jejunare unice

ut

ut sumptibus parcat, hoc votum nullum est, quia quod est ex se bonum, si ad vanum referatur finem, ſuam amittit bonitatem, imo redditur malum, quia bonum agere, & non propter bonum, ac honestum finem, malum est, qui vero non bonum, ſed malum vovet, male vovet, & votum illius nullum est. Si vero res ex se indifferens, fine aliquo honesto vestiatur exg. si quis voviſset diebus Veneris, aut Sabbati à venatione abstinere, ut strictius poſsit jejunare, diutius vacare erga B. V. Mariam devotioni, valet votum, & adimpleri debet, quia res ex se indifferens propter honestum, ac vere pium finem aſsumpta, bona ac sancta est.

Quæres 8vo: Qua ratione votum debeat eſse de bono meliori?

Resp: Ea ratione votum debet eſse de bono meliori, ut opus quod vovetur, melius sit facere quam non facere, ac proinde non impediat opus præstantius atque excellentius. Hinc non tenet votum si quis Nuptias voviſset, quia Matrimonium impedit continentiam quæ melior & præstantior est. Pariter qui vovet rem aut prorsus indifferentem, ut mox dictum est, aut æqualem cum alia ejusdem speciei, non tenet votum exg. si quis voviſset hanc in uxorem ducere præ alia. Si vero voviſset hanc puellam ducere in uxorem præ alia, ad remunerandam ejus pietatem, ad pacem familiæ conciliandam, ad illam periculo lapsus ſubtrahendam, aut etiam, quia eam defloravit, ad compensandam injuriam ei illatam, valeret votum, non quidem absolute, quia melius bonum, continentiam scilicet excluderet, ſed relative, quatenus si nubere velit, votum ab ipso factum adimeret ipsi facultatem alteram in uxorem ducendi puellam, & ſub hac ratione votum ipsius, ob circumstantiam pietatis, justitiæ, eſset de bono meliori.

Cæterum vota de bono meliori eſse censentur, quoties obligant ad aliquid quod melius est ipsius opposito, licet non sit melius quocunque alio, quod fieri poſset.

Quæres 9no: Qui vovere poſsunt?

Resp: Omnis homo rationis compos vovere potest, quia votum humano modo fieri debet, voluntarie, ac deliberate, porro horum capax non est, quisquis rationis est inops. Hinc vovere nequeunt ebrii, amentes, stupidi, poſsunt vero etiam infantes adepto usu rationis, quare omnia omnino vota simplicia, etiam de amplectendo Ordine religioso, ab iis emiſsa, qui ratione utuntur, sive aliis ſubsint, sive non, de se valida sunt, quia fiunt ab iis, qui

qui id, quod vovent, saltem quoad substantiam intelligunt, ac norunt, & nullum extat jus, quo hujusmodi personæ ad istiusmodi vota inhabiles reddantur. In dubio vero an puer qui vovit, sufficientem habuerit usum rationis, videndum est, an septennium expleverit, nec ne, in priori casu tenet votum, in posteriori autem præsumendus est defectus rationis, sicque nullam esse voti obligationem, nisi aliunde constet puerum tunc usum rationis habuisse. Si vero dubium sit, an puer tunc, cum vovit, fuerit septennis, in voti favorem præsumendum est, quia de illo constat, excusatio autem dubia est, & rarissime, aut nunquam ante septennium vota emittuntur.

Verum licetsi istiusmodi vota de se valida sint, per accidens tamen contingere potest, ut sint, vel fiant nulla, prout scilicet quandoque irritantur. Hinc etiam vota sollemnia, in quacunque Religione ante completum decimum sextum ætatis annum ex Decreto Concilii Tridentini nulla sunt.

Quæres xomo: Utrum votum emissum obliget in conscientia?

Resp: Hæreticum est asserere votum non obligare. Ita S. Thomas quodlib: 3. art: 12. Certe hæret ca est opinio, quæ apertis Sacræ Scripturæ testimoniis repugnat. Porro qui assererit vota non obligare, apertissimis Sacræ Scripturæ oraculis adversaretur. Namque Eccles: Cap: 5. sic habetur: *Si quid vovisti Deo ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio* & Deut: cap: 13. *Cum votum voveris, non tardabis reddere, quia si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et vero magis obligatur homo Deo, quam homo homini, Sed homo tenetur in conscientia promi sionem alteri homini factam adimplere, à fortiori ergo promissionem Deo factam exequi debet.

Porro votum graviter obligat in materia gravi, leviter in materia levi. Votum namque habet se per modum legis, sicut ergo lex in materia gravi, obligat graviter, in materia levi non nisi leviter, ita & votum. Jam vero votum in materia gravi, graviter, & sub peccato mortali obligare indubitatum est, quia Apostolus damnationi obnoxias dicit esse viduas, *quia primam fidem irritam fecerunt:* unde S. Augustinus Epist: 127. inquit: *Quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed à magna iniquitate deterreo.*

Jlla vero in votis censetur materia gravis, quæ per

se,

se, vel ex circumstantiis ad honorem Dei, vel voventis spiritualem utilitatem, notabiliter conducit, quæque si ab Ecclesia præciperetur, obligaret ſub mortali. Hinc qui vovit una die jejunare, semel peccata ſua confiteri, Miſsam audire, si hæc non adimpleverit, peccat mortaliter. Non peccat vero, nisi venialiter qui omittit: *Pater & Ave*: quæ ſemel recitanda voverat, qui singulis diebus unum aſsem pauperibus erogare debet, & semel, aut iterum hoc facere prætermittit, secus si toties omitteret, ut inde coalesceret gravioris materiæ omiſsio.

Verum etiam in materia gravi, potest votum nonnisi ſub levi obligare, si nempe vovens ſub levi tantum culpa voluerit se ad id obligare quod vovit, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Ergo qui non vult se obligare ſub gravi etiamsi materia sit gravis, non tenetur nisi ſub levi. Sed sive velis, sive nolis, graviter obligant vota quæ emittuntur in aliquo Ordine Religioso, quia vota hæc obligationem utrinque onerosam pariunt, videlicet in profitente qui se Ordini, & in Ordine qui se profitenti obligat. Cumque Ordo se graviter obliget profitenti, & profitens Ordini graviter obligatus manet.

Quæres xxmo: *Utrum votum ex gravi metu emissum obliget?*

Resp: Votum emiſsum ex gravi metu ad idem extorquendum injuste incuſso, non obligat, quia tale votum Ecclesia reprobat, ut patet ex toto juris titulo de his quæ vi. Cap: 1, & 2. Quare si puella emiserit votum ingrediendi Religionem, ob metum Patris, mortem, & alia mala minitantis, votum ejus non tenet. Verum hoc ex jure tantum positivo, quod tale votum irritat, non ex natura rei, nam metus injuste incuſsus aliquando non est tam gravis, ac proinde minus libertati nocet, quam metus juste incuſsus aut ex naturali causa proveniens, et is tamen nec votum irritat, nec illius obligationem tollit.

Quodsi metus sit levis etiam injuste incuſsus, & ex eo fiat votum, illud valet, quia talis metus nec ex natura rei, nec ex jure irritum reddit votum. Imo si etiam gravis metus incutiatur ſed juste, ut si Judex mulierem adulteram adigat ad vovendum, si mortem declinare velit, quia non tam ei metus incutitur ut voveat, quam ei ostenditur pér votum evadendi ſupplicii via. Præterea si metus injuste quidem incutiatur, ſed non ad extorquendum votum, votum etiam tunc ex metu emiſsum tenet vg. si metu mortis tibi à latronibus inferendæ voveas

Reli-

Religionem ingredi, ad id obligaris, quia nemo te ad vovendum compellebat.

Quæres 12mo: Quid sentiendum sit de voto dubio, utrum adimpleri debeat?

Resp: Votum de quo legitime dubitatur, an emiſsum fuerit, impleri debet. Quia in dubiis tutior pars est eligenda, cum *nullum* occurrit fundamentum, neque gravis ratio, vi cujus contrarium *eligi* prudenter poſsit. Porrò cum agitur de voto, utrum emiſsum *fuerit*, pars tutior est illud adimplere, aliunde vero nulla adest gravis ratio, vi cujus prudenter statui poſsit, illud non fuiſse emiſsum. Ergo adimpleri debet. Hinc S. Antoninus 2. part: tit: 11. cap: 2. ait: *Existens in dubio, an transgrediatur votum, & per consequens peccet mortaliter, tenetur se ponere in tuto; ut scilicet votum non transgrediatur.*

Verum qui de emiſsione voti dubitat, si post diligens examen, nulla ei appareat probabilis conjectura, quod votum illud fecerit, maxime cum ex diuturna experientia illi compertum est, se illarum rerum non oblivisci, quas maturæ sibi facienda proposuit, non tenetur votum adimplere. Quia & prudenter istiusmodi dubium excutere potest, & voti obligatio, quæ voluntarie suscipitur, sine rationabili fundamento, ac proinde irrationabiliter stringere non potest, nec debet.

Pariter qui certus se votum emisiſse, prudenter dubitat utrum illud adimpleverit, eidem satisfacere tenetur, quia debito certo, non satisfit, nisi per solutionem certam. Qui etiam de substantia voti certus, sed dubius manet de qualitate, aut quantitate rei, quam voverat, votum strictius interpretari debet. Tandem qui dubitat an satis deliberate voverit, votum adimplere debet, modo non voverit ante septennium, quia tunc defectus rationis, & deliberationis, ex communiter contingentibus, præsumitur, nisi aliunde contrarium constet.

Quæres 13tio: Quæ regulæ præscribuntur circa vota sub conditione factá?

Resp: Circa vota sub conditione facta, sequentes regulæ statuuntur.

1ma: Votum sub conditione de præterito, vel præsenti emiſsum, statim vel obligat, si conditio posita est, vel non obligat, ac prorsus ruit, si conditio posita non est. Nihil enim tunc occurrit, quod voti obligationem suspendat. Idem dicendum est de voto emiſso sub conditione de futuro, sed neceſsario futuro exg: cum quis

castitatem vovet si cras sol oriatur, tale siquidem votum statim incipit obligare. Aliud est cum particula conditionalis *si*, æquivalet particulæ *quando*, qua tempus determinatur quo votum obligare debeat. *exg.* cum filius Religionem ingredi vovet, si Pater ejus moriatur, censetur enim ingreſsum Religionis vovere postquam Pater ipsius obierit.

2da: Votum sub conditione de futuro contingenti emiſsum, non obligat, nisi posita eadem conditione, quia ea est hujus conditionis natura, ut illius vim atquê effectum suspendat, cui adiungitur. Conditio autem de futuro, quæ voto adiicitur, debet impleri ſecundum se totam. Unde qui eleemosynam vovit, si frater ipsius sanus ex itinere redierit, non tenetur voto, etsi frater ex itinere reversus fuerit, sed infirmus. Si tamen conditio sanitatis non includeretur in primo emiſsi voti actu, sed deinceps, uno etiam post instanti adjecta, deberet votum impleri, quia promiſsioni iam factæ, conditiones addere non licet.

Qui autem vovit sub futura conditione, quam adimpletam nesciebat, exg: vovit quis aureos decem pauperibus erogare si Pater ejus Vienna incolumis redierit, & ille iam sospes reversus est, tale votum non obligat, quia tota illius ratio, ac unicum ipsius motivum, scilicet ut Deus incolumem Patrem reduceret, non subsistit, ergo & ipsum votum non stat. Sed qui aliquid vovit sub conditione, quæ quidem non in se, sed in æquivalenti adimpleta est, ad votum obligatur exg: Petrus vovit ingredi Religionem si Soror ejus, cujus curam gerit decenter nubat, & illa moritur, Religionem ingredi debet, quia Religionem ingredi vovit, si Soror ope & cura illius non indiguerit, hæc fuit conditio voto adiecta, porrò ea quod mortua est, jam cura, & ope illius non eget, ac propterea conditio adimpleta est, ergo Religionem ingredi tenetur.

3tia: Votum emiſsum sub conditione mala, & peccaminosa non tenet. exg: cum quis vovet eleemosynam si de inimico vindictam sumpserit, si ex duello sanus reversus fuerit, istiusmodi vota obligare nequeunt, quia impia sunt. Per hæc namquè vota intenditur Dei adjutorium ad patrandum crimen obtineri, & res quæ vovetur aſsumitur ut medium ad crimen prospere perpetrandum, quod impiiſsimum est. Pariter si quis voto apponeret conditionem de impoſsibili, nullum est votum, & qui

tale

tale votum faceret, jocari potius censeretur, quam serio vovere.

4ta: Cum votum fit sub conditione de futuro, quæ ab alterius pendet voluntate, tunc *1mo*: expectandus est conditionis eventus, quare qui vovifset ingredi Religionem, si in id Pater consentiat, nec tenetur Religionem ingredi antequam Pater consentiat, nec potest uxorem ducere antequam difsentiat, exquirenda ergo, & expectanda Patris voluntas. *2do*: sed nequè dolo, nequè ulla arte impediendum quominus conditio impleatur. Si enim conditionis, quæ ab alterius pendet voluntate, eventus expectandus est, magis non est impediendus.

5ta: Qui vovit sub conditione, quæ ab ipso dependet, hanc si ipse impediat, & graviter peccat, & ad implendum votum tenetur: exg: qui aliquid vovit, sub conditione si sanitatem recuperaverit, & ne illam recuperet de industria noxiis utitur alimentis, aut qui vovit ingredi Religionem, si litteras didicerit, & consulto nullam adhibet diligentiam ad literas addiscendas, ii ergo & graviter peccant quia impediunt ne conditio voto annexa ponatur, & voto ligari non desinunt, quia qui aliquid vovet sub conditione, quæ ab ipso dependet, eo ipso etiam vovere censetur illud, quod necefsarium est, ut conditio impleatur, qui verò hoc non solum non curat, sed & impedit, voti transgrefsor est.

Quæres 14to: Quando votum adimpleri debet?

Resp: 1mo: Si vovens nullum sibi præfixerat tempus, quo votum implere debeat, illud implere tenetur quam primum id facere potest, quia sicut promifsio alteri facta, & ab eo acceptata, cui nullum præfixum est tempus, statim ac facta est, ab acceptante exigi potest, ita etiam statim à promittente adimpleri debet, quare omnis mora & retardatio culpabilis est, quæ rationabili causa non cohonestatur. In hac tamen mora occurrere potest temporis brevitas, quæ à mortali excusat, imo nec leve erit peccatum, si mora adeo levis sit, ut pro nihilo merito reputari debeat.

2do: Si tempus certum ad implendum votum præfixum sit, præscripto tempore adimpleri debet. Quia tempus illud votum ingreditur, & ab illo comprehenditur, ergo ut totum adimpleatur, præfixo tempore adimpleri debet. Hinc qui vovit jejunium die Sabbati, eo modo peccat mortaliter si non jejunet, quomodo peccaret si die ab Ecclesia ad jejunandum constituto non jejunaret;

 neque

nequè potest illud jejunium quod die Sabbati persolvendum voverat, in aliam diem transferre.

Quæres 15to: Potestne tempus voto præfixum præveniri?

Resp: Si tempus præfixum fuit ut voti adimpletio non ultra protrahatur, potest tempus præveniri, nam votum etiam ante illud tempus obligat, & statim ac factum est, cepit obligare. Imo si prævideatur, præfixo tempore votum impleri non poſse, neceſsario illud tempus præveniendum est; quia tale votum à momento quo emiſsum fuit, obligat pro toto illo tempore, & singulis ejus partibus disjunctive sumptis, quare etiam qui prævidet tempore Paschali impeditum fore, ante illud peccata confiteri, & Sacra Synaxi refici debet. Quodsi ultra sic præfixum tempus voti adimpletionem distulerit, debet postea, quam primum fieri poterit, illud adimplere, quia & debitor cui ad solvendum præfixus est terminus, si in illo termino non solverit, non fit à solutione liber, sed post terminum quam primum solvere obligatur.

Si autem res voto promiſsa affixa sit certo tempori, ob specialem aliquam circumstantiam exg: huic diei, ob festivitatem alicujus Sancti, tempus præveniri non potest, quia votum tale habet pro obiecto tale tempus, prout ab alio quovis tempore distingvitur, quare qui prævidet se non poſse votum adimplere tempore sic determinato, nequè illud prævenire tenetur, nequè cum eo tempore votum non impleverit, alio tempore illud implere obligatur, ea ratione sicut qui die festo non interfuit Sacro, non tenetur eidem, die sequenti intereſse. Idem quoquè dicendum est, si voto tempus diesquè affigatur, ut ad hoc usquè tempus, ad hanc usquè diem voti obligatio, & ejus executio differatur, nam & in tali casu nequè prævenire determinatum tempus quispiam tenetur, nequè si statuto tempore votum non fuerit impletum, alio posteriori tempore illud implere debet, quia in tali casu votum est de re prout tali tempore facienda.

Quæres 16to: Per quos, facta vota adimpleri debent?

Resp: Votum personale ab ipso vovente impleri debet, quia est propria voventis actio, vg. Oratio, jejunium, quare hæredes, & succeſsores non tenentur de voto personali illius, cui succedunt, nisi ipsius voto consenserint, illudquè acceptaverint, aut ea conditione ab aliquo hæredes, ac ſucceſsores constituantur, ut votum ipsius impleant. Tandem si votum emiſsum, tale sit, ut à posteris illius,

illius, qui ipsum emisit, ex recepto usu continuari debeat, exg: votum à Civitate, vel Parochia factum.

Votum verò reale per alium impleri potest, quia votum reale non requirit actionem voventis, sed rem ipsius, hæc autem per alium etiam dari, & fieri potest, exg: per alium eleemosynam dare, Ecclesiam ædificare potest. Non solum autem votum reale per alium impleri potest, qui è tuis, sed etiam qui è suis rebus voto tuo satisfacere intendit, sicut enim si quis sine voto, *vg:* ex justitia calicem Ecclesiæ debeat, nihil debebit, si alius pro ipso calicem donaverit, sic etiam qui illum ex voto debet, nihil jam debebit cum alter pro eo ipsum Ecclesiæ tradiderit. Unde hæredes ac succefsores vota realia ab iis, quibus succedunt facta, adimplere tenentur, quia qui succedit in bona, succedit etiam in onera.

Ex his verò facile est inferre, vota quæ mixta sunt, ex personali scilicet & reali coalescunt, quatenus personalia sunt, per alium impleri non pofse, quatenus verò realia sunt, pofsunt per alium adimpleri.

Quæres 17mo: Quomodo vota interpretari debeant?

Resp: 1mo: Votum interpretandum est juxta intentionem voventis quam habuit, quia votum est quasi lex privata, quæ non obligat ultra intentionem & voluntatem ipsam sibi imponentis.

2do: Si clara, & aperta non sit intentio voventis, votum interpretandum est, secundum communem intelligentiam verborum, quibus exprefsum fuit votum, quilibet enim, si vim lingvæ intelligit, præsumitur juxta communem usum loqui.

3tio: Votum stricte interpretandum est, unde qui vovit eleemosynam, implet votum etiam modicam dando, qui vovit jejunare aliquot diebus, implet votum duobus diebus jejunando.

4to: Votum eo modo impleri debet, quo lex Divina, vel Ecclesiastica implenda est, unde qui vovit aliquas præces recitare, Mifsæ Sacrificium audire, si præces recitet sine attentione, Mifsam audiat sine devotione, non satisfacit voto.

ARTICULUS 3tius

De voti irritatione, commutatione, ac dispensatione.

Quæres 1mo. Quot modis tollitur obligatio voti?

 Resp:

Resp: Variis modis tollitur obligatio voti, scilicet: materiæ immutatione, commutatione ac irritatione voti, denique dispensatione ipsius.

Quæres 2do: Quando tollitur voti obligatio, materiæ immutatione?

Resp: Toties, & tunc dumtaxat cefsat voti obligatio, cum rei quæ vovetur, tanta supervenit mutatio, ut eam constituat in statu moraliter diverso, ut ea res ab illa, quæ voto promifsa est, moraliter diversa efse videatur, seu ratione difficultatis in illa exequenda, seu ob alias circumstantias. Unde votum jam non obligat cum impleri non potest, sine periculo vitæ, honoris, aut alterius gravis detrimenti. Idemquè erit, quoties res voto promifsa, judicatur moraliter mutata fuifse, vel ex communi hominum consensu, vel ex consvetudine, vel cum tanta, & talis est ea, quæ supervenit mutatio, ut si illa, eiquè similis in humanis legibus contingat, ipsa non obligaret. Hinc si is cui eleemosyna voto promifsa est, ex egeno fiat locuples, jam votum non obligat, quisquis enim eleemosynam vovet, vovet pauperis sublevationem, & ille cui voto eleemosynam promisisti, jam pauper non est. Pariter si ille qui eleemosynam vovit, repentino casu ex Divite factus pauper, Physice vel moraliter fieret impar erogandæ eleemosynæ, quam solebat erogare, ad illam erogandam non tenetur.

Quodsi dubium efset an rei, quæ voto promifsa est, tanta sit mutatio, ut voti obligationem perimat, votum adimpleri debet, quia dubia excusatio obligationem certam extingvere non potest. Sed & istud hic animadvertendum est, cum votum non adimpletur ideo, quia res voto promifsa notabiliter immutata est, si ea post ad pristinum statum redeat, votum adimpleri debet, quia illius obligatio, non est pro semper extincta, sed pro tempore suspensa.

Quæres 3tio: An vovens ipse votum suum commutare potest in quid aliud?

Resp: Votum propria voventis voluntate potest mutari in quid evidenter melius. Sed illud melius non debet efse aliunde præceptum, alias omnia pene vota eluderentur: & melius non illud dicitur, quod est dignius, sed quod inspectis personæ, temporis, & loci circumstantiis, magis ad salutem congruit voventi. Jam verò in quid æquale sola voventis authoritate votum commutari nequit, seu ad id Superioris authoritas est necefsaria, quia facile con-

contingit ut homo in propria causa decipiatur, & id æquale putet, quod minus est, ergo ad Ecclesiæ judicium recurrendum est.

Quœres 4to: Qui poſsunt vota commutare?

Resp: Vota commutare poſsunt ii omnes, qui potestatem habent in votis dispensandi, sive ordinariam, sive delegatam, quia ex Regula juris 53 in 6to: *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.* Porrò plus est per dispensationem à voto solvere, quam illud in aliud quodpiam opus bonum commutare.

Ad commutationem autem voti faciendam requiruntur causæ, & sequentes eſse poſsunt. 1mo: Notabilis molestia, & difficultas in executione voti. 2do: Levitas, & perturbatio ex qua emiſsum est votum. 3tio. Fragilitas voventis, qui votum violabit, nisi commutetur, 4to: Juxta plures sufficit major devotio ad aliud æquale præstandum, quia quod æquale est, & cum majori pietate fiet, Deo acceptius eſse videtur. Sine causa vero facta commutatio, nulla, & irrita est. Cui verò votum commutatum est, ei liberum est, ad prius redire, quia commutatio est quidam favor voventi præstitus, cui ipse renuntiare potest, nam ex regula Juris 61. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Si tamen commutatio in quid melius facta sit, & à vovente acceptata, non licebit illi ad prius votum redire, quia acceptatio hæc novum virtualiter est votum, quo melius quidpiam Deo promittitur. Unde etiam cum votum in quid melius commutatum est, & illud deinceps impoſsibile fiat, non tenetur vovens ad prius redire, quia prius votum absolute desiit. Si vero commutatio voti facta sit in quid æquale, & reddatur impoſsibile, tum vel alia petenda est commutatio, vel ad prius votum est revertendum, quia prius votum absolute non ceſsavit, unde etiam propria authoritate vovens, post commutationem ad illud redire potest, ergo & redire tenetur, si res in quam commutatum est votum, fiat impoſsibilis.

Quœres 5to: Quid observare debet Confeſsarius, qui votum aliquod commutat?

Resp: Debet attendere, ut quantum moraliter fieri potest commutatio fiat in quid æquale. Hæc tamen æqualitas in eo consistit, ut pensatis omnibus personæ, operis, loci, temporis circumstantiis, id, in quod commutandum est votum, nec Deo minus acceptum, nec voventi minus utile sit. Si commutatio fiat Jubilæi tempore, attendere debet

debet Confessarius verba Bullæ, unde si in illa concedatur facultas commutandi vota in eleemosynas, non poterit in aliud opus pium commutare. Facultas autem commutandi vota quæ per Bullam Jubilæi conceditur, extenditur ad vota etiam post Jubilæi concessionem, vel ipso Jubilæi tempore emissa. Quin etiam Confessarius qui stante Jubilæo pænitentis sui vota ad perpendendum apud se retinuit, recogitans an, & quo pacto illa commutare debeat, finito etiam Jubilæo commutare potest, quia causa quæ tempore Jubilæi inchoata est, eo finito finiri debet. Si verò causa commutationis voti, tempore Jubilæi nullatenus inchoata fuerit, finito Jubilæo, nequit commutari.

Quæres 6to: Quid sit dispensatio voti, & qui dispensandi potestatem habere censentur?

Resp: Dispensatio voti, *est illius condonatio, seu relaxatio Dei nomine facta ab eo qui Ecclesiasticam habet jurisdictionem.*

Ecclesiam habere potestatem dispensandi in votis, indubitatum est, & id ex perpetuo usu manifestissimum est. Hæc autem dispensandi potestas competit *1mo:* Romano Pontifici, quia semper Romani Pontifices in votis quibuslibet dispensarunt. *2do:* Episcopis, & iis, qui Episcopali gaudent jurisdictione, quales sunt, Vicarius Episcopi Generalis, Abbates Religiosorum, Generales illorum.

In omnibus quidem votis Episcopi dispensare possunt cum suis Diæcesanis, non verò cum peregrinis, qui extra propriam Diæcesim commorantur, ex urgente tamen causa, & spirituali necessitate exigente, ut si præsens foret occasio peccati, votum Peregrini suspendere potest, donec ille ad proprium Episcopum pro dispensatione recurrat.

Non possunt autem Episcopi dispensare in iis votis, quæ Sedi Apostolicæ reservata sunt, hæc verò quinque sunt. Castitatis perpetuæ, ingressus in Religionem ab Ecclesia approbatam, tandem peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellam, & in Terram Sanctam, seu Hierosolymam. Sed circa hanc reservationem notandum est, votum castitatis non esse Papæ reservatum, nisi sit perpetuum, certum & absolutum, abstinendi ab omni re venerea, tam licita quæ conceditur in matrimonio, quam illicita. Quia enim reservatio est odiosa, & communi Episcoporum juri contraria, stricte proinde intelligi debet, unde non debet extendi nisi ad vota, quæ perpetua sunt, certa, & absoluta. Hinc non est Papæ reservatum votum castitatis ad tempus solum

emissum

emissum, neque votum non nubendi, aut sacros Ordines suscipiendi, quia hæc vota reipsa discrepant à voto perpetuæ castitatis, nisi qui hæc facit vota, intendat omnimodam in perpetuum servare castitatem. *2do:* Si votum reservatum exg. perpetuæ castitatis, semel commutatum fuerit in aliud quidpiam, quod non est Papæ reservatum, veluti in jejunium, jam illud & dispensari, & commutari potest ab Episcopo, & a quolibet alio, qui in votis Papæ non reservatis potestatem habet. Quia votum exg. perpetuæ castitatis, aut ingrediendi religionem, ratione materiæ castitatis scilicet perpetuæ, ingressus in Religionem, Papæ fuit reservatum. Ergo cum hæc materia sublata sit, sublata est & reservatio.

Verum & votum perpetuæ castitatis multis in casibus ab Episcopo relaxari potest, & quidem *1mo:* cum ad Papam recurri non potest nisi difficillime, sive quia aut bellum, aut locorum distantia impediunt, ne Sedes Apostolica adiri possit, sive in mora magnum imminet incontinentiæ periculum, aut gravis scandali, vel damni tertiæ personæ obvenientis. Quia ex recepto axiomate *Casus Papalis, superveniente impedimento fit Episcopalis. 2do:* Cum votum est conditionale, & nondum impleta est conditio, vel impositum in pœnam alicujus culpæ, sive facti, quæ necdum commissa sunt. Quia votum, non reservatur Papæ nisi cum perfectum & absolutum est, votum vero quod pendet à conditione nondum impleta nondum perfectum, nec absolutum est. Ergo non est Papæ reservatum *3tio:* neque etiam Papæ reservatum est Votum ex dolo, metu etiam levi injuste incusso proveniens, item nec illud, quod emissum est cum advertentia, & deliberatione semiplena, & imperfecta, vel cum dubium est, an quis voverit satis advertenter & deliberate. Uno verbo nullum est reservatum Papæ votum, de quo legitime dubitatur utrum eidem reipsa reservatum sit.

Quæres 7mo: Utrum ad dispensandum in voto requiratur justa causa?

Resp: Ad dispensationem in voto, requiritur causa justa ac legitima, quia dispensatio voti est relaxatio promissionis ipsi Deo factæ, quæ proinde ut valida sit debet à Deo acceptari, non acceptatur vero à Deo, si fiat absque rationabili causa. Hæc ergo dum quis á voto dispensatur, omnino adesse debet. Hinc dispensans in voto sine justa causa, mortaliter peccat, quia in re gravi ad Religionem pertinente arrogat sibi potestatem, quam non habet

habet, violat etiam fidelitatem ex officio, & munere debitam, quia constitutus est in ædificationem Ecclesiæ, non in destructionem, pro libitu ſuo concredita sibi abutens potestate.

Porro justæ causæ ad dispensandum in votis istæ recensentur. Honor Dei, utilitas Ecclesiæ, commune bonum, spiritualis utilitas voventis, periculum morale sæpe ex fragilitate violandi votum, levitas, & præcipitatio mentis ex qua factum est votum, gravis difficultas superveniens executioni voti, aliaque id genus, quæ generatim revocari poſsunt, ad pietatem spiritualem, utilitatem, & neceſsitatem. Verum ex his aliquæ causæ solum videntur ſufficere ad votum commutandum, nam longe gravior requiritur causa ad dispensandum, quam ad commutandum, & raro utendum est pura dispensatione, ſed semper admiscenda est aliqua commutatio.

Votum autem castitatis quintuplici de causa dispensari potest. *1mo:* Cum per matrimonium sedandæ sunt lites, quæ familias dividunt. *2do:* Cum alioqui conservari nequit illustris familia, cujus tamen integritas Reipublicæ splendori, & bono plurimum profutura est. *3tio:* Cum votum potest eſse voventi gravis, & periculosa occasio ruinæ spiritualis sive ab intrinseco, ut cum vovens longa experientia cognoverit vix fieri poſse, ut contineat, sive ab extrinseco, ut si puella, quæ vovit, sit pauper, & decora, vel orbata parentibus, qui eidem invigilent. *4to* Si puella patre orbata, matrem ætate provectam nutrire nequit, nisi nubat ei, qui ipsi alimenta præstet: *5to:* Si votum ex metu, aut ex fervore alicujus paſsionis emiſsum fuerit.

Quod spectat votum ingrediendi Religionem, ut ab illo dispensatio concedatur, præter causas, quæ mox allatæ ſunt, duæ adhuc afferri solent. *1ma* Notabilis difficultas exequendi votum, ut si quis propter morbum, quo extenuatus est, vel quia voti executionem multis annis distulit, & merito dubitat utrum jam habeat vires pares ad religionis onera perferenda. *2da* Dubium, an voti materia non evaserit vel mala, vel majoris boni impeditiva, vel saltem inutilis, ut si dubium sit an Ordo tutus sit saluti voventis, quia in eum irrepserunt errores, & scandala.

Quæres 8vo: Utrum etiam irritatione tollatur voti obligatio?

Resp: Irritatio voti *est ejusdem annulatio facta ab eo*

qui

qui potestatem habet in illum, qui vovit. Irritatio duplex est, alia *directa*, ſeu propria, alia *indirecta* & inpropria. *Irritatio directa*, est annulatio voti facta ab eo, qui habet dominativam potestatem sive in ipsam voventis personam, ut habet pater in personam filii, sive in rem voto ſubjectam, ut habet Superior Religiosus in bona Monasterii, quæ Religiosus pauperibus eraganda vovit. *Irritatio indirecta* non tam est annulatio, quam ſuspensio voti facta ab eo, qui in alium aliquam potestatem habet vi cujus vovens non potest implere emiſsum votum, sine alterius consensu. Duo autem sunt præcipua inter utramque irritationis speciem discrimina. *Primum*, quod irritatio directa votum omnino perimat, ita ut etiam de consensu irritantis non reviviscat, nisi à vovente renovetur, indirecta verò solum suspendit votum, licet per accidens fieri poſsit, ut suspensio hæc diu, imo per totam voventis vitam perduret, *Secundum* quod irritatio directa, utpote quæ dominativam potestatem requirat, non competit nisi ad ſummum Patribus in filios, Superioribus in Religiosos, Maritis in suas uxores, at verò irritatio indirecta, competit iis omnibus, qui in alios potestatem jurisdictionis habent sive spiritualis, sive temporalis, ſed & iis, qui licet nullam habeant proprie dictam jurisdictionem, habent tamen jus imperandi.

Certum ergo est, irritatione tolli & ſuspendi obligationem voti. Enimvero Pater omnia prorsus filiorum filiarumque impuberum vota, etiam tempore pubertatis adimplenda, potest directe irritare. Quia Ecclesia votis impuberum, propter illorum judicii imbecillitatem hanc tacitam apposuit conditionem; *nisi pater, aut tutor contradixerit*: ut patet ex Cap: *Puella* 20. quæst: 2. Et certe maxime expedit ut filius, aut filia non voveat nisi de consensu patris, in illa ætate, in qua ob imbecillitatem rationis, non satis cognoscit voti obligationem, ac proinde ut ejus vota ex patris arbitrio rescindi poſsint. Idem cum patre possunt, illi, qui gerunt vices patris ut Avus, si pater deceſserit, aut longe distet. Tutor, qui in locum patris succedit, atque horum defectu mater, quia ad ipsam pertinet cura, ut si non est alius, impuberum imbecillitati consulat.

Sed an Pater poſsit irritare vota filiorum, filiarumque facta in impubertate, postquam jam pervenerint ad pubertatem, dubium est, unde consultius erit, si paternæ irritationi, Ecclesiastica adjungatur dispensatio.

Certum

Certum vero est, quodsi impuberes ſua in impubertate facta vota, scientes illa non fuiſse firma, adepta pubertate ratificaverint, non poſse à Patre irritari, nam hæc ratificatio est nova voti emiſsio.

Quæres 9no. Vota puberum poſsuntné Parentes irritare?

Resp: Parentes non poſsunt irritare vota personalia puberum etiam ſub paterna potestate existentium, nisi paternæ prejudicent potestati, vel domus impediant regimen. Quia post pubertatem adeptam quilibet præsumitur, eam quæ ad vovendum neceſsaria est, habere discretionem, adeoque ex parte personæ nulla potest adeſse irritationis causa, ſed solum ex parte materiæ quæ vovetur, unde si illius observatio aut paternæ præjudicet potestati, aut domesticum perturbet regimen, illius votum irritari potest, ſed indirecte solum, ac proinde observatio hujuscemodi voti ſuspenditur tantummodo non penitus tollitur. Hinc Pater irritare non potest emiſsum a filio pubere castitatis votum, aut moderati jejunii, bene verò vota realia filii, qui necdum emancipatus est, ut eſsent vota de danda ex paternis bonis eleemosyna. Sed & personalia quæ paternæ potestati præjudicium inferrent irritare valet, ut votum longæ peregrinationis, aut jejunii quod cum familiæ uſu non congruerit, aut filium laboribus patri debitis imparem faceret. Vota vero filii puberis, pie disponendi de iis bonis quæ quoad dominium tum directum, tum utile ad filium pertinent, neutiquam à Parentibus irritari poſsunt.

Hic unum addendum est, nimirum si filius emiserit votum, quod solum intendit exequi cum erit ſui juris, tale votum, siquidem emiſsum fuerit à filio impubere, pater irritare potest, modo nec à patre post adeptam à filio pubertatem, nec ab ipso filio confirmatum fuerit, si vero istiusmodi votum emiſsum fuerit à filio pubere, probabilius est illud à patre irritari non poſse. Quia votum sic emiſſum, non nocet paternæ potestati, neque ullatenus illam lædit, irritari ergo nequit.

Quæres 10mo: Utrum Religiosorum vota ab illorum Superioribus irritari poſsint.

Resp: Omnia prorsus Religiosorum vota, iis exceptis quæ ex instituto Religionis fiunt, ab eorum Superioribus directe irritari poſsunt, si sint, ut eſse solent in materia Superioribus ſubjecta. Quia Religiosus se Superiori quoad velle, & nolle integre ſubjecit. Ergo dum aliquid vovet, non vovet nisi sub hac conditione, *si Superior non* con-

contradicat. Igitur cum Superior contradicit, votum non tenet.

Etsi vero non poſsit Superior Religiosus vota Novitii irritare, quia si adhuc totaliter non est ſubjectus, neque plene obligatus, potest tamen ea suspendere vota, quæ Novitiatus exercitiis repugnarent, aut Novitium nimium gravarent.

Quœres xxmo: Petestne unus conjugum alterius vota irritare?

Resp: xmo: Neuter conjux potest alterius vota irritare, quæ non sunt in ipsius, aut familiæ præjudicium, quia id nullo jure ipsis conceſsum est, nullaque rationabilis id postulat causa. Hinc neuter conjugum impedire potest quin alter voveat castitatem post mortem alterius servandam, eleemosynas de bonis propriis dandas, & alia similia quia hæc neque in præjudicium alterius conjugis, neque in detrimentum familiæ cedunt.

2*do*: Potest maritus uxoris, & uxor mariti vota quæ sibi, vel familiæ bono præjudicant indirecte irritare exg. votum de servanda omnimoda castitate, & alia similia. Quia tamen maritus caput est mulieris, plura ipse potest, quam ipsius uxor.

Hinc sequitur quod neuter conjux poſsit absque consensu compartis omnimodam vovere castitatem, vi cujus nequidem debitum reddat, quod invicta ratione sic probat S. Thomas in 4 dist: 32. art. 4. *De illis tantum bonis potest eſse votum, quæ nostræ subjacent voluntati. qualia non sunt ea, in quibus unus alteri tenetur, unde cum conjuges sibi invicem teneantur in ratione debiti, per quod continentia impeditur, non potest unus absque consensu alterius continentiam vovere, & si voverit peccat, nec debet servare votum, sed agere pœnitentiam de male voto facto.*

Sed emiſsum ab alterutro conjugum votum de non petendo debito conjugali validum est, quia quilibet juri ſuo libere renuntiare potest, neque illud ab altera parte irritari potest.

Neuter siquidem conjugum potest compartis suæ irritare votum, nisi hoc præjudicet juri suo. Porro neuter conjugum jus habet, ut ab ipso debitum conjugale exigatur, ſed tantum ut ipsi reddatur, si petat. Votum ergo ab uno conjugum emiſsum de non petendo debito conjugali, quia non præjudicat juri alteri conjugis, ab eo irritari nequit. Unde etiam si unus conjugum cum consen-

su

su alterius emiserit votum de non petendo debito, neque illud votum potest irritari, neque debitum conjugale a parte, quæ vovit peti, vel reddi valet.

Quæres 12mo: An ad voti irritationem requiritur causa justa?

Resp: Qui vota irritare poſsunt, illa ipsi valide irritant, etiamsi id faciant sine justa causa; quia jure ſuo utuntur, ut verò valide jure suo utantur non omnino requiritur justa causa, peccant tamen, quia potestate sua abutuntur contra bonum proximi sui.

ARTICULUS 4tus

De Juramento, ejusque obligatione.

Quæres 1mo: Quid sit, & quotuplex juramentum?

Resp: Juramentum *est invocatio Dei in testem eorum quæ aſseruntur, aut promittuntur*, quia qui jurat, Deum rogat ut infallibili ſuo testimonio confirmet dicta, vel promiſsa ipsius, quare ad juramentum neceſse est, ut jurans non solum proferat verba quibus Deus in testem adducitur, sed illa proferat ex animo & motivo Deum in testem invocandi. Unde quædam loquendi formulæ, juramentum diserte continent, quædam dubiæ sunt, & pro intentione loquentis, aut continent, vel non continent juramentum. Juramentum diſserte continent istæ formulæ. *Deum testem invoco. Deus adjuvet.* Dubiæ ſunt ſequentes. *Coram Deo loquor. Deus videt conscientiam meam.* Quæ si enuntiative proferantur, juramentum non erunt, secus si invocative dicuntur. Istæ vero, *certiſsime, sine dubio, vere, in veritate*, non censentur eſse juramenta. Juramentum 1mo: duplex est *aſsertorium* scilicet & *promiſsorium*. *Aſsertorium* illud est, quo interposita Dei authoritate aſserimus aliquid ita eſse, aut fuiſse *Promiſsorium* est illud, quo confirmamus id, quod pollicemur, unde juramentum hoc, necessario respicit tempus futurum. Sub promiſsorio continetur comminatorium, quo pænam alicui minamur, & infligendam statuimus

2do: Juramentum aliud est *simplex*, quod fit per simplicem Dei invocationem, verbis, signisque æqui valentibus expreſsum; aliud sollemne, quod fit peculiari ritu, aut ceremoniis secundum legem, aut consvetudinem verbis

bis addito. Tale est juramentum quod fit tactis Evangeliis, Cruce, aut coram Notario, testibus.

3tio: Juramentum adhuc duplex est, *execratorium & contestatorium. Execratorium* est illud quo Deus non in testem solum, sed & in puntorem invocatur sibi, aut fieri malum quodpiam impræcande exg. *Testem invoco Deum in animam meam, Morte me afficiat Deus, si non verum dico. Contestatorium,* quo simpliciter Deus in testem invocatur, nihil mali sibi, aut alteri exoptando exg. Testis est mihi Deus.

4to: Tandem juramentum est aliud *absolutum,* aliud *conditionale, sincerum, apertum dolosum,* ambiguum & fraudulentum.

Quæres 2do: Utrum licitum sit jurare?

Resp: Jurare licitum est, si id debito modo fiat, quia ipse Deus juravit, quemadmodum Regius Psaltes testatur Psalmo 109. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Unde Paulus ad Hebr: Cap: 6. inquit. *In quo volens Deus ostendere immobilitatem consilii sui, interposuit Juramentum.* Præscripsit quoque modum quo jurare oportet. Jeremiæ Cap: 4. *Jurabis Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* Sancti quoque Viri utrusque Testamenti multoties jurarunt. Non ergo illicitum est jurare. Quare merito scripsit S. Augustinus. Serm: 13. *Invenimus jurafse Sanctos, jurasse ipsum Dominum, in quo non est peccatum, Non ergo est peccatum jurare, fed magis pejerare.*

Quæres 3tio: Quæ conditiones requiruntur ut juramentum recte fiat?

Resp: Ut juramentum recte fiat tres conditiones requiruntur, scilicet, *veritas, justitia, & judicium,* quia scilicet ut præcepit Deus Jeremiæ Cap: 4. oportet jurare *in veritate & judicio, & justitia.*

Ad veritatem juramenti requiritur, ut jurans certo & prudenter non autem ex levibus conjecturis credat, illud verum efse, quod jurat, unde perjurus non est, qui bona fide, & post quam inquirendæ veritati diligênter incubuerat, falsum jurat. Contra vero perjurus erit, qui jurat id, quod reipsa verum est, fed ex errore falsum efse opinatur, vel etiam dubius de rei veritate, ut certam juramento fuo confirmat, Perjuri quoque funt qui non jurant eo modo, quo ab iis juramentum requiritur, exg. exigitur juramentum ab eo qui factum viderit, vel commiserit, & quispiam jurat rem ita efse, de qua solum audierat,

rat,

rat, sed non viderat, jurat se id non fecifse subintelligendo per se, cum illud fecerit per alium, quia ex communi sensu, id quisque fecifse censetur, quod per alium fecit.

Ut vero juramentum fiat cum judicio, oportet ut non nisi ex necefsitate, christiana prudentia, & pro re gravi juretur, ut autem fiat cum justitia debet efse de re licita, & honesta. Juramentum cui deest veritas, est stricte perjurium, juramentum vero cui deest judicium, & justitia non nisi late perjurium dici potest.

Quæres 4to: Quale sit peccatum juramentum, solo judicii defectu vitiosum?

Resp: Est tantummodo peccatum veniale. In eo namque juramento id solum est vitii, quod in illo divina authoritas interponitur ad confirmandam rem parvi, vel nullius momenti, non vero ad confirmandam falsitatem. In hoc vero non videtur gravis divinæ Majestati irrogari irreverentia, non ergo tale juramentum est peccatum mortale, fed solum veniale.

Verum juramentum quod solo judicii defectu vitiosum est, potest aliquando efse mortale, & quidem 1mo ratione gravi scandali, quando illa quæ in Christiana religione sunt sacratifsima, veluti pafsio, sangvis Christi ad juramentum, maxime execratorium afsumuntur, & sive per iram, sive per jocum afsumuntur.

Hinc colligere licet, quid de iis sentiendum est, qui ex prava consvetudine jurant Nam *1mo:* si mentiri consveverunt, & promiscue, ac indifferenter vera ac falsa proferunt, ac quæque juramento confirmant, tales funt in statu peccati mortalis, quæ & frequenter falsa jurant, & in continuo falsum jurandi versantur periculo. Igitur mortaliter peccant si falsum juraverint. *2do:* Qui quæque promittunt, & jurant, quodsi vel minimum perpenderent, facile vel ipsi perciperent, se non servaturos efse illa, quæ promiserunt, sic mercatores fere continuo jurant merces fuas viliori prætio tradituros non efse, qui tamen paulo post judicant e re fua efse, ut illas sic tradant. Et hi frequenter graviter etiam peccant. Neque illos inadvertentia excusat, quia est ipsis voluntaria, cum ex prava proveniat consvetudine, ac pofsunt, atque debent advertere, se plura miscere perjuria, ac proinde in illis a peccato mortali non excusantur. Quodsi jurandi consvetudinem retractaverint, & eam emendare serio studuerint, tunc si quod juramentum eis ex toto inadver-

tenter

tenter exciderit, à peccato excusantur, quia tunc inadvertentia est in illis inculpabilis.

Quœres 5to: Quale est peccatum juramentum, promifsorium cui deest justitia, seu quod fit de re mala, illicita, facienda?

Resp: Qui jurat se rem mortaliter malam facturum efse, sive habeat animum istiusmodi juramentum adimplendi, sive non habeat, peccat mortaliter. Si enim jurat se rem mortaliter malam facturum & non habet animum illam faciendi, mentitur, & stricte perjurus est, ac propterea peccat mortaliter. Si verò habeat animum illam faciendi, etiam mortaliter peccat, quia & voluntas rem faciendi mortaliter malam, est mortaliter mala, & in confirmationem illius Deum in testem adducere, graviter Deo est injuriosum.

Qui autem jurat se rem venialiter illicitam facturum, si quidem non habeat voluntatem ipsam faciendi, mentitur, perjurus est, & graviter peccat. Si vero voluntatem habeat juramentum adimplendi, juxta multos non nisi venialiter peccat, quia & voluntas peccandi venialiter, non est mortaliter mala, & qui sic jurat, non aliud intendit, nisi interposita Dei authoritate testari se veram habere voluntatem id faciendi, quod jurat se facturum efse. Quod si quis vellet se per juramentum in tali proposito confirmare, ut illi faciunt, qui execratorie jurant, tale juramentum videtur efse peccatum mortale. Præterea, juramenta quibus mala proximis minamur, & illa, quoniam sæpifsime proferri soleant ex impetu iræ, & qui sic jurant, facile advertere pofsunt, se post sedatam iram non efse illaturos malum, quod minatur, ideo stricte periuria sunt, & qui sic jurant peccant mortaliter, etiamsi malum quod minantur, nonnisi veniale in se peccatum contineat.

Juramenta autem de facienda re sive mortaliter, sive venialiter mala, sive defuerit, sive etiam adfuerit animus, atquè voluntas illa adimplendi, non obligant, nequè implenda sunt, quia juramentum vinculum iniquitatis efse nequit.

Quœres 6to: Quid dicendum est de juramento rei malæ afsertorio?

Resp: Juramentum afsertorium, de re mala, ac illicita cum gravi proximi injuria, damno ac læsione, exg: si quis notabile à proximo commifsum crimen divulgaret, ac propalaret, & ut citius ei credatur juramento confirmaret, aut etiam cum juramento grave crimen alteri fal-

se

so imponeret, tale juramentum peccatum est mortale, quia nomen Dei aſsumit ad cooperandum gravi injustitiæ proximi. Quodsi adeſsent justæ ac rationabiles causæ, ad crimen proximi revelandum, deferendum, nullum tunc eſset peccatum.

Nequè etiam gravis peccati reus foret, qui minora quædam delicta, defectusquè proximi, sine gravi ipsius læsione cum juramento propalaret, quia tunc non irrogatur gravis injuria nequè Deo, nequè proximo.

Quæres 7mo: Quale est peccatum juramentum cui deest veritas?

Resp: 1mo: Juramentum aſsertorium cui deest veritas, semper, & in omni materia est peccatum mortale, quia juramentum mendaciosum, etiam in leviſsima materia, ut inquit S. Thomas quæst: 98. art: 2. & 3. *De sui ratione importat contemptum Dei, quia per hoc datur intelligere, vel quod Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem testari velit.* Ergo etiam *ille qui jocose perjurat, non excusatur à peccato mortali.* Hinc S. Augustinus Serm. 180. inquit: *Periurium peccatum eſse, & grande peccatum, nemo dubitat.* Porrò quandocunquè in juramento aſsertorio deest veritas, etiam in materia leviſsima, est juramentum mendaciosum, ac proprie dictum perjurium. Ergo est peccatum mortale.

Attamen inadvertentia vere inculpabilis, potest hic à peccato excusare, aut saltem ita illud minuere ut non sit mortale, sed solum veniale.

2do: Juramentum vero promiſsorium est peccatum mortale, *1mo:* si absit intentio jurandi, dum juramentum exterius profertur. *2do:* dum jurans non habet voluntatem implendi id, quod promittit. *3tio:* Sive tandem hanc voluntatem habeat, sed illam postea mutat, & quæ promisit, non adimplet. Ratio horum hæc est, quia gravis Deo irrogatur injuria, cum quis ejus abutitur nomine ad homines decipiendos, & ipsum in testem mendacii adducit.

Dices: Quotidie contigit, ut pater juret se filium pæna aliqua *vg:* flagris mulctaturum eſse, quod tàmen non semper fit, item sæpiſsime ex duobus qui in ingreſsu domus honore se præveniunt, juret alter se priorem non ingreſsurum, qui tamen importunitate victus prior ingreditur. Porrò vix credi potest in materiis tam levibus perjurium eſse peccatum mortale.

Resp: Hæc non eſse perjuria, quia juramenta in

his

his circumstantiis facta, ex communi sensu, tacitam habent adjectam conditionem, cujus defectu necesse non est, ut impleantur. Sic Pater pænam filio minitans hanc censetur apponere conditionem nisi aliquid obstet, amici, propinqui intercedant, filius se humiliet, emendationem appromittat, aut nisi gravius malum ex inflicta pæna sequatur, tunc enim juramenti executio utcunquè esset illicita. Sic quoquè qui jurat se priorem non ingressurum, subaudit cum omnibus probis, & honestis viris, nisi importuniorem me reddam, atquè propterea ne importunior reddatur, juramento nòn tenetur.

Quæres 8vo: Utrum licitum sit juramentum, cum amphibologia, & restrictione?

Resp: Amphibologia *est locutio, habens duplicem sensum.* Restrictio *est sermonis mente loquentis facta determinatio ad alium sensum, quam ille est, quem verba nude & simpliciter prolata præseferunt.* Et hæc restrictio si in sola mente loquentis sit, nec exterius verbis, signis aliisque circumstantiis manifestetur, dicitur pure mentalis, si vero ex modo loquendi, vel ex circumstantiis; aut ex communi usu ab audiente percipi potest, est tantummodo late mentalis.

Usus itaque restrictionum pure mentalium, atque amphibologiæ, semper, & pro quocunque casu est illicitus, sive in judicio, sive extra judicium, & qui iis utitur cum juramento, perjurii reus est: ac propterea graviter peccat, quia ex Psalmo 14. ille habitabit in tabernaculo Domini, *qui loquitur veritatem in corde suo, qui jurat proximo, & non decipit*, & ex Psalmo 23. is ascendit in montem Domini, quì *non juravit in dolo proximo suo.* Sed qui jurat cum emphibologia, & cum restrictione pure mentali jurat in dolo, & proximum decipit, ergo perjurus est, & graviter peccat. Unde S. Augustinus Epist: 125. inquit: *Perjuri sunt, qui servatis verbis expectationem eorum, quibus jurandum est, deceperint.* Porrò hanc expectationem decipiunt. qui ita ambigue jurant, ut aliud sentiant, aliud ab iis intelligi volunt, qui audiunt. Ergo perjuri sunt. Certe mendacium in nullo casu licitum est. Sed restrictiones pure mentales, amphibologiæ, reipsa mendacia sunt. Nam ex S. Augustino libro de mendacio cap: 3. *Jlle mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis*, vel quibuslibet significationibus enuntiat. Qui vero amphibologia, restrictionibusquè mentalibus utitur, aliud habet in animò, & aliud verbis enuntiat, imo non

utitur amphibologia, aut restrictione, nisi ut aliud alter intelligat, quam ipsemet cogitat. Ergo mentitur & cum hoc suum mendacium juramento confirmare nititur, perjurus est.

Quod autem spectat restrictiones late tantummodo mentales, illas Theologi etiam restrictiones, pro licitis habent, quia nempe, vel ex consvetudine, vel ex modo loquendi, vel ex circumstantiis deprehendi ab audientibus posſunt, non impediunt, quo minus sermo exterior, attentis omnibus circumstantiis omnino verus sit, & cum animo loquentis consentiat. Hic tamen cavendum est *1mo:* ne in praxi nimium hujusmodi amphibologiæ, & restrictiones usurpentur, & ne late mentales dicantur, quæ sunt stricte mentales. *2do:* neceſse est, ut qui interrogat, re ipsa poſsit detegere ex modo quo jocose quis loquitur, aut ex circumstantia personæ, loci, temporis nolle ipsum nude rem aperire, sed solum importunam interrogationem velle declinare. *3tio:* ut non paſsim, sed gravibus tantummodo de causis, ad hunc loquendi modum confugiatur, & tunc solum, quando aliter quis non potest se ab importuna, aut etiam iniqua curiositate extricare.

Quæres 9no: An peccant, qui ab aliis juramentum exigunt?

Resp: Certum est illum peccare mortaliter, qui ab alio petit ut suo juramento confirmet id, quod reipsa falsum est, licetsi jurans ex errore credat id verum eſse, quia qui alium inducit ad perjurandum, causa est cur Deus vocetur in testem alicujus, quod reipsa falsum est, & hoc sine gravi Divinæ Majestatis injuria eſse nequit. Non potest etiam privata authoritate ab eo exigi aut recipi, si offeratur juramentum, qui certo, vel probabiliter creditur pejeraturus, quia qui exigit, aut oblatum recipit juramentum ab eo, quem certo scit, aut probabiliter judicat eſse perjuraturum, vel est causa peccati, vel ad illud proxime concurrit, illius itaque fit particeps, & reus. Sunt tamen nonnulli gravis neceſsitatis casus, in quibus poſsit etiam privatus, juramentum ab eo exigere quem scit perjuraturum, puta si in aliquo contractu exactio juramenti neceſsaria sit, ut contrahens per judicem cogi poſsit ad standum contractui. Si vero nulla similis occurrat causa, non est exponendus quispiam periculo perjurii. Nullatenus autem peccat, qui juramentum petit ab eo, quem prorsus nescit pejeraturum eſse, quia non debet malum de quopiam præsumi, sine legitima causa. Peccat

ta-

tamen qui sine necefsitate ab alio petit juramentum, sicut ille peccat, qui sine necefsitate jurat. Quodsi aliquis exigat juramentum tamquam persona publica exg. Judex, secundum quod exigit ordo juris, ad petitionem alterius, potest ipse juramentum exigere, etsi sciat eum falsum jurare, aut verum, quia non videtur ipse exigere, sed ille ad cuius instantiam exigit. Ita docet & probat S. Thomas, ac proinde ad cujus instantiam Judex juramentum exigit, ille solus peccat, si vel certo sciat, vel probabiliter judicet eum pejeraturum. Raro tamen exigere potest juris ordo, ut Judex exigat juramentum ab eo, quem tum ipse, tum ille, ad cujus instantiam præstandum est juramentum, prævident pejeraturum efse. Debet quoque Judex serio monere illum qui juraturus est, ne pejeret, eumque ad cujus instantiam juramentum exigitur, urgere, ut juramentum remittat, maxime si videat ipsum certum efse de alterius perjurio. Sed etiam testes ad pejerandum dispositos, quantum poterit, a deponendo testimonio repellere tenetur.

Quæres xomo: Quæ, & qualis sit juramenti obligatio?

Resp: Juramenti afsertorii unica est obligatio, ut vera afserantur, prout sunt nunc, aut aliquando fuerunt. Juramentum vero promifsorium si sit de re bona, obligat sub conscientia, ut id præstetur quod promifsum est. Enim vero, simplex promifsio de re bona facta, & acceptata, obligat sub conscientia, magis promifsio ejusdem generis juramento confirmata. Quod si juramentum promifsorium de re bona in gratiam alterius factum fuerit, & ab eo acceptatum non fuerit, tale juramentum non obligat, quia istiusmodi juramentum easdem patitur exceptiones, quas ipsa promifsio, quæ illo confirmatur, cum igitur promifsio fiat sub hac conditione, si ab altero cui fit, acceptetur, ideo non obligat si acceptata non sit, pariter & juramentum promifsorium in gratiam tertij factum, si non fuerit acceptatum non obligat.

Res vero bona juramento promifsorio afsecurata, aliquando potest in meliorem mutari jurantis voluntate, aliquando non potest. Potest quidem in meliorem mutari, si juramentum factum est Deo, ad ipsius gloriam, & cultum. Merito namque præsumitur Deum juramenti priorem obligationem remittere, ut ei aliquid melius, & gratius præstetur. Non potest autem, si juramentum promifsorium cedat in commodum tertii, quia promifsio tertio facta, & ab ipso acceptata stricte obligat, & sine vo-

luntate illius cui facta est, neque negligi, neque mutari potest. Hinc qui juravit se certam cuipiam summam daturum esse, non potest eam illi negare, ut ipsam pauperibus distribuat.

Quæres 11mo: Quid, si juramentum promissorium esset de re mala, vel indifferenti?

Resp: Si juramentum promissorium foret de re mala, aut prorsus indifferenti ac inutili illud non obligat, quia ex regula juris 18. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*, alioqui si juramentum promissorium de re mala obligaret, obligaret ad peccandum, quod absurdum est. Pariter si juramentum fuerit de re indifferenti, vana, ac inutili quæ honestum finem non habet, tale quoque juramentum non obligat, nam eo ipso est de re mala, & quemadmodum juramentum nequit esse vinculum iniquitatis, sic neque rerum vanarum vinculum esse potest.

Aliud esset si res ex se indifferens bona esset ex fine. Sic qui juravit se alterius domum non ingressurum, ne in illo peccet, juramento tenetur. Idem est si res ex se indifferens cedat in favorem, & commodum tertii, ut si jurasti te nullas merces empturum, nisi à Filio, quia honestum est servare promissionem proximo factam, quæ eidem utilis & grata est. Porro juramentum de opere honesto factum obligat, ergo & illud obligat, quod licet sit de re ex se indiferenti, sed ad honestum finem refertur, ceditque in utilitatem tertii.

Quæres: 12do: Quæ requiruntur ut juramentum obliget?

Resp: Ut juramentum promissorium obliget, necessaria est voluntas, sive intentio jurandi: hoc est Deum in testem invocandi, sine hoc namque non erit verum juramentum, sed fictio tantum juramenti, ac proinde obligare nequit. Sed ut juramentum obliget non est necessaria intentio juramento se obligandi, aut illud implendi, sed sufficit quod reipsa velis jurare, eo namque ipso, sive velis, sive nolis, contrahis strictam obligationem illud implendi, atque illi satisfaciendi. Enimvero qui voluntarie ponit causam, ex qua necessario sequitur effectus, necessario etiam vult, & velle debet effectum. Porrò juramentum promissorium cum est de re bona, necessario, & ex natura sua parit obligationem. Ergo qui jurat, sive velit, sive nolit se obligare, aut juramentum adimplere, necessario illo obligatur, & ad illud implendum tenetur.

Ve-

Verum etiam juramentum fictum, id est exterius prolatum sed sine jurandi intentione, quamvis per se non obliget, quia nullum est, plerumque obligat ex alio capite, nimirum; ut vitentur injustitia, si forte proximus tali juramento deceptus, damnum pati debeat, si non impleatur, aut grave scandalum inde oriatur, si juramentum publice præstitum, & rationabiliter ab omnibus ut verum reputatum, non servetur. Et in hoc etiam irreverentia Divinæ Maiestatis occurrit, ad quam evitandam, ex Religione quoque tale juramentum adimplere necesse est.

Quæres 13tio: Utrum juramentum ex errore, dolo, factum obliget?

Resp: Juramentum si fiat ex errore, vel dolo circa substantiam rei, non obligat, quia illi deest consensus voluntatis, ac propterea nullum, atque irritum est. Juramentum vero nullum, ac irritum, obligationem inducere nequit. Unde si jures te alteri daturum esse vas, quod æneum credis, cum sit aureum, non teneris juramento. Error vero & dolus circa circumstantias rei juratæ communiter non irritat juramentum. Si tamen circumstantia aliqua intenderetur per modum intrinseci, ac primario, tum irritum esset juramentum quia deesset voluntatis consensus in id, quod in illo juramento primario intenditur.

Quæres 14to: Utrum obligatio juramenti transeat ad hæredes jurantis?

Resp: In juramento promissorio duo sunt secernenda. *1mo:* Ipsa promissio alicui facta. *2do:* Divini nominis invocatio, seu ipsum juramentum, ad faciendam fidem & confirmandam promissionem factum. Et quidem ipsa promissio si de re licita facta, & acceptata fuerit, ad hæredes jurantis transit, qui cum succedunt in bona, succedunt etiam in onera defuncti. Sed ipsum juramentum, quod jurantem ex religione obligat, cum sit vinculum personale, ad hæredes non transit, unde si hæredes jurata defuncti pacta non servent, injusti erunt, sed non perjuri.

Quæres 15to: Quomodo juramentum promissorium interpretari debeat?

Resp: Ad bene intelligendum, & recte interpretandum juramentum, sequentes tradi solent regulæ.

1ma: Quoties aliquis certus est de sua voluntate, ac intentione, quam jurando habuit, in foro conscientiæ nulla opus est interpretatione, quia juramenti obligatio,

potis-

potifsimum pendet à jurantis intentione. Interpretatio ergo juramenti, tunc tantum est necefsaria cum jurans satis nofse, & explicare nequit, quam habuerit jurando intentionem, & tunc verba quibus inter jurandum usus est, pensari debent, & intelligi secundum sensum illorum communem, & naturalem. Quare juramentum quoad obligationem suam stricte est interpretandum, quantum materia ejus & verba permiserint. Quia onera quantum fieri potest restringenda sunt. Porro magnum est juramenti onus. Ergo quantum fieri potest, non extendi, sed restringi debet. Hinc juramentum servandi statuta communitatis, intelligi debet, tum de iis quæ vigent actu, aut necefsario vigere debent, tum de iis quæ jam edita sunt, non vero de edendis, nisi aliud aliunde constet. Hæc enim restrictio rationi, & prudentiæ consentanea est, quia futura valde incerta sunt. Pariter juramentum de servando secreto in Capitulo, vel Conventu, intelligi debet, si materia secretum postulet, vel si secretum servari pofsit sine gravi alterius detrimento. Unde qui rem in Capitulo gestam gravis momenti evulgat, graviter, qui levem, leviter delinquit, quia quando juramentum est in favorem tertii, ut istud est in favorem Communitatis, secundum prudenter præsumptam illius voluntatem obligat, & non aliter.

2da: Juramentum explicandum est, juxta naturam promifsionis, & contractus, qui juramento confirmatur. Quia juramentum non mutat naturam promifsionis, aut contractus cui adijcitur, neque facit ut ad plura extendatur objecta, sed tantummodo superaddit illis obligationem religionis ob reverentiam Divini nominis, quod invocatum est. Unde tale juramentum easdem habet conditiones, limitationes, ac extensiones, quas habet promifsio, sive contractus cui adijcitur, eodemque modo explicandum est. Unde qui juravit se soluturum quod debebat, potest justa uti compensatione, qua etiam ante juramentum uti poterat. Quare istiusmodi juramentum interpretandum est juxta conditiones eidem ex communi sensu affixas, ut sunt istæ: hoc faciam, *si potero, si licitum sit, si juramentum non remittatur ab eo in cuius gratiam factum est, si servari pofset, salvo Superiorum jure, si res notabiliter non fuerint mutatæ.* Hinc qui juravit se alteri pariturum, non tenetur ei parere ad illicita, aut ad ita difficilia, ut verisimiliter subefse non poterant intentioni jurantis.

Ve-

Verum tamen licetsi juramentum habeat easdem conditiones, limitationes, & extensiones quas habet promifsio, ac contractus cui adjcitur, contingere tamen potest, ut promifsio, sive contractus cui adjungitur juramentum, nude, & in se spectatus, nullus sit, juramentum vero illi annexum teneat, quia hæc natura sua discrepant, & ex alio fonte oritur obligatio juramenti, scilicet ex religione, ex alio vero obligatio promifsionis, alteriusque contractus, nempe ex justitia. Potest ergo subsistere obligatio juramenti, licetsi non subsistat obligatio promifsionis factæ, aut initi contractus.

Quæres 16to: Quæ juramenti obligationem tollunt, vel impediunt?

Resp: Juramenti obligationem tollunt. *1mo*: Notabilis materiæ mutatio. Porro materia notabiliter censetur efse mutata, quoties verisimile est, ex communi sapientum judicio, hominis prudenter jurantis intentionem sese non extendifse ad eam pro eo statu, in quo nunc est. Interim materia juramenti notabiliter censetur efse mutata, si facta sit imposibilis, sive physice, sive moraliter, si reddatur illicita, majoris boni impeditiva. Unde non tenetur juramento, qui promisit summam quam largiri non potest sine notabili status sui diminutione. Quodsi materia juramenti ex parte impofsibilis evaserit, & ex parte pofsibilis remanserit, & una pars ab alia separari pofsit, pars quæ est pofsibilis adimpleri debet.

2do: Juramenti remifsio etiam tacita, facta ab eo, cui jurata promifsio facta est, modo hæc remifsio injuste extorta non fuerit, & id quod juratum est non cadat in utilitatem tertij, unde si duo sibi mutuo juraverint, se tantum lucri in eleemosynam daturos, non pofsunt hujus juramenti onus sibi remittere. Verum si promifsio jurata principaliter facta sit intuitu Dei & secundario respectu hominis, non potest ille hanc promifsionem condonare, quia res jurata magis Deum respicit, & ad ipsum fpectat, quam ad hominem. Si vero principaliter & primario facta sit intuitu hominis, & nonnisi secundario intuitu Dei, ut si exg: duo sibi invicem jurent Psalterii recitationem pro mutua sua utilitate, pofsunt eam sibi invicem condonare, secus vero si eam ob gloriam Dei primario intentam juraverint.

3tio: Commutatio, quæ fub eodem juramenti vinculo unam rem pro alia fubrogat. Porro circa commutationem juramenti hæc notanda sunt *1mo*. Juramenta in honorem

rem Dei facta, non posſunt in quid minus mutari, alia quam illius qui etiam in iis dispensare potest authoritate. In aliud autem aperte melius, modo non sit aliunde præceptum, mutari potest solo jurantis arbitrio. Aliud est de juramentis in gratiam proximi factis, hæc enim non posſunt neque in melius commutari, cum acceptata sunt, modo extorta non fuerint, tunc enim posſunt omnino relaxari. *2do*: Juramenta in quid minus commutare potest Romanus Pontifex, potest etiam Episcopus in ſua Diæcesi, nisi hæc reservata sint Romano Pontifici, qualia sunt illa præcipue, quæ fiunt in iis materiis, in quibus etiam vota ipsi ſunt reservata. Qui solum delegatam habent potestatem vota commutandi, ut simplex confeſsarius, non ideo juramenta commutare potest, & viciſsim, unde duæ istæ potestates seorsim conferuntur. Qui vero habent ordinariam potestatem commutandi vota, habent etiam potestatem commutandi juramenta, & viciſsim.

Porro quemadmodum votum Papæ reservatum, semel commutatum, in id quod non est Papæ reservatum exg. perpetua castitas in jejunium, hoc secundum reservatum non censetur, ac proptera justa exigente causa ab Episcopo commutari potest, aut dispensari, sic quoque, si materia juramenti Papæ reservati mutetur in aliam, quæ eidem non est reservata, juramentum posterius, etsi prioris locum teneat, cum justæ ſuppetunt causæ, ab Episcopo commutari posſunt, atque relaxari.

4to: Dispensatio ſeu relaxatio. Dispensare vero in juramentis posſunt Romanus Pontifex, Episcopus in ſua Diæcesi nisi Papæ sint reservata, & illi, qui ad id conceſsam, & delegatam sibi habent potestatem. Porro circa dispensationem hæc notanda ſunt *1mo*: Non est valida, nisi adsit justa ejusdem concedendæ casu. *2do*. Si juramentum confirmet promiſsionem tertio factam, non valet dispensatio, sicut non valet commutatio in eodem causa. Fieri tamen posſet, ut in gratiam boni communis, promiſsio alicui privato facta, , relaxetur.

5to: Irritatio facta authoritate illius, qui jus habet in alterum. Sic pater fillii, tutor pupilli, maritus uxoris juramenta irritare posſunt.

CA-

CAPUT SECUNDUM

De Fide, Spe, & Charitate Dei, ac proximi.

ARTICULUS Imus

De Fide.

Quæres 1mo: Quid sid fides?

Resp: Fides est *virtus à Deo cordibus nostris infusa inclinans mentem ad firmiter afsentiendum omnibus quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit propter infallibilem divinam veracitatem:* Et hæc est fides habitualis, quæ à Deo homini infusa, ad actus ejusdem virt tis eliciendos excitat, & habilitat. Fides vero actualis, est afsenfus, & firma mantis adhæsio rebus à Deo revelatis & ab Ecclesia nobis ad credendum propositis.

Motivum autem fidei, est divina veracitas, quia nimirum Deus in iis quæ revelavit, nec falli, nec fallere patest. Unde omnia credi debent propter authoritatem, & infallibilitatem Dei revelantis, de divina vero revelatione per authoritatem Ecclesiæ nobis constat, quæ nobis exhibet, & proponit, quæ Deus revelavit, & quæ credenda à nobis funt.

Duplex est fides, *explicita, & implicita. Explicita* est illa qua afsentimur alicui articulo speciali, & determinato exg. tres efse divinas personas. *Implicita* est ea, qua generatim confitemur omnia à Deo revelata, & ab Ecclesia ad credendum proposita. Est quoque alia fides *interior* quæ mente, & animo retinetur, alia *exterior*, quæ ore enuntiatur.

Quæres 2do: Fides estne ad salutem necefsaria?

Resp: Fides interior, & actualis omnibus adultis est necefsaria, tum necefsitate medii, tum necefsitate præcepti. Et id apertifsime constat ex Sacris Scripturis. Hebr. cap: 11. dicitur *accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* & rursus: *Sine fide impofsibite est placere Deo.* Nemo namque salutem obtinere potest nisi accedat ad Deum, eique placeat. Porro per fidem accedimus ad Deum, eique appropinquamur, atque ipsi placemus. Sine fide ergo salus

salus obtineri nullatenus potest. Est ergo ad salutem necessaria, necessitate medii. Et vero fides actualis ad justificationem omnino necessaria est, quia ut docet Concilium Tridentinum Sess. 6. Cap: 7. est *radix, & fundamentum justificationis*, unde sine fide *nulli contigit unquam justificatio*, quemadmodum ergo Adultus nisi justificetur, nullomodo salvari potest, ita etiam nisi credat, salutem obtinere nequit.

Est etiam fides necessaria necessitate præcepti divini. Namque multoties in Scripturis Sacris fides expressa imperata est, sic Joannis Cap: 13. inquit Christus: *Creditis in Deum, & in me credite.* & Marci Cap: ult: absolute pronuntiavit: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Merito itaque damnata est ab Innocentio 11mo: ista propositio: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

Quæres 3tio Quando urget divinum fidei præceptum?

Resp: Divinum fidei præceptum sæpius urget in vita. Namque fides basis est vitæ Christianæ, sine illa nec ad primam gratiam pervenire, neque in illa augeri, aut perseverare possumus, unde ad Galatos Cap: 3. scribit Paulus: *justus ex fide vivit.* Divinum ergo fidei præceptum sæpius in vita urget, & actus ipsius frequenter eliciendi sunt. Hinc merito Innocentius 11. damnavit istas propositiones: *Satis est actum fidei semel in vita elicere. Sufficit mysteria semel credidisse.*

Porro casus in quibus potissimum per se urget præceptum fidei sunt sequentes. *1mo*: Cum fides Catholica sufficienter proposita est infideli, hæretico, & iis qui in infantia baptisati sunt, cum ipsi rationis usum attingerant. *2do:* In quolibet probabili mortis periculo, tunc enim tenetur unusquisque saluti suæ consulere quantum potest. *3tio:* Cum pulsat gravis contra fidem tentatio, contraria enim contrariis repellenda sunt. *4to:* Cum quis in peccatum fidei oppositum lapsus est *exg.* in hæresim, aut voluntariam circa fidei mysteria dubitationem.

Sed & per accidens frequenter obligat divinum fidei præceptum, quando nempe sine actu fidei, varia Dei, & Ecclesiæ præcepta, ut par est impleri, varia item peccata vitari nequeunt. Sic seclusa fide magis aut minus explicita, nec Deum digne orare, nec peccatorum in Sacramento pænitentiæ remissionem consequi quisquam potest. Aliquando etiam tam graves carnis adversus spiritum exurgunt motus, ut certo succumbat, qui non quæsierit

robur

robur à fide, repræsentando sibi eum judicem, qui corpus & animam gehennæ tradere potest.

Quæres 4to: Quæ necessario credenda sunt?

Resp: 1mo: Christiani omnes necessitate medii explicite credere debent non solum Deum esse bonorum ac malorum remuneratorem, sed etiam mysteria SSmæ Trinitatis, ac Incarnationis. Hæc enim explicite credenda Sacra Scriptura proponit. Paulus Apostolus Epist: ad Hebr: Cap: 11. dicit. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Christus etiam Joan. Cap: 3. sic inquit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam, Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* & Cap: 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Certe oportet eam habere fidem, qua spes nostræ salutis excitatur, in eum necesse est credere per cujus merita justificamur, & a quo sanctificamur. Porro dum confitemur Deum esse inquirentibus se remuneratorem, spes salutis nostræ excitatur, per merita Christi justificamur, à Spiritu Sancto, sanctificamur, & dum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credimus, salvamur, si non credimus condemnamur. Math: Cap: 28. & Marci 16 Horum ergo mysteriorum fides explicita omnibus Christianis ad salutem necessaria est necessitate medii.

Dices: Plures sunt ita hebetes ut mysteria tam ardua quale est Trinitatis, & Incarnationis, apprehendere non valent. Idem dicendum de surdis, & mutis à nativitate, qui vix per signa de horum mysteriorum substantia instrui possunt. Nemo tamen hos vel illos à salute excludere audebit.

Resp: Nullus est hominum ingenii ad eo rudis, qui mysteria Trinitatis & Incarnationis, sibi sufficienter proposita, quantum ad substantiam, & saltem confuse apprehendere non possit, maxime cum auxilio gratiæ, quæ á Deo non denegatur. Certe homines illi, qui dicuntur adeo obtusi, & hebetes, satis in humanis rebus habent ingenii, ut alios decipiant, & se decipi non patiuntur, quidni ergo cum Dei auxilio, divina mysteria ruditer saltem & confuse percipere valeant. Idem dicendum de mutis, & surdis, qui per imagines, & signa, rudem aliquam Mysteriorum nostrorum notitiam haurire possunt, & si perseve-

severanter orent, nec gratiæ divinæ obicem ponent, à Deo ipso erudientur, quantum ad salutem ſufficit. Quodsi tamen invenirentur tales, qui præingenii debilitate, quantumcunque enitantur, non poſsint fidei mysteria percipere, tunc illi quantum ad hoc, reputari debent velut perpetuo amentes, aut prout parvuli usu rationis carentes, qui sine ullo fidei actu, cujus capaces non ſunt, salvantur.

2do: Neceſsitate præcepti & sciri, & credi debent, saltem quoad substantiam ea omnia quæ in Symbolo Apostolorum continentur, præterea Sacramenta, maximé quæ ad salutem omnibus neceſsaria ſunt, vel aliquando recipienda ſunt. His addenda est notitia tum Orationis Dominicæ, tum præceptorum Decalogi. Enimvero Evangelio credere oportet, articuli autem, qui in Symbolo Apostolorum continentur, ſunt præcipua Evangelii capita, atque veluti ejus ſumma, unde ab ipso Ecclesiæ exordio, Catechumeni ad Baptisma non admittebantur, nisi prius scirent, & intelligerent Symbolum. Neceſse est ergo ut etiam nunc ab omnibus sciatur, intelligatur, & credatur. Pariter cum nonnulla Sacramenta omnibus ad salutem sint neceſsaria, alia vero modo ab his, modo ab aliis suscipiantur, neceſse est ergo, ut sciantur dispositiones ad illa debite, & utiliter recipienda neceſsariæ, quæ & qualis sit virtus, ac efficacia eorum, qui effectus. Tandem præcepta Decalogi omnes observare tenentur, omnes Deum orare debent, scire itaque & intelligere quilibet debet divina mandata, noſse tenetur modum orandi, quæ & quomodo à Deo postulare oportet.

Jam vero articulorum fidei ſubstantiam scire censetur, qui etsi nec ipsa præcise verba, nec verborum ordinem memoria teneat, de quolibet tamen articulo interrogatus, respondere potest, quantum exigit substantia illius: Vere autem istorum articulorum ſubstantiam ignorat, qui totum Symbolum memoria tenet, sed nec sensum verborum capit, nec ullam rei significatæ notiam habet.

Quamvis autem ex jure divino ſufficiat, ut Symbolum, Oratio Dominica, Sacramenta, & Decalogus quo ad ſubstantiam intelligantur, & sciantur, ſed ex jure Ecclesiastico neceſsum est, ut hæc omnia memoria teneantur, quare S. Carolus Borromæus præcepit, ut qui omnes articulos Symboli Apostolici memoria non tenent, insuper præcepta Dei, & Ecclesiæ, item orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, non absolvantur, quin primo tem-

tempore in iis addiscendis operam seriam se daturos appromiserint.

3tio: Denique, tenentur fideles scire, noſse, & credere myſteria vitæ Jesu Christi, præcipue illa quæ in Ecclesia sollemnisantur, ac præterea ea quæ spectant Sanctorum cultum, venerationem Reliquiarum, indulgentiarum usum, modum juvandi animas Defunctorum in Purgatorio existentium. Hæc enim omnia ab Ecclesia fidelibus proponuntur, & solemnisantur.

Quæres 5to: Utrum peccent ii, qui scienda, & credenda ignorant?

Resp: Qui illa ignorant, & addiscere negligunt, quæ scire & credere tenentur, peccant mortaliter, quia in re gravi, ad salutem omnino neceſsaria, Dei, & Ecclesiæ transgrediuntur præcepta. Et qui tali ignorantia laborant, absolutionis Sacramentalis incapaces ſunt, quare Confeſsarius ſuos pænitentes de scitu neceſsariis examinare tenerur, quoties prudenter ſuspicatur illorum ignorantiam. Sed & ii graviter peccant, qui curam aliorum gerunt, quales ſunt Parentes, Præceptores, Pastores, qui sibi commiſsis, statim à teneris annis Mysteria fidei non exponunt, scienda & credenda illos non edocent, animis eorum non ea inculcant Nam per ignorantiam eorum quæ neceſsario ad consequendam salutem sciri, & credi debent, frequenter illos exponunt periculo damnationis æternæ.

Quæres 6to: Quando tenemur fidem exterius profiteri?

Resp. Fidem exterius coram hominibus tenemur profiteri, quando id exigit honor Deo debitus, & utilitas proximi. In his namque circumstantiis fidem non profiteri, ſed eam occultare, silentio præmere, est sermones Christi, ipsius doctrinam erubescere. Porro inquit Christus Lucæ Cap: 8. *Qui me erubuerit & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in Majestate ſua.* Hinc quando prudenter speratur ex fidei confeſsione, infidelium conversio, fidelium confirmatio, impiorum, & incredulorum confusio, quando neceſsitas, utilitasque exigit, ut honor Dei contra blasphemos defendatur, veritas fidei propugnetur, tunc fidem profiteri, religionem aperte confiteri neceſse est. Unde peccant qui dum vident, & audiunt nomen Dei blasphemari, honorem Dei lædi, religionem contemni, veritates ejus irrideri, impugnari, & cum poſsint ora blaterantium obruere, authoritate ſua eorum audaciam comprimere, attamen tacent, connivent, graviter peccant. Et hoc verum est non solum de eo, qui autho-

ritate, dignitate cæteros ſuperat, poteſtque prava interrumpere colloquia, atque ſilentium impiis imponere, ſed & de eo qui cæteris æqualis, ſcientia, gravitate, præſtat, ut & fidei ſuæ rationem reddere, & incredulorum argutiis reſpondere poſſit. Et is enim tacere non debet, ſed omni humano depoſito reſpectu, loqui pro veritate tenetur, ne forte lachrymabundus ingemiſcat, *Væ mihi quia tacui.* Verum tamen ſi prudenter judicatur oppoſitionem & contradictionem plus obfuturam, quam profuturam, quia ex reſiſtentia anſam arrepturi ſunt impii ad magis blaſphemandum, tolerari debet id, quod impediri nequit.

Quæres 7mo: An licet aliquando fidem negare?

Resp: Etiam exterius ſolum, veram negare fidem, licetſi interius ipſa in corde retineatur, graviſſimum eſt peccatum, quia eſt mendacium ac ſimulatio in re graviſſima, Deo injurioſiſſima, & homini pernicioſiſſima. Certe Math. Cap: 10. inquit Chriſtus: *Qui negaverit me coram hominibus negabo & ego eum coram Patre meo.* Unde Eccleſia negationem fidei, quamvis exterius ſolum, & ore tantum fieret, ut graviſſimum crimen ſemper reputavit, graviſſimis eos mulctabat pænis, qui tempore perſecutionum ad vitandam mortem, fidem Chriſti etiam exterius ſolum abnegabant. Et hujus criminis rei ſunt. *1mo:* Qui negant ſe eſſe Chriſtianum, aut Catholicum, item qui profitetur ſe eſſe Lutheranum, Calviniſtam, quia hoc ipſo negant veram Chriſti fidem, quæ eſt Romano Catholica. *2do:* Qui ſimulant falſam religionem, exercendo actiones, & practicando ritus qui vel ex ſe, vel ex communi uſu ſunt ſigna falſæ religionis, & illius denotant Sectatores exg. Hæreticorum cænam, ſeu communionem recipere, cum illis ſimul Pſalmos canere. Nam falſam religionem exterius profiteri, eſt veram fidem abnegare, qui vero ritus, cæremonias falſæ religionis exercet, eo ipſo eam exterius profitetur, ac proinde veram fidem abnegat.

Quæres 8vo: An infidelium, vel Hæreticorum Templa adire, eorum Concionibus, & Conventibus intereſſe, liceat?

Resp: Adire templa infidelium, ac Hæreticorum, eorum Concionibus, & Conventibus intereſſe non licet, quando adeſt periculum ſubverſionis, vel ſcandali, & quoties id cenſetur ac reputatur eſſe illorum Sectæ, & religionis acceptatio, probatio, atque quaſi profeſſio vel denique in Divinis cum illis communicatio, quia tunc vel eſt falſæ religionis ſimulatio, vel veræ fidei abnegatio,

utrum-

utrumque vero graviter illicitum est. Quilibet etiam perversionis periculum declinare debet, & Ecclesia graviter, sancté, & justé omnem cum Infidelibus, ac Hæreticis prohibet in Divinis communicationem, ei igitur obtemperandum est.

Jam vero civilis obsequii causa, cum abest periculum perversionis, & deest scandalum, justa quoque exigit causa, officii exg: aut servitii adimplendi necefsitas, in his circumstantiis Infidelium, aut Hæreticorum adire Templa, eorum interefse Conventibus, non est peccatum, quia nullo jure id est prohibitum, & aliquando id exigit pax publica, atque societas civilis, juraque civitatensia, dummodo per hoc neque falsa religio, sectaque honoretur, aut approbetur, neque in divinis cum Infidelibus, aut Hæreticis communicetur.

Quæres gno: Quæ sunt peccata fidei opposita?

Resp: Fidei maxime opposita peccata sunt duo: appostasia, & hæresis. *Appostasia*, est totalis defectio & recefsus à Fide Christiana, per Baptismum suscepta. Apostatæ à Fide, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, & cæteras omnes pænas, quibus Hæretici subijciuntur. *Hæresis* vero, est error voluntarius, & pertinax contra aliquod dogma Catholicum, quare hæresis efse nequit sine interno & voluntario difsensu & contrarietate veritatibus ab Ecclesia ad credendum propositis. Cum verò hæresis sit error pertinax, hinc hæreticus non est. qui ex ignorantia etiam crafsa, credit aliquid atque opinatur contrarium fidei, quia non est in errore pertinax, atque censetur habere bonam voluntatem credendi firmifsime omnia quæ ab Ecclesia ad credendum proposita sunt, cum de iis edoctus fuerit, sed indubie hæreticus est, qui ita proprio errori addictus est, ut quæcunque ei ostendatur Ecclesiæ definitio, ab ipso non est paratus recedere.

Hæresis dividitur in *mentalem*, seu pure internam, & in *externam*, simul & internam. *Mentalis* & pure interna illa est, quæ nullo signo exteriori manifestatur. Interna simul & *externa* ea est quæ non in sola mente retinetur, sed etiam exterius manifestatur.

Quæres 10mo: Quæ sunt pænæ Hæreticorum?

Resp: In Hæreticos multiplices Ecclesia constituit pænas, quarum 1ma est excommunicatio major latæ sententiæ, quæ Papæ reservata est, quando exterior est, licetsi occulta sit, hoc est quando verbo, facto, vel alio quo-

quocunque signo, licet nullo præsente declaratur. *2da:* priori affinis est privatio jurisdictionis spiritualis, & hæc privatio jurisdictionis hæresi annexa est ratione excommunicationis, quare quia excommunicati non privantur jurisdictione, nisi nominatim denuntiati sint, Hæretici quoque à jurisdictione spirituali non excidunt, nisi nominatim denuntiati fuerint, ac projnde valide ea omnia exercent quæ jurisdictionis sunt Spiritualis. *3tia:* est irregularitas, ac privatio Beneficiorum, quæ antea acquisita sunt, atque inhabilitas ad nova deinceps acquirenda. Et certe quia hæreticus excommunicatus est, & irregularis, collatio Beneficii ipsi facta, pleno jure irrita, & nulla est. *4ta:* tandem privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, atque ii excommunicantur qui Hæreticos sepulturæ Ecclesiasticæ tradunt.

Quæres xxmo: Utrum licitum sit libros Hæreticorum legere?

Resp: Lectio librorum Hæreticorum prohibita est etiam jure naturali iis omnibus, quibus ex tali lectione imminet periculum perversionis, quia quilibet vitare, & fugere tenetur periculum morale perversionis, atquè amittendæ salutis. Et huic periculo subiacent maxime rudes, semidocti, in fide infirmi, in rebus ad ipsam pertinentibus parum exercitati, atque pauci sunt, qui vafritiem & tricas Hæreticorum detegere valent, ab eorum laqueis, & captionibus se expedire. Sed ex Bulla *Cœnæ Domini*: lectio, retentio librorum Hæreticorum, omnibus omnino prohibita est sub excommunicatione ipso facto incurrenda, quæ Romano Pontifici reservata est. Insuper Pius IV. per Bullam 76. quæ incipit: *Dominici gregis*: omnibus quacumque dignitate fulgentibus, librorum Hæreticorum, & aliorum qui proscripti sunt, & in Judice ab eodem Pio IV. cæterisque Romanis Pontificibus edito continentur, lectionem severe prohibuit, etiam sub pæna excommunicationis, quæ tamen Papæ non est reservata. Porro Hæreticorum librorum nomine non veniunt libri ab Hæreticis editi de Grammatica, Rethorica, Philosophia, Historia, sed ii dumtaxat qui ex profeſso de Religione tractant, quales sunt, qui Sacram Scripturam exponunt, Theologiam, sive Dogmaticam, sive moralem tradunt, de Clericis, Monachis, Sanctorum cultu, ritibus Sacris, aliisquè rebus ad Christianam religionem pertinentibus diſserunt. Libri vero qui in proscriptorum atque prohibitorum Indice reponuntur illi sunt, *qui vel*

Hæ-

Hæretici sunt, vel de Hæretica pravitate suspecti, vel moribus, & pietati nocent. Nihil autem interest an liber prolixus sit, an brevis. Nam scriptura brevis sæpe æquale aut etiam majus periculum continet, quam liber grandior, peccat autem & excommunicationem incurrit, qui licet ipse non legat prohibitum librum, tamen curat alium legere, ut ipse audiat, nam moraliter censetur ipse alterius opere, & ministerio legere. Neque etiam in lectione librorum prohibitorum, maxime Hæreticorum datur parvitas materiæ. Quia libri maxime Hæretici prohibentur ob periculum seductionis. Periculum autem illud in qualibet libri prohibiti parte rationabiliter timeri debet, unde etiam prohibito libro, quælibet illius pars prohibita eſse censetur. Qui ergo quamlibet illius partem legit, peccat & excommunicationem contrahit.

Ex his autem facile quisquè inferat, quid sentiendum sit de lectione librorum, qui impuritatis pleni sunt, & in quibus universa Christiana convellitur Religio. Certe qui ejusmodi libros vendunt, emunt, legunt, graviſsime peccant, quia sibi, & aliis sunt causa perversionis, religionis & salutis amittendæ occasio.

ARTICULUS 2dus

De Spe, & Charitate Dei ac proximi.

Quæres 1mo: Quid sit Spes?

Resp: Spes *est certa, & pia persvasio, beatitudinem Cœlestem obtinendi per media à Deo constituta,* seu Spes est actus quo & ardenter optamus, & certo expectamus cælestem beatitudinem, Unde in Spe duo includuntur, scilicet: desiderium beatitudinis cælestis consequendæ, & confidentia voluntatis illam reipsa obtinendi, fundata in auxiliis ac promiſsionibus divinis.

Quæres 2do: Quod est obiectum Spei?

Resp: Obiectum ſpei primarium, est ipse Deus, qui est totalis & perfectiſsima nostra in Cælis beatitudo, unde Abrahamo dixerat Deus Genesis cap: 15, *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Secundarium vero ſpei nostræ obiectum, sunt omnia media sive Spiritualia, sive temporalia, quibus Deum aſsequi, & in cælesti beatitudine poſsidere poſsumus. Talia media sunt gratiæ, ac dona Spiritualia, quæ nobis misericorditer Deus elargitur,

opera bona, ac salutaria, quibus ipse promeretur Deus, tandem bona temporalia, quatenus iis per Dei gratiam bene, & salutariter utendo, salutem æternam consequi valemus. Spem ergo salutis nostræ in Deo reponimus, ab eo opportuna ad illam consequendam expectamus media, ipsaquê ab illo obtinere confidimus. En totum ſpei nostræ obiectum. Unde Rex David Psal: 117. dicit: *Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum.*

Quæres 3tio: Spes nostra quam in Deo habemus, estne certa & immobilis?

Resp: Spes ex parte Dei cui confidimus, & à quo salutem & media ad illam consequendam expectamus, certa atque immobilis est, quia Divinæ bonitati, misericordiæ, omnipotentiæ, atquè Dei innititur promiſsionibus quæ nunquam fallere poſsunt, unde Paulus Epist: 2. ad Timoth: cap: 1. inquit: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem*, quare etiam ab eodem Apostolo Hæbr: cap: 6. spes vocatur anchora animæ firma, ac tuta. Sed quia exitus spei nostræ, scilicet ipsa consecutio salutis, annexa est à Deo quibusdam conditionibus, quæ ex parte nostra incertæ sunt, videlicet; si Divinis cooperemur gratiis, si mandata Dei custodiamus, si in bono usque ad mortem perseveraverimus, quæ omnia cum incerta sint, ideo Apostolus Epist: ad Philip: cap: 2. omnibus præcipit. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Spes itaque ex parte nostra incerta est.

Quæres 4to: Utrum virtus spei, sit cuilibet ad salutem neceſsaria?

Resp: Virtus spei cuilibet adulto est ad salutem neceſsaria. Vel enim homo adultus est justus, vel peccator. Porro utrique ad salutem spes est neceſsaria. Et quidem peccatori, quia spes in adulto est omnino neceſsaria ad justificationem, hocquè inter alia à peccatoribus exigit Concilium Tridentinum Seſs: 6. Cap: 6. *ut in spem erigantur, fidentes sibi Deum propitium fore*, quare sine spe obtinendæ á Deo per Christi merita veniæ, nullus peccator justificari, ac proinde nec salvari poterit. Est ergo peccatori spes ad salutem neceſsaria. Sed est quoquè & justo neceſsaria, illa siquidem seclusa, gratias ad perseverandum in bono neceſsarias, justus, nec ut par est postulare, nec illas aſsequi valet. Unde S. Jacobus Apostolus cap: 1. postquam præmonuerat postulandum eſse à Deo in fide nihil hæsitando, illumquè qui hæsitat similem

lem eſse dixerit fluctui maris, quià ventis circumfertur, statim subjungit. *Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.* Cum itaqué justus salvari nequeat nisi in bono ad finem perseveret, & perseverare nequit sine gratia, hanc autem nec pie postulare, nequè consequi potest sine spe firma, ergo illi ad salutem omnino neceſsaria est. Unde etiam datur ſpeciale Divinum Spei præceptum, quo non solum ea à Deo prohibentur quæ Spei contraria sunt, sed etiam actus ejusdem virtutis imperantur, quos in iisdem circumstantiis elicere tenemur, in quibus & actus fidei renovare obligamur. Istiusmodi namquè virtutes stricto vinculo secum colliguntur.

Quæres 5to: Quæ sunt peccata Spei opposita?

Resp: Duo sunt peccata Spei opposita, præsumptio ſcilicet, & desperatio. *Præsumptio*, est inordinata fiducia obtinendi salutem æternam aliter; quam Deus statuit eſse illam obtinendam, scilicet non adhibendo illa media, quæ ex Divina ordinatione ad salutem consequendam omnino neceſsaria sunt *exg*: nolle à peccatis resipiscere, nolle pænitere, arbitrari quod per unum bonum verbum *peccavi*, remiſsio omnium peccatorum á Deo obtineri poſsit, per quosdam breves, quotidie recitari solitas Orationes salus consequatur, dum interim carnaliter ac mundane vivitur, quod sine bonis operibus, sine Christianis virtutibus, Cælestem obtinere beatitudinem valeamus. Talis præsumptio grande & perniciosiſsimum est peccatum, quia ſegnitiem, & torporem spiritualem parit, à bonis operibus abstrahit, & ad finalem impænitentiam perducit. Et hujus letalis præsumptionis rei sunt & illi, qui ex ſpe misericordiæ Dei, vel in peccatis ſordescunt, vel postquam in unum mortale lapsi sunt, alia plura perpetrant, hoc prætextu, quod tam facilis sit plurium, quam unius venia. *Desperatio* est voluntaria animi dejectio per quam abjicitur ſpes consequendæ beatitudinis æternæ, propter falso existimatam impoſsibilitatem illius obtinendæ, ut cum quis cum Cain exclamat: *major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*, aut cum aliquis apprehendit peccati fugam, mandatorum Dei observationem adeo difficilem eſse, unde reputat fieri minime poſse, ut illa evitare, ista adimplere valeat. Grave est peccatum, á servitio divino, à cura salutis avertit. Sunt tamen homines conscientiæ timidioris, qui se aliquando desperationis accusant, plerumquè tamen aut nullum aut inperfectum nonnisi præstant consensum turbulentis, quibus concutiuntur, despera-

tionis motibus, unde veritatem explorare necefse est, inquirendo an consveta pietatis officia intermifserit. Si enim ut solebat iis satisfecerit, judicandus est non consensifse; quia desperatio ab exercitio bonorum operum retrahit, si vero illa neglexerit, præsertim urgente præcepto, tunc pro neglientiæ gradu, & præcepti gravitate plus, aut minus consensifse reputabitur.

Quæres 6to: Quid sit Charitas?

Resp: Charitas *est virtus á Deo cordibus nostris infusa, qua Deum propter se, super omnia, & proximum, ac cætera alia propter Deum, diligimus.* Charitas itaquè cordibus nostris á Deo infunditur, quia tanta virtus propriis nostris viribus acquiri nequit, unde Paulus Rom: Cap: 5 inquit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Objectum autem charitatis primarium est Deus, quem propter se diligimus, seu Deum propter Deum ipsum, propter infinitam ejus bonitatem, atquê amabilitatem: fecundarium vero est proximus, nos ipsi, ac cætera omnia, quæ propter Deum diligimus, motivum enim & ratio cur nos ipsos, proximum, ac cætera alia diligimus est ipse Deus, qui in omnibus fplendet, & elucescit. Unde S. Augustinus libro 8. de Trinitate Cap: 8. ait: *Ex una eademquè charitate Deum, proximumquè diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.*

Quæres 7mo: Utrum detur præceptum charitatis Dei, & proximi?

Resp: Certum est dari fpeciale præceptum, quo tenemur & Deum diligere, & proximum. Ait namquè Christus Math: Cap: 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Atquè ea diligendi proximi obligatio, ad ipsos etiam inimicos extenditur. Unde Math: Cap: 5. dicit Christus: *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros.* Et hæc præcepta omni tempore obligant, quia & nihil unquam agere licet, quod Dei & proximi charitati adversetur, & certis quibusdam temporibus, ac fæpifsime in vita tenemur actus Charitatis erga Deum elicere, nostrumquè erga illum amorem testari. Quare Deut: Cap: 6. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum, eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens.* Certe si

præ-

præceptum de diligendo Deo die ac nocte, in domo ac in itinere meditandum est, crebro igitur ac ſæpiſsime in vita adimplendum est, elicitis actibus amorem illius profitendo.

Quæres 8vo: In quibus præcipue casibus tenemur actus charitatis erga Deum elicere?

Resp: Sunt casus non pauci in quibus ſpeciali modo tenemur per elicitos actus amorem nostrum erga Deum testificari, & quidem *1mo*: quando homo pervenit ad uſum rationis, tunc enim tenetur homo se ad Deum convertere, eum tanquam supremum suum Dominum ac omne bonum ſuum agnoscere, ipsiquè primum ſacrificium cordis sui per intensam charitatem offerre. Et ad hoc parvuli tempestive præparari debent, ipsisquè frequenter Deus ut optimus ac maximus, ejusquè amor ac dilectio inculcanda sunt. *2do:* In quolibet probabili mortis periculo, quia tunc sincero Dei amore, atquè ardenti charitate muniendum est cor nostrum, adversus tentationes quæ in hoc momento maxime desæviunt. *3tio*: Cum gravis imminet tentatio, ad vitandum grave quodpiam peccatum, actus charitatis erga Deum eliciendus est, humiliter expostulando ut nos sibi inseparabili dilectionis jungat vinculo, & nulla tentatione à se separari permittat, *4to:* Cum suscipienda ſunt Sacramenta, & quando in casu neceſsitatis, cum deficit copia Confeſsarii, elicienda est contritio, quia & contritio perfecta sine ardenti charitate Dei eſse nequit, & ad Sacramenta rite ſuscipienda, amor Dei optima est, & neceſsaria dispositio.

Hujus autem erga Deum charitatis qualitates quatuor sunt. Debet enim eſse *1mo:* interior, quia debet eſse *ex toto corde, in tota anima, in tota mente* Math: Cap: 22: *2do:* summa, quia nihil magis, ac amplius diligere debemus quam Deum, namquè *qui amat Patrem, aut Matrem plus quam me, non est me dignus* inquit Salvator Math: Cap: 10. *3tio*: gratuita scilicet non ob mercedem, & remunerationem nobis à Deo provenientem, sed propter ipsius intrinsecam bonitatem, & amabilitatem. Unde S. Bernardus libro de diligendo Deo, sic inquit. *Causa diligendi Deum, Deus est, non sine præmio diligitur Deus, etsi absquè præmii intuitu diligendus sit.* *4to*; Efficax & in opere universalis. Nequè enim charitas Dei est mera in divinis perfectionibus complacentia, sed affectus voluntatis efficaciter movens ad faciendum id omne, quod Deus à nobis exigit, ad id omne vitandum, quod

ipse

ipse prohibet, quapropter verus Dei amor includit propositum omnibus Dei mandatis adhærendi, quare 1. Joan: Cap: 5. dicitur: *Hœc est Charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.*

Quæres 9no: Qualis debet eſse amor, quo proximum diligere tenemur?

Resp. Amor quo proximum diligere debemus, debet eſse *1mo internus*, quia unusquisquè tenetur proximum diligere sicut seipsum. Porrò nemo est, qui se ipsum non diligat amore interno, tali ergo etiam amore & proximum diligere debet. Unde amor noster erga proximum eſse debet affectivus, in benevolo voluntatis nostro consistens affectu, atquê propensione erga ipsum sincera, quare qui exterius tantummodo proximo amoris demonstrat signa, sine interiori benevolentiæ affectu, verum erga proximum amorem non habet. Hinc damnatæ sunt istæ ab Innocentio XI. propositiones. *Non tenemur proximum diligere actu interno. Præcepto proximum diligendi satisfacere poſsumus per solos actus externos. 2do: Sanctus*, scilicet ut sicut nos ipsos, ita & proximum propter Deum diligamus, unde inquit Augustinus. *Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico*, quare amor quo Maritus uxorem, Pater filium, Amicus amicum ex naturali propensione diligit, licetsi honestus sit, multum tamen ab illo distat Sancto amore, quo ex divino præcepto, proximum propter Deum diligere tenemur. Quare etiam neceſsè est, ut non diligamus proximum propter nostram utilitatem, aut delectationem, aut ſatisfactionem, qui enim sic diligit, non proximum, sed semetipsum diligit. *3tio*: Debet eſse *justus*, ad hoc autem requiritur ut nemo condescendat proximo ſuo in iis quæ illicita ac prohibita ſunt, sed ſolum in illis quæ honesta, ac bona sunt. *4to: effectivus* quia ſæpe tenemur ex amore proximo ſuccurere, sivè in ſpiritualibus, sivè in corporalibus neceſsitatem patienti. Unde 1. Joan: Cap: 3. dicitur. *Non diligamus verbo, nequè lingva, sed opere, & veritate.*

Quæres 10mo: Utrum in Charitate aliquis ordo tenendus sit?

Resp: In charitate, ut recta, Sancta, ac justa sit, debitus ordo ſervari debet. Nequè enim ea quæ diligenda sunt, nequè illa quæ iis, quos diligimus, optanda aut largienda sunt, æqualia sunt, ordo ergo in his omnibus ſervandus est. Unde S. Augustinus lib: 1. de Doctr: Christ: Cap

Cap: 27. sic inquit: *Jlle juste, & sancte vivit, qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat, quod est minus diligendum, aut æque diligat, quod vel minus, vel amplius diligendum est.*

Duplex est autem ordo in charitate servandus. alter in personis, alter in bonis. In personis homo amare debet. 1mo: Deum, utpote principium, ac finem ultimum omnium rerum. 2do: Se ipsum 3tio: Cæteros homines. In bonis autem primum locum tenere debent bona supernaturalia, ac spiritualia, secundum, bona naturalia, ut vita, sanitas, integritas membrorum, tertium vero bona externa, & temporalia, honor, fama, opes. Item bonum commune majus est bono privato, quia bonum commune est bonum totius, bonum privatum, est bonum partis, sicut autem totum est majus ſua parte, ita etiam bonum totius, majus est bono partis, atque illi præferri debet.

Quæres 1mo: An, & quomodo quisque se ipsum magis quam proximum diligere tenetur?

Resp: Unusquisque se ipsum magis quam proximum diligere tenetur. Nam Math. Cap: 22. dicit Christus: *Diliges proximum sicut te ipsum.* Ubi dilectio sui proponitur veluti regula, & exemplar amoris proximi, est igitur illo prior & potior. Certe homo cum sit magis sibi quam alteri conjunctus, magis naturaliter inclinatur ad sui dilectionem, quam alterius cujusvis. Unde illud. Eccles: Cap. 4. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?*

Hinc 1mo: quisque tenetur se proximo præferre in bonis spiritualibus, sibi potius quam cuilibet alteri desiderando, & comparando Dei gratias, Christianas virtutes, bona merita, ac præcipue salutem æternam. Hæc enim ſunt bona omnium maxima & cæteris omnibus maxime necesſaria. Quod etiam Christi indicant verba: Math. Cap: 16. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur:* quibus Salvator commonet nos, ut ante omnia saluti nostræ studeamus, atque ei provideamus. Quare ob spirituale proximi bonum, non licet se proximo peccandi exponere periculo, quia peccare, & proximo peccandi periculo se exponere, idem est. Porro nunquam licet ob bonum proximi spirituale peccare. Ergo neque licet peccati proximo se exponere periculo: quia ut inquit Apostolus, Roman: Cap: 3. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

2do: In quacunque etiam corporali necesſitate æquali, licet

licet sibi potius subvenire, quam alteri. Nam nemo tenetur alterum plus diligere, quam se ipsum. Porro in æquali necessitate alteri subvenire, & se ipsum negligere, esset plus alterum quam se ipsum diligere. Unde nemo tenetur vitam suam corporalem, & bona conservationi ejus necessaria, amissioni exponere ad vitam alterius conservandam. Unde dicit August: libro de mendacio Cap: 6. *Si quis pro alterius vita temporali suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut se ipsum, sed plus quam se ipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit.* Verum aliquando necessarium est, ut homo privatus vitam suam exponat pro servanda vita Principis, aut alterius qui conservandæ Reipublicæ summe necessarius est, aut cum aliter malum communitati imminens averti nequit. Sed & licitum est exponere se probabili mortis periculo, ut proximus certissime eripiatur morti, quia periculum incertum mortis unius, minus est malum quam mors certissima alterius. Imo licet certi se exponere morti ad alterius sibi plane æqualis servandam si id fiat ex motivo veræ Christianæ charitatis, puta quia sic proximus subtrahetur damnationi æternæ, aut insigne animi bene memoris exhibebitur exemplum, conservando vitam patris, alteriusve à quo multa beneficia recepta sunt, quia tunc vel vita temporalis traditur pro vita proximi æterna, quæ longe illa est excellentior, vel exercetur actus perfectissimæ charitatis, cujus meritum omnia temporalia excedit bona, quare Christus Joan. Cap: 15. inquit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quare licet mortem sustinere ab injusto invasore, cui mortem inferre posses, quia sic consulis æternæ illius saluti. Sic etiam posses in naufragio alteri dimittere tabulam, qua ipse salvari posses.

Quæres 12mo: Utrum bona proximi spiritualia, bonis nostris temporalibus præferre teneamur?

Resp: Bona proximi spiritualia, tenemur præferre bonis nostris temporalibus. Quia bona spiritualia majoris sunt prætii, quam temporalia, rectus autem ordo postulat, ut præstantiora vilioribus præferantur. Certe proximum diligere debemus quemadmodum nos ipsos, sicuti ergo bona nostra spiritualia, nostris temporalibus præferre, ita etiam bona proximi spiritualia, nostris temporalibus anteponere debemus.

Hinc 1mo: proximo in extrema spirituali necessitate existenti, tenemur subvenire etiam cum vitæ nostræ

peri-

periculo, si spes sit, quod juvari poſsit. Enimvero tenemur proximum ita diligere, sicut dilexit nos Christus, ut ipse ait Salvator Joan. Cap: 13. Porro sic nos Christus dilexit, ut vitam ſuam pro salute nostra daret, ergo quemadmodum infert. S. Joannes Apostolus Epist: 1. Cap: 3. *& nos debemus pro fratribus animas ponere*: Unde infanti è Christianis Parentibus nato, & qui alioqui sine baptismo moriturus sit, subveniendum est cum propriæ vitæ periculo, defendendam eſse cum vitæ tuæ periculo vitam adulti, qui dormiens, nihil cogitans, occidendus est, quem instatu peccati mortalis certo moraliter scis eſse. Haud tamen ut alteri ſubvenias, quidquam facere licet, quo tibimet ipsi mortem directe inferre videaris, quapropter ut puerum baptises, non potes te in aquam præcipitem dare, si nulla affulgeat spes evadendi, eſset enim hoc directa ſui occisio, lege Dei prohibita.

Non tenemur tamen proximo in extrema spirituali neceſsitate posito, opitulari, cum valde probabile est inutilem ei fore nostram operam exg. si infantulus nondum baptisatus ante certo moraliter flammis debeat ſuffocari, quam ad eum perveniri poſsit. Unde ut proximo in extrema spirituali neceſsitate posito, cum periculo vitæ ſubvenire teneamur, oportet ut prudenter judicemus nos illi profuturos, quia nemo tenetur ad opus prorsus inutile, aut quod prudenter tale fore præsumitur, maxime cum illud fieri nequeat, nisi cum proprio gravi damno. Pariter si valde probabile sit, operam nostram alteri non eſse neceſsariam, non tenemur ei ſuppetias ferre, cum certo vitæ nostræ periculo.

2do: In gravi autem non vero extrema spirituali neceſsitate, cum vitæ periculo non tenemur aliis ſuccurrere, nisi ad ſuccurrendum iis ratione officii obligati simus, aut neceſsitas sit communis. Quia non exigit charitas ut morti quis se exponat, ad liberandum, ac succurrendum ei, qui potest se ipsum liberare, & sibi consulere. Porro qui in gravi solum positus est neceſsitate, se ipsum ab ea liberare potest, sibi consulere valet. Ergo non est neceſse ut cum vitæ periculo, illi ſucurratur. Attamen etiam cum gravi aliquo temporali damno ei ſuccurrendum est. Exigit enim ordo charitatis, ut magis diligamus proximum in spiritualibus, quam nosmetipsos in temporalibus. Igitur neceſse est, ut spiritualem, eamque gravem proximi neceſsitatem ab eo removeamus, cum gravi etiam proprio damno

damno temporali, ita ut comparetur gravitas necefsitatis amovendæ, cum gravitate damni ſubeundi.

Verum qui ex officio proximis ſubvenire tenentur, ij in gravi, licet non extrema spirituali necefsitate, etiam cum vitæ ſuæ periculo, proximo ſuccurrere tenentur, quare Parochus peste infectis ovibus suis, non solum Baptismum, ſed & alia, videlicet Pænitentiæ, aut Extremæ Unctionis Sacramenta ministrare tenetur. Licetsi enim hæc absolute ad salutem necefsaria non sint, graviter tamen necefsaria sunt. Parochus autem ex Officio & munere ſuo Sacramenta ovibus ſuis ministrare tenetur, non solum illa quæ absolute, ſed & quæ graviter necefsaria ſunt.

Præterea cum etsi gravis solum spiritualis occurrit necefsitas, ſed communis, talem nempe afficiens communitatem, tunc quoque quilibet, qui potest, cum vitæ etiam periculo ſuccurrere tenetur, quia cum communitas gravi præmitur necefsitate, multi privati extrema constringuntur, & multum probabile est illos perire, ipsis ergo omnibus modis ſuccurrendum est. Et vero, periculum vitæ alicujus privati minus est malum, quam gravis totius multitudinis spiritualis necefsitas, quæ proinde non minoris æstimanda est, quam extrema privata necefsitas, in hoc vero ſuccurrendum est etiam cum vitæ periculo, ergo & in illa. Quare si in persecutione, aut hostium incursione, plebs gravibus peccandi periculis exposita foret, teneretur etiam privatus ac simplex Sacerdos opem ferre, si deeſset, aut ex nimio timore recefsiſset proprius Parochus.

3tio: In ordinaria autem spirituali necefsitate existenti proximo, nemo tenetur ſuccurrere cum periculo ſuæ vitæ, imo nec cum gravi bonorum temporalium detrimento, quia necefsitas ordinaria, & communiter contingens, non est stricta necefsitas, quoniam qui eam patitur, multis modis ab ea se expedire poſsit, unde cum vitæ periculo ei ſubvenire nemo tenetur. Sed qui potest ipsi succurrere sine ullo, aut nonnisi cum exiguo suo damno, ad id obligatur, quia ut dicitur Eccles: Cap: 17. *Mandavit Deus unicuique de proximo ſuo.* Igitur proximo consulere debemus, cum facile poſsumus, poſsumus autem facile, cum vel sine ullo, vel nonnisi cum exiguo damno id præstare valemus.

Quæres 13tio: *Utrum æqualiter omnes proximos deligere tenemur?*

Resp: Oportet unum proximum magis, quam alium dili-

diligere, unde non omnes æqualiter ſunt diligendi, quia neque cum omnibus æqualiter conjuncti ſumus, & aliis plus, aliis minus debemus, hinc alios magis, alios minus ſtricte diligere tenemur.

Quæres 14to: Quo ergo ordine diligendi ſunt proximi?

Resp: In eodem bonorum, & neceſsitatum genere, qui nobis conjuncti ſunt ſeu ſangvine, ſeu amicitia, officio, religione, aut convictu, extraneis præferri debent, quia charitatis præceptum non deſtruit, ſed perficit naturam. Porro natura rationalis conſtanter ad hoc inclinat; ut plus eos diligamus, qui ſtrictius nobis conjuncti ſunt, quam extraneos. Unde Apoſtolus 2. Timoth. Cap: 5. inquit: *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Quodſi in eodem quidem bonorum genere, ſed in diverſa conſtituantur extranei cum nobis conjunctis neceſsitate, quia exg. extraneus, gravem, conjunctus vero ordinariam patitur neceſsitatem, extraneo potius, quam ei qui nobis conjunctus eſt, ſuccurrendum erit. Rurſus ſi ambo gravi neceſsitate laborent, ſed extraneus ſpirituali, conſangvineus vero corporali, erit is dimittendus, ut alteri provideatur. Quia hæc agendi ratio charitati congruit, oppoſita, ei adverſatur.

E conjunctis vero in eodem bonorum, ac neceſsitatum genere, ij aliis præferri debent, qui nobis propinquiores ſunt, & ex æque propinquis, illi qui ſunt digniores, quia propinquiores magis nobis conjuncti ſunt, & digniores plus ſunt diligibiles. Per accidens tamen fieri poteſt, ut plus charitatis & ſubſidii dignioribus, quam propinquioribus debeatur, ſi exg. plus boni ſive ſpiritualis, ſive temporalis ab illis recepimus, quam ab his, ac proinde magis debitores ſumus dignioribus, quam propinquioribus.

Conjunctio autem ſangvinis, omnium prima eſt & immobilis. Aliæ vero conjuctiones quæ fundantur in ejusdem loci incolatu, in ejusdem religionis profeſsione, poſteriores ſunt, ac mutabiles. Quare illi qui nobis ſangvine conjuncti ſunt, cæteris ex alia ratione connexis præferri debent. Unde parentes carnales, ſpiritualibus in eadem neceſsitate anteponendi ſunt.

Hæc autem ut melius intelligantur, & fortius teneantur, inter conſangvineos iſte ſtatuedus eſt ordo. 1mo: Aliis omnibus præferendi ſunt parentes etiam propriis liberis, quia unusquisque plura beneficia accepit à Parentibus, quam à liberis. 2do: Pater præferendus eſt matri,

quia

quia nobilius est prolis principium. 3tio: Uterque parens præferendus est uxori, & patri, ac matri magis fuccurrendum est quam uxori, quia licetsi maritus ac uxor sint una caro, ac propterea pater & mater dimitti debeant, ut adhereatur uxori, attamen quoniam plus debet maritus suis Parentibus, quam propriæ uxori, illos ipsi præferre debet. 4to: Uxor à marito præferenda est liberis, & à Parentibus liberi præferendi funt fratribus ac sororibus. Uxor enim utpote una cum marito caro, eidem conjunctior est, quam liberi, liberi vero propiores funt fuis Parentibus & plus cum illis necefsitudinis habent, quam eorum fratres, sive sorores, iis ergo præferri debent. 5to tandem, fratres cognatis, & ex iis viciniores remotioribus anteponendi sunt. Unde in pari necefsitate patrem matri, matrem uxori, uxorem filiis, filios fratribus, fratres consangvineis, consangvineos pro suo unumquemque gradu præferre debemus. Attamen istiusmododi ordo nonnisi in casibus extremæ necefsitatis teneri debet, nam extra casum extremæ necefsitatis, debet uxor maritum, & maritus uxorem præferre patri, atque matri, & parentes proprios liberos, suis parentibus, ut enim dicit Apostolus 2. Corinth. Cap: 12. *Non debent filii parentibus thesaurisare, sed parentes filiis.* Pofsunt etiam exigere circumstantiæ, ut alteri præferatur, qui naturaliter deberet postponi. Sic mater bona, & quæ prolis sedulam curam gerit, anteponenda erit patri, qui helluo est, & uxori clamosæ ac inutili, filius in temporalibus pene necefsarius.

ARTICULUS 5tius

De operibus ex charitate proximo debitis.

Quæres 1mo: Quæ sunt opera, quæ ex charitate proximo exhibere tenemur?

Resp: Duo funt præcipua istiusmodi opera, videlicet eleemosyna, & correctio fraterna.

Quæres 2do: Quid sit eleemosyna?

Resp: Eleemosyna est illud omne quod ex misericordia datur indigenti, ad sublevandam ejus necefsitatem. Dari divinum de eroganda eleemosyna præceptum, indubitatum & fide certum est. Namque Prov: Cap: 12 dicitur. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.* & Eccles: Cap: 4. *Eleemosynam*

synam pauperis ne defraudes, & occulos tuos ne transvertas à paupere. Certe eleemosynæ largitionem ad salutem consequendam eſse necefsariam, verba Christi quæ in extremo judicio prolaturus est, clarifsime indicant, dicet enim his qui à dextris constituentur. *Venite benedicti Patris mei, pofsidete paratum vobis regnum. Esurivi enim & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere* & iterum ad eos qui à sinistris erunt. *Ite maledicti in ignem æternum, esurivi enim & non dedistis mihi manducare.* Ex quibus manifestifsimum est, per opera misericordiæ regnum cœlorum promereri, & qui illa negligunt, ac prætermittunt in æternum damnari, ſunt ergo ad salutem consequendam omnino necefsaria. Et certe sine eleemosyna, præceptum charitatis erga Deum, & erga proximum impleri nequit, quemadmodum docet S. Joannes. Epist. 1. Cap: 3. *Qui habuerit ſubstantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necefsitatem habere, & clauserit viscera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Sicuti ergo graviter tenemur Deum & proximum diligere, ita pariter obligamur opera misericordiæ proximis nostris exhibere.

Quæres 3tio: Ex qualibus bonis, & quibus eleemosyna est elargienda?

Resp: Bona quæ pofsidentur duplicis generis ſunt, alia ſunt necefsaria, alia superflua. Porro tam necefsarium, quam ſuperfluum, aliud est respectu naturæ, aliud est respectu statûs. Necefsarium naturæ dicitur illud, sine quo non potest aliquis sustentare vitam suam, & suorum id est eorum quos alere tenetur, cujusmodi sunt parentes, uxor, filii, filiæque, ac domestici, qui absolute dimitti non possunt, qui enim absolute dimitti possunt, magis ad decentiam statûs pertinent, quam ad conservationem naturæ. Hinc superfluum naturæ est id sine quo potest quis se, & suos sustentare.

Necessarium statûs, est illud sine quo non potest quis decenter vivere secundum conditionem suam, Unde superfluum statûs id est sine quo quis potest vivere secundum decentiam sui statûs. Sed quæ vitæ secundum decentiam statûs transigendæ omnino necessaria, quæ eidem superflua censeri debeant, hoc difficillime determinari potest, istud enim non consistit in indivisibili, sed moraliter accipiendum est, & viri prudentis atque conscientiosi judicio definiri debet. Verum ut prudenter determinetur, quæ sunt statui necessaria, quæ autem ſuperflua, habenda

est ratio non solum temporis præsentis sed & futuri. Unde necessarium judicari potest id, quod licet nunc necessarium non sit, probabiliter tamen intra aliquot menses & annos futurum est necefsarium, pro infirmitatibus, senectute, filiarum edotatione, filiorum in competenti statu locatione, imo & pro augendo decenter patrimonio, vel etiam sui statûs. Sed hic duo cavenda sunt. *1mum* ut non attendatur necefsitas futura imaginaria, quæ forte nunquam eveniet, fed vera & probabilis. Non enim debet homo considerare omnes casus, qui pofsunt accidere in futurum, sed ea debet advertere quæ communiter, & ut plurimum evenire solent. *2dum* Spes altioris statûs tunc considerari debet quando est probabilis & bene fundata, non vero mere pofsibilis, ac proinde inniti debet non cupiditati ambitionis, sed meritis, & capacitati.

Ii autem quibus largienda est eleemosyna in triplici efse pofsunt necefsitate, scilicet: vel in extrema, vel gravi, aut etiam communi. In extrema funt necefsitate illi, qui propter defectum cibi, potûs, vestitûs, aut alterius rei, evidenti subjacent mortis periculo, sive statim sive in posterum morituri. In necefsitate gravi illi sunt, qui versantur in periculo damni alicujus notabilis exg. gravis morbi, longæ infirmitatis, aut ad eam redacti funt inopiam ut decentiam statûs sui vel nullatenus, vel nonnisi cum gravi difficultate servare pofsint. Tandem in communi necefsitate funt illi, qui vera quidem laborant indigentia, fed nulli aut mortis, morbi, damnique, vel è statu fuo prolabendi subjacent periculo. Tales funt ii, qui de aliorum misericordia vivunt. Etsi enim illi valde indigeant, tantumque videntur poscere necefsaria ad vitam tenuiter fustentandam, quia tamen ab omnibus petunt, & a multis accipiunt, non sunt in gravi necefsitate, sed in communi.

Itaque *1mo:* in extrema necessitate constitutis eleemosyna largienda est, atque illis succurrendum ex bonis quæ naturæ & vitæ superflua funt, licet ad decentiam status sint necessaria. Namque illi in extrema necefsitate versari censentur, qui constituti sunt in periculo amittendi vitam, aut etiam totius famæ, omnium bonorum. Bona autem ad solam decentiam statûs necefsaria, sunt longe inferioris conditionis iis bonis, quorum jacturam pati debent, qui extrema præmuntur necessitate. Ergo illis succurrere unusquisque sub mortali tenetur, etiam cum gravi bonorum suorum damno, atque ideo de statûs

sui

sui splendore, famulorum numero, vestium, ac domorum ornatu detrahere debet.

2do: In necessitete gravi constitutis largienda est eleemosyna, illisque succurrendum est, ex iis bonis, quæ ad statûs decentiam aliquomodo sunt necessaria. Enimvero ex charitate à Deo nobis præcepta, tenetur quilibet id proximo præstare, quod sibi ab aliis præstari rationabiliter vellet. Porro quilibet in gravi necessitate constitutus, rationabiliter ab aliis exigere potest, ut sibi succurratur etiam cum aliquo suo incommodo, molestia, jacturaque longe minori, quam est illa, quam ipse patitur. Idem ergo aliis in paribus circumstantiis constitutis præstare debet. Certe aliquid etiam notabile detrahere de splendore statui suo convenienti, de vestium ornatu, lautitia mensæ, longe minus est incommodum, quam sit illa egestas, ac miseria, qua premuntur, qui in gravi necefsitate constituti sunt.

Quemadmodum vero gravitas necessitatis suam habet latitudinem, sic & imminutio decentiæ statûs, aliquando major, aliquando minor esse debet, ita ut tanto minus sibi ex hac parte concedant divites, quanto plus ex alia parte indigent pauperes. Attamen sunt quædam ad statûs decentiam adeo requisita, ut nemo iis carere teneatur, nisi quando extremæ necessitati succurrendum est.

3tio: Jllis qui in communi necessitate existunt subvenire necesse est, ex iis quæ naturæ & statui superflua sunt. Enimvero Deut. Cap: 15. dicitur. *Præcipio tibi u aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi.* & Paulus 1. ad Timoth. Cap: 6. inquit. *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere.* Omni ergo pauperi, ac proinde in communi etiam, & ordinaria necessitate existenti, & quidem facile, ac prompte non gravem, non extremam necessitatem expectando, & manum ad largiendam eleemosynam aperire, & subsidium tribuere necesse est. Ergo & in communi, atque ordinaria necessitate existentibus succurrendum est.

Quæres 4to: Utrum hæc triplex indigentibus succurrendi obligatio, sub gravi obliget?

Resp: Reipsa ſub gravi atquè mortali peccato obligat. Hæc enim obligatio oritur, & ex graviſsimo charitatis Deo & proximo debita Divino mandato, & ex ſpeciali Dei præcepto quo indigentibus ſuccurrere stricte obligamur. Et id ex verbis Christi Math: cap: 25. manifestiſsime evincitur. *Discedite à me*, dicet Salvator in extremo judicio.

cio. *Ite maledicti in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi & non dedistis mihi potum. Hospes eram & non collegistis me, nudus & non cooperuistis me, infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* Quibus damnantur non solum illi qui in extrema, aut gravissima necessitate positis non succurrunt, esurientibus escam, & sitientibus potum non præbendo, sed & ii qui communem & ordinariam necessitatem patientibus, non opitulantur, nudos non operiunt, hospites non colligunt, infirmos, & in carcere detentos non visitant. Cum itaquè damnationi æternæ subiaceant omnes illi, qui in necessitate positis sivè extrema, sive gravi, sive etiam communi, non succurunt; in hac ergo triplici necessitate constitutis, suppetias ferre sub gravi obligamur.

Quæres 5to: Qui possunt facere eleemosynas, & quibus largienda est?

Resp: Illi eleemosynas facere possunt, qui & dominium bonorum, & liberam eorum administrationem habent. Unde Prov: Cap: 3. dicitur: *Honora Dominum de tua substantia.* Non licet ergo eleemosynas facere de bonis alienis, quia nemo potest donare quod suum non est. Hinc non possunt eleemosynas facere. *1mo:* Servi ex bonis dominorum suorum nisi legitime consensum eorum, aut ratihabitionem præsumant, ex iis tamen quæ sua sunt, sive bonis, sive pretio quo conducti sunt, eleemosynas dare valent. *2do:* Filii ac filiæ ex bonis Parentum eleemosynas iis invitis facere nequeunt, possunt tamen dare minora quædam, panem exg: quæ non inferunt sensibile damnum, de quibus satis constare potest, quod Parentibus placeat. Si etiam à domo paterna studiorum causa absint, aut illorum negotia gerant, possunt eas erogare eleemosynas, quas solent alii ejusdem conditionis facere. Idem est si filius parce vivendo, aliquid de iis quæ sibi ad victum concessa sunt, reservet, hujus enim proprietatem habet, unde id in eleemosynas erogare valet. Quod si filius bona quædam possideat, quorum & dominium, & plenam administrationem tenet, de iis, invitis etiam Parentibus eleemosynas facere valet, quia ipsius propria sunt. *3tio:* Uxor ex bonis viri dispositioni subiectis, qualis est etiam dos ab illa allata, eleemosynas dare non debet sine consensu viri vel expresso vel præsumpto, sed si præter dotem, habeat res alias, vel ex proprio lucro, aut quocunquè alio licito modo, potest dare eleemosynas non requisito consensu viri, moderatas tamen, ne ex

eorum

eorum ſuperfluitate vir depauperetur. Unde uxor eleemosynas erogare potest, & debet cum poſsidet bona, ut dicitur paraphernalia, quæ scilicet vel à Parentibus præter dotem, vel ab aliis, in proprios usus ipsi conceſsa ſunt. Præterea cum ſufficientem viro attulit dotem, & nihilominus arte, vel industria quædam lucratur, absquè eo quod debitam familiæ administrationem deserat, de his enim libere disponere potest. Tandem licet uxor nihil præter dotem habeat, potest tamen modicas facere eleemosynas, quas ex usu & consvetudine loci, ejusdem conditionis fæminæ facere consveverunt, quod licet aliquando Maritus prohibeat, præsumendus est exceſsum solum prohibere.

Largienda autem eleemosyna est, hominibus etiam facinorosis, si vere indigent. Namquè Tobiæ Cap: 4. dicitur: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere* & ad Rom: Cap: 12. inquit Paulus. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Nullus ergo vere indigens sive justus, sive scelestus, ab eleemosyna est excludendus. Unde Lucæ cap: 6. ait Christus: *Omni petenti te, tribue.* Verum pauperibus qui voluntate otii tales sunt, subtrahenda est eleemosyna, quia istiusmodi homines non sunt vere egeni, ac proinde non licet eis ex eleemosyna vivere, cum ex proprio labore vivere valeant. Præterea eleemosyna fovet eorum ignaviam, quæ vitiorum omnium mater est, quare vel nulla, vel modica, nec ita facile illis tribuenda est eleemosyna.

Qui vero simulata paupertate eleemosynam recipiunt, & peccant, quia veris pauperibus nocent, & ad restituendum quidquid acceperunt tenentur, sive pauperibus aliis, si modica sit, iisquè perinde ac ipsis data fuiſset, sive ei, qui dedit, si tanta sit, ut prudenter judicari poſsit, hanc ab eo aliis donandam non fuiſse, ſed huic ideo solum conceſsam fuiſse, quia hoc modo ſuam ementitam exposuerat paupertatem.

Quæres 6to: Qualis debeat eſse eleemosyna, ut sit Deo placens, & danti fructuosa?

Resp: Septem numerantur conditiones. Et quidem *1mo*: debet eſse *justa*, id est ex bonis propriis, non vero alienis: maxime ut non sit ex rapina pauperum. Nam *qui offert Sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*: Eccles: Cap: 34. *2do: discreta* ita ut detur iis, quibus danda est, & ex illis quibus datur, ii aliis præferantur, qui præferri debent, vi-

delicet consangvinei propinquiores remotioribus, remotiores extraneis, justi peccatoribus. *3tio: liberalis*, & copiosa secundum uniuscuiusque facultatem, ut egenos inter & locupletes aliqua *fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum non abundavit, & qui modicum non minoravit.* 2. Corinth: cap: 8. Non ergo sufficit quod dives, atquè locuples homo aliquando obolum unum, huic, alterique tribuat pauperi, sed integrè servari debet regula à S. Tobia seniore, juniori tradita cap: 4. *Quomodo potueris, esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. 4to: Prompta*, non quasi per vim extorta. *Ne dicas amico tuo: Vade & revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Prov: Cap: 3. Hinc Job pater pauperum inquit: *Si negavi quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci* Perdunt ergo magna ex parte eleemosynæ meritum, qui ob solam pauperis importunitatem, stipem donant, *Non enim perfecta est eleemosyna, quæ precibus extorquetur*, inquit Augustinus Homil: 39. Sed & illi multum decipiuntur, qui post extrema fata eleemosynam dandam reservant, non multum enim meretur, qui dat id, quod iam retinere non valet. *5to*: Fieri debet cum *hilaritate*, ut docet Apostolus 2. Corint: Cap: 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Unde S. Augustinus in Psal: 42. sic inquit: *Si panem dederis tristis, panem & meritum perdidisti. 6to*: Cum *humilitate*: quare Christus Math: Cap: 6. ait: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt.* Haud tamen latebras quærere semper debet Christianus, ut egenis succurrat, quia etiam exemplum Charitatis aliis prebere debet. *7mo:* Plena *urbanitatis* ac proinde ab omni asperitatis, & contemptus sensu aliena esse debet. Nam ut habetur Proverb: Cap: 17 *Qui despicit pauperem exprobrat factori ejus.*

Quæres 7mo: Quid sit correctio fraterna?

Resp: Est monitio salutaris ex charitate facta, qua peccator ad emendationem inducitur. Differt à correptione paterna, qua, is, qui alio major & superior est, cum authoritate corripit delinquentem, tum ut is emendetur, tum ut aliorum tollatur scandalum, hæc enim & specialem supponit authoritatem in corripiente, & principaliter ordinatur ad bonum commune, correctio autem fraterna ad bonum spirituale privati refertur, & charitatem solum,

ac

ac prudentiam in corrigente, postulat, non vero aliquam requirit authoritatem.

Dari ſpeciale præceptum correctionis fraternæ manifestiſsimum est ex verbis Christi Math: Cap: 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum.* Sive autem contra nos, sive coram nobis deliquerit proximus admonendus est, quia ideo admoneri debet, ut ibidem inquit Salvator, ut lucremur animam ipsius. Quare inquit Augustinus *Legem corrigendi æternam, Catholicam, atque invariabilem omnibus Christianis indixit Deus.* Certe longe ante legem Evangelii scripserat Ecclesiasticus Cap: 19. *Corripe amicum ne iterum addat facere. Corripe proximum ne forte iteret.* Et hoc præceptum ex se obligat sub mortali, quia non minus, imo plus obligat præceptum correctionis fraternæ, quam præceptum eleemosynæ, quia neceſsitas ſpiritualis, cui subvenitur correctione fraterna, major & ponderosior est, quam neceſsitas corporalis, quæ eleemosyna sublevatur. Porro præceptum eleemosynæ ex se obligat sub mortali. Ergo etiam præceptum correctionis fraternæ obligat sub gravi.

Verum qui proximum venialiter solum peccantem non corripit, venialiter ſolum peccat, nisi tamen subsit morale periculum ne ex veniali sequatur mortale, vel grave scandalum aliorum, aut magnum damnum Spirituale in aliqua communitate. Quapropter qui Communitatibus præsunt, teneri sub mortali ad obsistendum culpis venialibus, quæ disciplinæ regularis, atquè Ecclesiasticæ vigorem notabiliter lædunt.

Porro sicut mortaliter aliquando peccat, qui venialibus culpis non obsistit, sic & venialiter aliquando peccat qui graves non coercet, ut si gravis peccati correctio omittatur ex inadvertentia minime craſsa, aut quando timor, & respectus tardiorem facit hominem ad corripienda delicta fratris. Tunc enim homo pudore quodam correptus, & timore amittendi bonum temporale, quod juste desiderat, non invenit verba, & modum quibus prudenter corrigat, sine his vero correctio sale ſapientiæ destituta, sæpius plus nocet, quam prosit.

Quæres 8vo: Quinam ad faciendam correctionem fraternam obligantur?

Resp: Ad faciendam fraternam correctionem omnis, qui ad illam præstandam habilis, ac idoneus est, obligatur. Quia ut habetur Eccles: cap: 17. *Deus mandavit unicuiquè de proximo suo.* Quare etiam illi, qui peccatis

obnoxii sunt, alios peccantes admonere & poſsunt, & tenentur. Etsi enim valde expediat, ut qui alios redarguit, ipse redargui non mereatur, fieri tamen potest, ut ipse utiliter arguat delinquentes, ad hoc enim ſufficit, rectum rationis judicium, prudentia, atquê dexteritas.

Ii tamen qui cæteris præsunt, quales sunt Episcopi, Parochi, Regularium Superiores, tum illi qui domesticam regunt familiam, ad faciendam fraternam correctionem strictius cæteris obligantur, quia ad illam præstandam non solum ex communi charitate, sed ex officio etiam tenentur. Unde etiam in ſubditorum vitam & mores inquirere debent, ut eos cum deviant, emendent. Hic tamen prudentia opus est, ne nimia illius qui cæteris præest, inquisitio, ipsum reddat odiosum, & in suspicando præcipitem. Qui vero aliorum curam non gerunt, eorum vitam, & mores insidiose observare non debent, ne ex eorum numero eſse videantur, qui quærunt impietatem in domo justi.

Corripiendi autem sunt; & corrigendi *1mo*: qui ex culpabili sive facti, sive juris, Divini vel humani ignorantia male operantur. Quia transgreſsio peccaminosa corrigi, & corripi debet. Porro transgreſsio juris sive Divini, sive humani, quæ procedit ex ignorantia culpabili juris aut facti peccaminosa est, & qui sic legem transgreditur, reipsa peccat. Ergo corripi, & emendari debet. Hinc etiam corrigi, seu potius instrui debet, qui propter ignorantiam versatur in proximo lethaliter peccandi periculo. Quia sicut teneris fratrem ab imminenti mortis periculo tueri, sic & multo plus eum servare debes, ne in grave incidat peccatum. Sed istiusmodi admonitiones, atque correctiones fieri debent, quando utiliter fieri poſsunt, & spes affulget illas profuturas fore, ad illa siquidem quæ inutilia sunt minime obligamur.

Verum si actio transgreſsoris in aliorum perniciem cedat, ut si quis ex ignorantia errores perniciosos spargat, erit is admonendus etiam á quolibet privato, tametsi ejus conversio non speretur, modo tamen ipsius reprehensio poſsit aliis prodeſse. Pastores quoquê & quibus ex Officio cura aliorum incumbit, tenentur eos etiam docere & corripere, quos putant non emendandos, quia quæ sui officii ſunt adimplere debent opportune, importune, ut cum Paulo Actor: Cap: 19. quivis dicere poſsit. *Mundus sum á sangvine omnium, non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* *2do:* Qui ex inculpata juris

juris Divini vel humani ignorantia jus idem transgrediuntur, cum speratur emendatio, & non timentur majora mala, admonendi, & corripiendi sunt, quando vero nec emendatio sperari potest, & majora timentur mala, correctio & admonitio omitti debet. Unde à simili, qui ex inculpabili ignorantia facti contra legem Divinam aut humanam agit, quando prudenter judicatur monitionem plus allaturam mali, quam boni, prætermittenda est, quando nihil mali timeri debet, sed potius bonus eventus prudenter sperari potest, facienda.

Quæres 9no: Quandò obligat præceptum correctionis fraternæ?

Resp: Præceptum correctionis fraternæ non obligat nisi sub certis conditionibus, quarum ista est *1ma:* ut corripiens moraliter sit certus proximum vel iam peccaſse, & permanere in peccato, vel eſse in proximo peccandi periculo, ac proinde correctione indegere. Quia correctio de culpa incerta regulariter loquendo eſset actus imprudens, & temerarius, cumque correptio pudorem ingerat, & aliquid semper habet odiosi, homo intempestive correptus, juste conquereretur de temerario corripientis judicio. In dubio autem utrinque æquali, potius præsumendum est pro justitia proximi, quam contra illam, quia charitas non cogitat malum. Si tamen adsint probabiles mali conjecturæ, cum aliqua fama, rumoreque conjunctæ, proximus licet non debeat absolute corripi, ut reus, debet admoneri ut causas suspicionis, si quas dedit, amoveat. Sed hoc magis illos spectat, qui ex officio alios admonere, & corrigere tenentur, non autem æquales, nisi vel familiares sint, vel proximus in proximo sit mortis periculo constitutus, & desit Pastor, Superior, qui admoneat. Regulariter enim nemo in alterius mores inquirere tenetur, nisi sit Superior, cui etiam sufficit suspicio, vel dubia cognitio, quia cum ex officio gregi suo invigilare teneatur, tenetur etiam malis dubiis occurrere. Quod si vero reus merito præsumatur sine correctione emendandus, ut præsumi potest de his, qui vere Deum timent, & peccato asveti non sunt, nulla erit correctionis necesſitas.

2da: Conditio est, ut sit spes emendationis, quia ad actum inutilem nemo tenetur. Verum non requiritur spes certa emendationis, sed sufficit probabilis, modo etiam probabile sit correptionem non eſse nocituram. Quapropter si dubites de fructu correctionis, & simul certius

sit

sit eam non eſse obfuturam, correctio adhibenda eſt, quia ex ea nihil mali, sed boni aliquid, ipsa scilicet peccantis emendatio sperari potest. Quod si probabile quidem sit correctionem profuturam eſse, sed probabilius, vel æque probabile, quod nocitura sit, ordinarie non est ipsa adhibenda, quia correctio utpote charitatis actus, tendit ad bonum proximi, jam vero nullum apparet bonum, cum æque timetur malum, ac speratur bonum. Igitur quorum ingenium nobis ignotum est, non tenemur corrigere ob quodvis peccatum etiam mortale; ne potius fiant pejores, quam corrigantur. Attamen aliquando facienda est correctio etiamsi dubitetur num sit profutura, veluti *1mo*: Si quis in proximo versetur mortis periculo, & admonitione vel instructione indigeat. *2do:* Si quis in congreſsu familiari, contra Religionem vel bonos mores, contra bonum tertii multa effuciat, quibus adstantes officiuntur, corripiendus erit, quamvis deterior futurus sit, modo ſperari poſsit correctionem aliis profuturam. Non est autem omittenda correctio propter aliquam delinquentis tristitiam, iramve cum levi aliqua commotione, si postea speretur emendatio, quia hæc præter voluntatem corripientis accidunt, & ad impediendum majus malum, permitti posſunt, & correptio fieri debet, licet non statim, sed decursu nonnisi temporis fructus bonus speretur.

3tia: Conditio est, ut correctio fiat opportuno tempore. Sicut enim nocet corpori medicina, quæ nulla habita temporis ratione porrigitur, sic mentem exasperat correctio intempestive data.

4ta: Conditio est, ut correctio fraterna fieri poſsit citra grave incommodum corripientis. Verum hic notanda sunt sequentia *1mo*: dum peccans est in gravi spirituali neceſsitate, à qua per correptionem liberari potest, quilibet eum corripere tenetur cum aliquo non solum incommodo, sed etiam boni sui temporalis damno, qui enim nullam boni sui temporalis jacturam, pro fratris salute pati vellet, minus eam diligeret, quam diligenda sit. In simili autem neceſsitate Pastores & alii, qui ex officio curam salutis aliorum gerunt, peccantem etiam cum vitæ suæ periculo corripere tenentur, quia parati eſse debent animam pro ovibus suis ponere. *2do*: in extrema ſpirituali neceſsitate, quilibet delinquentem corripere tenetur non obstante vitæ suæ periculo, quia quilibet magis animam proximi, quam corpus suum diligere tenetur, quod maxime locum habet in extrema neceſsitate.

Extra

Extra vero hanc extremam necesſitatem non tenentur privati delinquentem corripere cum notabili honoris, bonorumque temporalium damno, quia salus proximi tunc tantum vitæ nostræ necesſario præferenda est, cum in extrema necesſitate versatur, & ei aliter succurri nequit.

Hinc sequitur hominem privatum, licet rarius alios delinquentes redarguere teneatur, quam illi, qui aliorum curam gerunt, ad id tamen satis frequenter tenentur. Et quidem *1mo.* ſemper redarguere debet exhibendo faciem tristem, non solum nunquam malo aplaudendo, neque quomodocunque peccatum proximi approbando, sed etiam exteriori vultus compositione ostendend ; illud ipsi non probari, ac displicere. *2do*: Cum pleraque exteriora peccata vel in contumeliam Dei cedant, ut blasphemiæ, vel in malum proximi, ut calumniæ, detractiones, sermones bonis moribus contrarii, nemo est, qui in hisce casibus frequentem correctionis materiam non habeat, quia qui hæc committunt peccata, corrigi debent, quoties sine corripientis & correpti periculo corripi posſunt.

Quæres 10mo: Quis servandus est ordo in correctione fraterna facienda?

Resp: In correctione fraterna facienda, hunc Christus ordinem instituit Math: Cap. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, quodsi non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Et hic ordo omnino servandus est, nisi aliud, propter occurrentes circumstantias, prudentia dictaverit. Quapropter prædictus ordo non obligat. *1mo:* cum crimen est publicum, quia tunc non solum adhibendum est remedium ei, qui peccavit, ut rectior fiat, sed etiam aliis in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur. Porro cum scandalo huic nemo melius mederi posſit quam Pastor, Superior, & qui aliis præest, ad eum crimen publicum pleno ductu est deferendum. Quodsi crimen nondum in publicum devenit, sed est in via deveniendi, tunc etiam Superiori denuntiandum est, ut ſcandalo occurratur.

2do: Cum crimen licet sit occultum, vergit in grave aliorum detrimentum sive ſpirituale, sive corporale ; ut si quis perniciosos errores disſeminet, bonorum proximi ruinam meditetur, alios turpibus corrumpat sermonibus, & non constet eum per secretam monitionem impediri, & à malo retrahi posſe. Hi enim & celeriter, & effi-

efficaciter coercendi ſunt, quod fieri nequit, niſi ad illos deferantur, qui authoritate pollent.

3tio: Cum merito judicatur, nec nostram, nec aliorum privatorum admonitionem profuturam eſse, ut prodeſse non solet iis, qui ex habitu, vel quasi per risum operantur scelus, tunc enim fortiore monitione opus est, quæ authoritative datur.

ARTICULUS 4tus.

De peccatis Charitati oppositis.

Quæres 1mo: Quæ sunt peccata Charitati opposita?

Resp: Charitati opposita peccata sunt odium, & scandalum.

Quæres 2do: Quid sit odium, & quale peccatum?

Resp: Odium est actus voluntatis, quo obiectum aliquod aversamur. Duplex est, aliud *inimicitiæ,* quo quia personam aliquam aversamur, ei mala exoptamus. Aliud *abominationis*, quo personam aliquam aversamur non præcise ratione sui, sed ut nobis noxiam. Odium quodcunquê Dei, est gravifsimum peccatum, quia perimit illam charitatem quam omni jure & titulo strictifsime Deo debemus, & formalem continet Dei contemptum, qui sine gravi supremi Numinis injuria eſse nequit. Odium vero proximi, si sit inimicitiæ, semper est peccatum, quia optare proximo malum, peccatum est, & quidem mortale, sî grave ei ex displicentia optetur malum, unde 1. Joan: cap: 3. dicitur. *Omnis qui odit fratrem suum homicida est.* Veniale autem erit peccatum, si ex levi personæ displicentia, leve ei malum exoptetur.

Tandem odium abominationis quandoque est peccatum, quandoque non est. Quia si quis, ut justi solent, personam diligat, solumque vitia ejus oderit, laudem meretur, non autem vituperium. Unde Psaltes ajebat Psal: 138. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam? Perfecto odio oderam illos*, quæ verba expendens S. Augustinus inquit: *Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas?*

Quæres 3tio: An semper est peccatum, optare malum proximo suo, vel de eo gaudere?

Resp: Jllicitum est optare, vel imprecari proximo malum aut de eo gaudere ut ejus malum est, neque dole-

re

re de ipsius bono, qua tali, quia hoc utrumque charitati directe opponitur, odii sunt & inimicitiæ actus, ideoque ex genere suo mortalia, nisi ob defectum ſufficientis consensus, vel ob parvitatem materiæ, si exg. leve aliquod malum exoptatur, venialia fiant. Pariter non licet optare malum proximi, aut gaudere de eo, quamvis non ut est malum ipsius, vel dolere de illius bono, licet non ex displicentia personæ, sed præcise propter minus nostrum bonum, quia hoc repugnat ordini charitatis, ex qua tenemur bonum proximi majus, & altioris ordinis præferre bono nostri minori, & inferioris ordinis. Quare ab Innocentio XI. damnata est ista propositio. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, vel de illius morte naturali gaudere, illam desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod emolumentum temporale,* Docet vero S. Thomas in 3. dist: 33. Art: 1. *Quia charitas ordinem habet, & plus debet diligere quisque se, quam alium, & propinquos quam extraneos, & bonum commune multorum, quam bonum privatum unius, potest aliquis salva charitate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, ſed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, aut Ecclesiæ. Similiter de malo temporali ejus gaudere secundum quod per malum pœnæ impeditur frequentér malum culpæ ejus.*

Hinc licet desiderare aliquod malum temporale alteri, vg. morbum, de illo gaudere præcise propter bonum ejus spirituale, ut resipiscat, peccare desinat quia secundum ordinem charitatis, bonum spirituale præfertur temporali.

Licet quoque optare homini noxio ac malefactori mortem infligendam, ut & ipse, & alii coerceantur, ut mala multorum impedientur, quia sic bonum multorum, bono unius privati anteponitur. Ac tandem juste gaudemus de victoria ab hostibus in bello reportata, ob ingens bonum totius Regionis, quod inde obvenit.

Quæres 4to: Ergo maledicere proximo peccatum est?

Resp: Maledicere sive sibi ipsi, sive alteri, & ex animo grave quodpiam malum imprecari, mortale est. Imo sibi, vel aliis malum grave ex ira imprecari, quamvis sine animo ut illud eveniat, sæpe mortale est, sive ratione gravis contumeliæ, spectata gravitate personæ, cui præsenti maledicitur, sive ratione scandali. Sic graviter peccant Parentes, qui liberis suis grave malum licet oretenus

nus solum, ex ira imprecantur, nam exemplo suo docent eos iræ servire, & similes maledictiones proferre. Nec minus peccant ratione fæditatis ac perversitatis, quæ in maledictione depræhenditur, ut cum quis seipsum Dæmoni devoveret, à mortali non vacat. Neque à mortali excusatur, qui durante paſsione iræ, grave malum evenire deliberate voluit, & si statim postea noluiſset ut eveniret, imo doluiſset, si eveniſset, quia revera paſsioni iræ deliberate consensit, & malum reipsa proximo exoptavit. Est tamen à gravi culpa immunis, qui ex levi motu, vel ex subreptione verba imprecatoria profert, quia peccata verborum maxime ex affectu proferentis pensantur. Qui etiam creaturis irrationalibus maledicunt à peccato immunes non sunt, cum hoc sit saltem verba vana, ac otiosa proferrre, quod illicitum est. Vacat tamen à culpa qui maledicit rei non secundum se, sed considerata ratione mali quod in ea, aut per eam accidit, vel cujus origo & principium fuit. Sic David maledixit montibus Gelboe. Graviter tamen peccaret qui malediceret creaturæ irrationali, vel quatenus est homini utilis, vel quatenus est opus Dei, in primo enim casu censeretur æquivalenter homini maledicere, in secundo adversus Deum blasphemaret.

Quæres 5to: An saltem inimicum odiſse licet?

Resp: Neque inimicum odisse licet, quia eum ex animo diligere, ipsique benefacere tenemur, id enim Christus expreſse præcepit, atque mandavit Math. Cap: 5. *Ego dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Quare id omne inimicis nostris debemus, quod proximis nostris præstare tenemur, vere enim proximi nostri sunt, omnem proinde in eos odii & vindictæ affectum procul abijcere debemus, adeo ut etiam perseverante in eis contra nos omni mala voluntate, perseveret in nobis erga eos charitas, & exterius charitatis testimonium. Unde Apostolus Rom: Cap: 12. ait. *Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere, nulli malum pro malo reddentes.* Hinc peccant *1mo* qui de malo inimici lætantur, de bono ejus dolent, ex malo erga ipsum affectu, injuriæ sibi illatæ vindictam à Deo, & ab hominibus expectant. *2do*: Qui inimicum excludunt à communibus orationibus, salutationibus, á subsidio, & ope, quam cæteris præstant, qui inimicum alloqui volentem, arcet à colloquio, in necessitate constituto non auxiliatur, malum ipsi in bonis, & fama imminens non avertit, illud non impedit, cum impedire potest. Qui ve-

ro inimicum alloqui non vult, vel quia novit eum ingenii adeo periculosi eſse, ut nihil nisi mali ex ejus commercio sperandum sit, vel quia probabiliter timet ex hoc quid pejus eventurum, abstinendum erit ab illis exterioribus amicitiæ signis, cum hac tamen cautione; ut ad evitandum scandalum, intuentes, de causa ſuæ agendi rationis, admoneat, si commode id facere poſsit, & cordi suo invigilet, ne sub prætextu circumspectionis, intus odium in corde servetur. Communia itaque charitatis signa, & beneficia, inimicis exhibere, & præstare tenemur, illa scilicet quæ aliis ejusdem status, & conditionis præstare solemus, & tenemur.

Specialia autem benevolentiæ signa, ac singularia beneficia non tenemur eis præstare, nisi illis indiguerint. Hinc Prov: Cap. 25. dicitur. *Si esuriverit inimicus tuus ciba illum, & Dominus reddet tibi.* Certe non tenemus inimicos magis diligere, quam cæteros proximos. Porro proximis specialia benevolentiæ signa & beneficia singularia non tenemur præstare, nisi cum id neceſsitas postulat, & extra neceſsitatem ſufficit ut eos in communi diligamus, & communia benevolentiæ signa ipsis exhibeamus. Ergo eodem modo se erga inimicos gerere ſufficit, & satis est.

Nonnunquam tamen specialia etiam benevolentiæ signa ostendere neceſse est. Et quidem *1mo:* cum inimicus veniam orat, & ipse prior specialia charitatis, atque amicitiæ exhibet indicia, tunc enim non respondere, est vindictam charitati oppositam exercere. 2do: Cum exigit spiritualis, aut temporanea inimici neceſsitas, ut plus, ejus gratia præstes, quam alioqui consveveras, exg. cum subest probabilis ratio sperandi futurum, ut inimicum Deo, tibique reconcilies, si speciali amore, salutatione, alloquio, eum prævenias.

Nunquam autem licet ex solo injuriæ acceptæ motivo, etiam specialia benevolentiæ signa proximo denegare, quare si ante injuriam acceptam consveveras aliquem salutare, alloqui, hæc post offensam eodem modo ac antea præstare debes; sunt tamen casus, n quibus justis de causis specialia benevolentiæ signa denegari & poſsunt, & aliquomodo debent, Et *1mo:* si prudenter judicetur hæc delinquenti plus obfutura, quam profutura. 2*do:* Si prævideatur adversarius & reus, austeriori vultu ad agnoscendam culpam adducendus. 3*tio*: Si is, qui læsus est, certam in eos, qui læserant authoritatem habeat, qualem ha-

bet

bet Pater in filios, Dominus in famulos tunc enim ad corripiendum, & corrigendum delinquentes, specialia benevolentiæ signa denegari debent. *4to*: Tandem ut ostendatur abominatio patrati sceleris, quare Pater ut publice detestetur stuprum filiæ suæ illatum, non iisdem, ac ante oculis stupratorem intueri debet.

Quæres 6to: Quis in reconciliatione ineunda, servandus est ordo?

Resp: Hunc esse servandum ordinem. *1mo*: Qui alterum injuste offenderat, is prior viam ad pacem aperire debet, id enim exigit justitiæ ratio. *2do*: Si duo mutuam sibi injuriam intulerint, tunc si offensio utrinque ejusdem sit gravitatis, nec ulla sit ratio cur alter alterum præveniat, utrique incumbit obligatio proximum suum præveniendi. Si autem offensio unius gravior fuerit, debet is præire, etsi in offendendo posterior. *3tio*: Etiamsi inferior à Superiore gravius læsus fuerit, eum deprecatione prævenire debet, nec unquam potest ei salutationis, allocutionisque officia denegare, hæc enim iis qui aliis præsunt ex justitia stricte debentur.

Petenti autem inimico veniam, venia concedenda & injuria ex corde condonanda est. Sic præcepit Christus Lucæ Cap: 17. *Etsi septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: pœnitet me, dimitte illi:* imo juxta id, quod Math. Cap: 18. habemus, etiamsi proximus septuagies septies in die in nos peccaverit, & conversus veniam petierit, dimittendum est ei. Posſunt tamen illi qui cæteris præsunt, externa veniæ signa aliquando differre, ut delinquentes culpam suam sentiant, & citius corrigantur.

Quare cum pars læsa satisfactionem offert, arbitrio prudentum ſufficientem, non licet eam apud Judicem exigere, & prosequi, quia hoc eſset vindictam quærere, & inimicum expensis onerare, absque eo, quod inde quidpiam capiatur emolumenti, justitiæ legibus repugnat. Aliquando tamen expedit, vel necessum est, satisfactionem injuriarum coram Judice expetere, si offensa gravem creat infamiam, quæ in totam cadit familiam, nisi satisfactione juridica diluatur.

Quod vero Christus præscripsit Math. Cap. 5. dicens *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo*: intelligi debet, ut inquit S. Augustinus, quod per-

gendum

gendum sit ad fratrem *non pedibus corporis, si longius absit, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem cara cogitatione cucurreris, in conspectu ejus, cui munus oblaturus es*: hoc est sincere protestando ei, qui corda, & renes scrutatur, paratum te eſse ad placandum quacunque legitima via animum fratris læsi. Quodsi proximus non longe absit, quamprimum prudentiæ ratio, tempus, & locus permiserint, reipsa adeundus est, & reconciliatio cum eo facienda. Et hæc obligatio leniendi fratri juste irati, tam arcta est, ut qui proximum graviter læserunt, non ante, communiter loquendo, absolvi debeant, quam cum eo in gratiam redierint, vel redire pro virili studuerint.

Quæres 7mo: Quid, & quotuplex est scandalum?

Resp: Scandalum est dictum vel factum minus rectum, præbens proximo ruinæ spiritualis occasionem. Quare scandalum oritur non solum ex actione, quæ ex se mala est, sed etiam ex ea, quæ speciem mali habet.

Scandalum dividitur in activum, & paſsivum. *Activum* quod alteri datur, eique est occasio peccandi, & subdividitur in directum, & indirectum. *Directum* est dictum vel factum quo expreſse intenditur alium ad peccandum attrahere, ut cum quis puellam sollicitat ad crimen. *Indirectum*, cum quis non intendens alium ad peccandum allicere, nonnulla tamen facit quæ aliis sunt occasio peccandi. Scandalum vero *paſsivum* est attractio, & impulsio ad peccandum orta ex alterius dicto vel facto minus recto, & hoc subdividitur in pharisaicum, & pusillorum. *Pharisaicum* nascitur ex mera scandalizati malitia, & est acceptum, licet non datum, ortum ex facto recto, aut indifferenti. *Pusillorum* nascitur ex propria scandalizati infirmitate, vel ignorantia. Prioris causa est malitia ac perversitas, quæ ex recte factis sumit occasionem peccati, in malum illa convertendo. Posterioris causa est infirmitas vel ignorantia, quia ex male intellectis, aut non bene pensatis sumit occasionem & male judicandi, & perverse agendi.

Quæres 8vo: Quale sit peccatum scandalum alteri datum?

Resp: Scandalum alteri datum, etiam sine expressa intentione eum inducendi ad malum, peccatum est ex natura sua mortale, & specialiter charitati oppositum. Namque Math. Cap: 18. sic inquit Christus: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei*

ut

ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Ex gravi ergo pæna quam comminatur Christus ei, qui alios scandalizat, patet scandalum grave eſse peccatum. Tanto autem peccatum istud gravius est, quanto plures scandalizati fuerint, & numerus eorum multiplicat peccatum. Veniale tamen nonnisi est peccatum, cum nonnisi venialis culpæ occasio alteri præbetur. Verum scandalum quod est occasio culpæ solum venialis, futurum peccatum mortale, si hæc culpa, licet venialis, in grave proximi damnum vergat.

Sed ut scandulum peccatum sit, non est neceſse, ut directe quis velit alium ad peccatum pertrahere, sed ſufficit ut ea coram aliis dicat, vel faciat quæ vel ex se, vel ex fragilitate humana aut communi, aut speciali adstantium, nata sunt ad peccandum allicere, & pertrahere, qui enim facit id, quocum alterius peccatum, aut peccandi periculum conjunctum eſse cognoscit, vel cognoscere potest & debet, is alterius peccatum velle merito censetur. Neque etiam requiritur, ut reipsa scandalizatus peccet, sed ſufficit quod morali peccandi periculo exponatur, eiqui occasio peccandi præbeatur. Hinc peccant mulieres quæ gerunt ornatus ad lasciviam provocantes, pictores qui imagines nudas faciunt, tum & ii, qui illas conspiciendas exponunt, qui libros amatorios, erroribus contra Religionem scatentes vendunt, turpes cantilenas componunt, illas coram aliis decantant. Hæc enim omnia periculo peccandi legentes, audientes, atque aspicientes exponunt.

Quæres 9no: Quæ metu scandali sunt omittenda?

Resp: 1mo; Ad vitandum scandalum ex malitia ortum non tenemur illa omittere opera quæ neque ex se mala sunt, nec speciem mali in se habent, cum adest rationabilis causa, aut magna utilitas, etiam temporalis, sive nostra, sive aliena. Quia cum scandalum istiusmodi oriatur ex sola malitia scandalizati, ei soli imputatur, alioquin quivis per suam malitiam poſset impedire commoda aliorum. Si tamen nulla eſset neceſsitas, neque notabilis utilitas opera talia faciendi, illa omitti deberent, quia tenemur ex charitate impedire peccatum proximi, etsi ex sola ejus malitia secuturum, cum nulla adest justa causa illud permittendi. Sed ad evitandum scandalum pusillorum, ex infirmitate, aut ignorantia procedens, tenemur istiusmodi omittere opera, etiamsi utilia sunt, aut saltem ipsa differre, donec proximus moneatur ne scandali-

zetur,

zetur, si moneri sine gravi incommodo potest. Nam ex lege charitatis tenemur impedire peccatum proximi maxime ex infirmitate aut ignorantia peccaturi, cum id possumus efficere sine gravi nostro damno, aut notabili incommodo. Hinc mulier quæ prævidet aliquem determinate, & in particulari ex suo aspectu ſumpturum occasionem peccandi ob infirmitatem, tenetur vitare conspectum ejus cum potest sine gravi incommodo. Non est tamen obligatio omittendi actionem de se licitam, nec habentem per se, aut ex communi prudentum sensu aliquam speciem mali, ne quis generatim, ac indeterminate sumat inde occasionem peccandi, quia hoc onus eſset intollerabile, & obnoxium innumeris scrupulis. Hinc mulier non tenetur abstinere ab ornatu honesto & ordinario secundum suam conditionem, ob metum alicujus scandali vagi ac indeterminati.

2do: Ad vitandum scandalum pusillorum seu infirmorum nunquam licet omittere opus lege naturali præscriptum in iis circumstantiis, in quibus fieri debet, quia tunc omiſsio illius operis est intrinsece mala, ac peccaminosa, nullatenus autem licet peccare, ut aliorum vitetur scandalum. Sed etiam ad evitandum scandalum, non possunt illa omitti, quæ sunt ad salutem neceſsaria neceſsitate medii, quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem diligere quam alterius. Verum ad vitandum grave scandalum pusillorum poſsunt aliquando prætermitti præcepta pure positiva, maxime humana, nisi ex ejus omiſsione majus damnum immineret. Unde mulier prævidens aspectu aliquem in particulari ex infirmitate scandalizandum, potest omittere sacrum etiam die festo semel, atque iterum, Quia cum præcepta omnia charitati deserviant, & ei tamquam fini ſubordinentur, non obligant in iis circumstantiis, in quibus charitas dictat omittendam eſse eorum observationem, ut impediatur grave peccatum proximi.

3tio: Bona opera, quæ sunt solum consilii, omitti debent ad vitandum scandalum ex mera malitia proveniens. Unde Math. Cap: 15. de Pharisæis inquit Christus. *Sinite illos, cœci sunt.* Pharisæi namque scandalizabantur quod Salvator cum publicanis & peccatoribus comederet, nec propterea id omisit. Si vero scandalum oriatur ex infirmitate aut ignorantia, opus bonum, quod est solum consilii, non præcepti, occultari debet, vel interdum differri donec ratio sic agendi reddatur. Nam ex lege charitatis

infirmo-

infirmorum ac ignorantium peccata impedire tenemur cum facile id præstare valemus. At tunc id facile possumus, cum tale opus nec sit præceptum, nec omnino necessarium, differri ergo, vel etiam omitti debet, maxime quia illud differendo vel omittendo ad peccatum proximi impediendum, actum charitatis exerceamus magis meritorium, quam foret ipsum opus, quod omittitur.

Quodsi post redditam causam, rationemquè expositam sic agendi, non desinant aliqui scandalizari, tunc scandalum ex mera malitia procedit & propter ipsum non sunt omittenda bona opera.

Quæres xomo: An licet svadere minus peccatum, volenti gravius committere?

Resp: Nunquam licet directe svadere, ac inducere etiam ad minus peccatum, volentem committere gravius. Quia ex se malum est, ad quodvis etsi levissimum peccatum alium inducere, nam nunquam licet facere malum, nec proinde illud consulere, ut eveniant bona, ac proinde nequè ut impediantur majora mala. Quæ autem ex se, & natura sua mala sunt, in nullis circumstantiis licita esse possunt. Attamen peccata inæqualia committere volentem exg: adulterium & fornicationem, atquê ad illa plene determinatum, cum eum ab utroquê reducere non possis, licet â graviore saltem deterrere, tacendo de alio minus gravi, quia hoc non est consulere minus peccatum, sed simpliciter gravioris omissionem persvadere, & ab illo deterrere.


Quæres xxmo Utrum liceat vendere, vel dare alteri rem, aut operam de se licitam præstare, qua alter male usurus prævidetur?

Resp: Id peccatum esse, quando hæc sine gravi damno denegari possunt. Quia quilibet tenetur proximi peccatum impedire, quando id potest sine gravi damno. Ergo á fortiori tenetur non suppeditare materiam, aut operam, qua proximus usurus est ad peccandum. Nequè etiam licet præstare operam, præbere rem aliquam, quæ in his determinate circumstantiis, proxime ad peccatum adjuvat, & ad illud inservit. Quia tunc est directe & mortaliter peccato cooperari. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis de-*

detrimenti, *puta ne à Domino male tractetur*, *ne torvis occulis aspiciatur*, *ne è domo expellatur*. Istiusmodi namquè actiones in talibus circumstantiis proxime ad peccatum adjuvant, & ad illud directe ordinantur, quare qui eas ponit, merito censetur velle alterius peccatum & ad illud ei cooperatur.

Verum licitum est rem & operam ex se licitam, nec per se, ac proxime ad peccatum concurrentem alii præbere, ac præstare, licetsi ea ad peccatum abusurus sit, si ad id præstandum adsit justa causa, & longe absit intentio cooperandi alterius peccato. Nam tunc hæc juxta prudentum, atquè communem sensum, non censentur cooperari alterius peccato, sed solum illud permittere ex urgenti causa, ob quam non tenetur illud impedire, quare peccatum ſoli abutentis imputatur malitiæ.

Hic tamen certas Theologi requirunt conditiones. Et quidem *1mo*: ut quamvis non subministrares operam, materiam, qua quis ad peccandum abutitur, peccatum tamen eodem modo committendum sit, si enim sine his quæ præbes, ac præstas, peccatum non eſset commitendum, eſses re ipsa causa peccati, nisi tamen ex adverso gravior urgeret obligatio, quam sit obligatio impedienti alterius peccatum, & quo probabilius est te ista non suppeditante, alterum non executurum peccatum, eo gravior & urgentior requiritur causa, ut illa suppeditare poſsis. *2do:* Ut causa, ac neceſsitas, propter quam præbes, ac præstas ea, quibus alter ad peccatum abutitur proportionata sit malo atquè peccato quod ab altero committitur. Quare si materia quam præbes, alter sit abusurus in damnum proximi, tunc præbere non potes, nisi damnum quod tibi times, si hanc ipsi denegaveris, tam grave sit, ut non tenearis illud subire ad impediendum damnum tertio inferendum. Strictior enim est obligatio impediendi alterius peccatum, quod tertio nocet, quam si soli delinquenti noceret, quia is quidquid subit damni, voluntarie illud patitur, alter vero cui vides malum præparari, hoc non patitur, nisi invitus.



TRACTATUS

DE

PRÆCEPTIS DEI IN DECALOGO CONTENTIS.

Quæres 1mo: Quot sunt Dei Præcepta?

Resp: Decem sunt Dei Præcepta, quorum collectio Decalogus vocitatur, & pluries in Sacris Scripturis *verba fœderis decem* nominantur. Hæc autem præcepta omnia hominis ad Deum, & ad proximum ordinata continent officia. Omnia autem sunt juris naturalis, & quasi compendiosa complexio illius reputari debent, solo tertio excepto præcepto, quo dies septima sanctificari præcipitur. Etsi enim ex jure naturæ tenemur aliquod tempus ad cultum Dei consecrare, unde & ipsi gentiles ductum rectæ rationis sequentes festos dies habuerunt, non tamen eodem jure hoc tempus est determinatum, unde in veteri apud Judæos ad cultum Divinum dies Sabbati fuit determinatus, in nova lege apud Christianos dies Dominica designata est.

Quæres 2do: Quis sit author Decalogi?

Resp: Deus ipse est author Decalogi, decem namque præcepta ore ad os Moysi dedit, & eadem proprio digitto in tabulis lapideis descripsit. Dividuntur autem præcepta Decalogi in affirmativa, & negativa. *Affirmativa* illa sunt quæ aliquid fieri præcipiunt, ut hæc duo. *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Honora Patrem tuum, & matrem tuam. Negativa* ea sunt, quæ aliquid fieri vetant. exg: *Non furtum facies. Non mœchaberis.* Duplex autem est inter hæc præcepta discrimen. *1mum.* Negativa obligant semper & pro semper, pro omni videlicet loco, & tempore, nunquam enim licet mæchari. Affirmativa vero obligant quidem semper, sed non pro semper, neque enim in omni loco & tempore honorare Parentes tenemur, sed loco, & tempore debitis, nimirum quando cum illis tractamus, conversamur. *2dum:* Præcepta nega-

tiva

tiva violantur peccato commifsionis, affirmativa peccato omifsionis. Advertendum tamen est, in præcepto negativo, quo malum aliquod prohibetur, includi præceptum affirmativum quo bonum malo huic oppositum imperatur, & à contrario præceptum affirmativum quo opus bonum jubetur, involvit præceptum negativum, quo malum oppositum prohibetur.

Quæres 3tio: Utrum Christiani ad observationem Decalogi teneantur?

Resp: Christiani omnes ad Decalogi observationem tenentur. Quia præcepta Decalogi pertinent ad legem naturæ, omnes autem homines sive Christiani, sive non Christiani ad observationem legis naturalis obligantur. Præterea Christus Math: Cap: 19. observationem præceptorum Decalogi districte injunxit. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quare Synodus Tridentina Sefs: 6. Can: 19. anathemate percellit eum qui dixerit, *decem præcepta nihil pertinere ad Christianos.* Hinc graviter peccant illi Christiani, qui Decalogum saltem quoad substantiam non intelligunt, memoria non tenent. Quisquis enim præceptorum, quæ sæpius urgent, notitiam habere debet, ut meminifse pofsit, quid sibi præceptum, aut prohibitum sit. Si quis tamen Decalogi verba, & ordinem memoria non teneat, dummodo substantiam præceptorum sciat, & intelligat, non erit reus peccati mortalis.

CAPUT PRIMUM

De tribus primis Decalogi Præceptis.

ARTICULUS 1mus

De primo & secundo Decalogi præcepto.

Quæres 1mo: Quod est primum Decalogi præceptum?

Resp: Primum Decalogi præceptum hoc est. *Non habebis Deos alienos coram me*, quo sic prohibetur cultus falsorum Deorum, ut stricte præcipiatur legitimus, ac Sanctus cultus veri Dei. Cultus autem est agnitio, & testificatio excellentiæ Divinæ, cum submifsione nostra

erga Deum. Suprema ergo Dei excellentia, est ratio & motivum, propter quod Deum demiſsiſsime colere tenemur. Porro tenemur Deum colere non solum actibus internis, sed et externis, quia corpore, & Spiritu constamus, quare utriusque actibus Deo cultum exhibere neceſse est, quoniam utriusque corporis, & Spiritus nostri ipse est principium & effector.

Jam inter actus externos quibus Deus colitur primum locum tenet adoratio, hæc enim propriiſsime Deo competit, & illi soli debetur, unde Christus Math: Cap: 4. inquit. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Quæres 2do: Quid sit, & quotuplex adoratio?

Resp: Adoratio est veneratio, ac reverentia alteri exhibita, in signum ejus excellentiæ, & nostræ erga ipsum submiſsionis. Hæc potest eſse mere civilis & politica, si fiat propter civilem, & politicam præeminentiam, sic *Abraham adoravit filios Heth* Genesis Cap: 23. si vero fiat propter excellentiam alterius supernaturalem, est adoratio religiosa. *Sic Josue cecidit pronus in terram adorans Angelum.* Hæc adoratio religiosa dividitur in *duliam*, *hyperduliam*, & *latriam*. Prima exhibetur Angelis, & Sanctis in Cælis cum Christo regnantibus. Secunda Beatiſsimæ Virgini Deiparæ ob singulare Divinæ ejus maternitatis privilegium. Tertia quæ sola est vere, & stricte dicta adoratio, soli Deo debetur, & est actus quo & infinitam Dei excellentiam, supremum illius in res omnes dominium, & nostram erga ipsum demiſsiſsimam submiſsionem testificamur.

Quæres 3tio: Quotupliciter contra primum præceptum peccari potest?

Resp: Dupliciter, scilicet *1mo:* per defectum, & hoc peccati genus dicitur *irreligiositas. 2do:* per exceſsum, non quod plus quam oportet Deus colatur, sed quia aliquando est vitiosus, & inordinatus cultus, qui Deo impenditur, & hæc peccati species *superstitio* nominatur.

Irreligiositas est peccatum quo Deus in se, vel in rebus Sacris, ad cultum ipsius pertinentibus inhonoratur. Tres sunt ejus species, nempe *blasphemia*, *tentatio Dei*, *& sacrilegium. Superstitio*, est cultus perversus, quo vel creatura loco Creatoris colitur, vel ipse quidem Creator colitur, sed modo indecenti. Superstitionis præcipuæ species sunt, *idololatria*, *Divinatio*, *vana observantia*, *magia*, *& maleficium.*

Quæres

Quæres 4to: Quid sit, & quotuplex blasphemia?

Resp: Blasphemia est *locutio contumeliosa in Deum*, sive ore proferatur, sive in mente retineatur, quemadmodum dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Triplex potifsimum est blasphemia, *hæreticalis*, *imprecativa*, & *dehonestans*. Blasphemia *hæreticalis* est ea, qua aliquid falsi de Deo pronuntiatur, ut si dicatur, Deum efse crudelem, aut creaturæ quidpiam attribuit, quod solius Dei est proprium, ut si quis affirmet mundum à dæmonibus efse factum. *Imprecativa* illa est, qua quis Deo malum imprecatur. *Dehonestans* illa est, qua enuntiatur aliquid de Deo, vel de Christo indecens, & per modum contumeliæ, talis ea est, quæ Juliano Apostatæ tribuitur: *Vicisti Gallilee.*

Blasphemia peccatum est mortale, in quacunque materia contingat, quia quælibet Dei contumelia, utpote Dei Majestatem deprimens, gravem Deo injuriam infert. Hinc ea lex Levitici Cap: 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Et ad hoc non requiritur, ut quis directe, & exprefse intendat Deum inhonorare, sed sufficit, quod ex ira, indignatione, aut etiam ex joco, ea profert, quæ ex communi intelligendi modo, aut ex circumstantiis Deum inhonorant, & dehonestant.

Ii quoque qui singulis verbis, nomina Dei, Jesu, aut Sanctorum, ex quadam animi levitate, & sæpe ex impatientia proferunt, & si quid novi contingat, exclamant, *Jesu! Deus bone*, non sunt ab omni peccato immunes, quia id prohibet Scriptura. Eccles: Cap: 23. *Nominatio Dei non sit afsidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis:* peccati siquidem irreverentiæ contra eos obnoxius est. Certe nomen Dei Sanctum, & terribile, sine ullo religionis sensu usurpare, ut aliquid commune, & profanum, vera irreverentia est.

Quæres 5to: Quid sit tentatio Dei?

Resp: Tentatio, aliquando sumitur pro inductione ad malum, eo sensu accipitur, cum S. Jacobus Epistola sua Cap: 1. dicit. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse enim neminem tentat.* Sed tentatio hic sumitur pro eo, cum aliquid fit, aut dicitur, ad capiendum quasi experimentum potentiæ, sapientiæ, alteriusve Divini attributi, per aliquem extraordinarium effectum, ab illo temere expectatum. Et id dupliciter fieri potest. *1mo:* exprel-

expreſse, ut contigit illi, qui se in puteum proiecit, ratus sibi adfuturos Angelos, qui cadentem exciperent. *2do:* implicite, cum quis ad obtinendum finem mediis ordinariis, & à Deo institutis non utitur, à solo Deo id præsumptuose expectans. Sic Deum tentat, qui ad sanitatem recuperandam medicina ceterisque remediis uti non vult, quasi miraculo à Deo sibi restituendam sperans.

Tentare Deum grave est peccatum, quia severe à Deo prohibetur. Deut. Cap: 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum:* & reipsa nemo præsumere potest futurum, ut pro ejus arbitrio leges suas Deus immutet, & miracula operetur. Fieri tamen poſset, ut in his nonnisi veniale sit peccatum, cum nempe quis nos intendat, neque cogitet Deum tentare, attamen ita se gerit, quasi Deum tentare vellet. Imo nullo modo peccaret, qui ex vîvido Spiritus Sancti impulsu, etiam miraculum á Deo ingruente neceſsitate exposceret.

Quæres 6to Quid sit Sacrilegium?

Resp: Sacrilegium est quævis profanatio rei Sacræ Deo dicatæ, & ad ejus cultum pertinentis. Unde triplex est Sacrilegium, *personale*, *reale*, *& locale*, quia triplex est species rei Sacræ, nempe persona, ut Sacerdos, locus, ut Ecclesia, res Deo dicatæ, ut vasa Sacra, Imagines, Reliquiæ. Persona Sacra violatur. *1mo*: Si injusta percuſsio, aut actio contumeliosa in eam exerceatur. *2do:* Si ipsa quapiam immunditia commaculetur. Locus Sacer violatur *1mo:* per actus quibus polluitur, quales sunt effusio illicita & publica sangvinis, aut seminis humani *2do:* per actus qui loci Sanctitati adversantur, quales sunt mercatus, nundinæ, confabulationes, risus, jocationes, & similia *3tio:* per actus qui ipsi loco Sacro vim inferunt, ut si fores Templi effringantur, ornamentis suis Ecclesia spolietur, tumultus in ea excitentur. Res demum Sacra violatur *1mo*: cum indigne tractatur. *2do*: Cum ad usum profanum adhibetur. *3tio:* cum non custoditur ea cura, qua custodiri debet, ut si vasa Sacra, pallæ, corporalia, non satis munda servantur, Sacræ species corrumpi permittuntur. Sacrilegium est peccatum ex genere suo mortale, quia Deum inhonorat, eique irreverentiam irrogat in rebus Sacris, quæ cum ejus cultui consecratæ sint, violari non poſsunt; quin ipse contemni censeatur. Potest tamen Sacrilegium veniale nonnisi peccatum eſse, sive propter inadvertentiam agentis, sive cum quidpiam

fit

fit, quod non multum pugnat cum Sanctitate loci, rei, aut personæ.

Quæres 7mo: Quid sit superstitio, quot ipsius species?

Resp: Superstitio est inordinatus cultus veri, aut falsi Numinis, unde superstitio duplex est, una *ex parte rei*, quæ colitur, & quæ coli non debet, ut falsum Numen, alia ex parte modi quo colitur, cum verus Deus colitur, sed modo inordinato.

Ex *parte modi* colendi, superstitionis species duæ sunt, scilicet cultus *falsus*, & cultus *superfluus*. Cultus falsus est, cum quædam falsa, & mendaciosa ad cultum Dei adhibentur, falsa & fictitia miracula prædicantur, falsæ reliquiæ obtruduntur, & venerationi exponuntur, vel demum vanæ quædam, aut ridiculæ ceremoniæ, sive veteris legis ritus, jam a Deo abrogati ufurpantur. Hæc fuperstitionis species est ex se mortalis, quia gravem irreverentiam Deo infert, graviterque repugnat ejus honori, & cultui, qui veritati semper inniti debet, quia eum in spiritu, & veritate adorare oportet. Cultus vero fuperfluus est, quando ad colendum Deum illa adhibentur, quæ nullatenus ad Dei cultum ordinantur, nihilque ad eum conferunt, exg. orare tot accensis candelis, tali præcise situ, ornatu, tot recitando præces, nec plus, nec minus. Hæc enim nec internam hominis augent devotionem, nec quidquam ad Dei honorem conferunt, fed funt prorsus vana, atque inutilia. Verum istiusmodi fuperstitionis fpecies, communiter nonnisi veniale peccatum est, quia & materia levis est, & gravis hic non intervenit irreverentia quæ divinæ irrogetur majestati.

Jam vero fuperstitionis ex parte rei quæ colitur, quinque funt species, nimirum: *Idololatria, Divinatio, vana observatio, Maleficium, & Magia.*

Quæres 8vo: Quid sit Idololatria, quid divinatio?

Resp: Idololatria est, quando divinus honor, & cultus creaturæ tamquam Deo exhibetur. Gravifsimum est peccatum, hoc primo Decalogi præcepto prohibitum: *Non habebis Deos alienos coram me.* & statim additur: *Non adorabis ea, neque coles.* Certe honorem cultumque soli Deo debitum ad viles creaturas transferre, peccatum est læsæ Divinæ Majestatis, quo gravius vix ullum concipi potest.

Divinatio est occultorum, ac futurorum inquisitio, per media vana, & ad id nullatenus inservientia, ut cum quis

quis vult furem cognoscere cribrum invertendo, aut futura libera per sortes, vel ex siderum concursu audet prædicere. Est peccatum gravifsimum, severe â Deo Deuter: Cap: 18. prohibitum. *Cave ne imitari velis abominationes gentium. Nec inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, & observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia hæc âbominatur Dominus.* Certe occulta ac futura velle cognoscere per media, quæ neque ex natura fua, neque ex divina institutione ad ea cognoscenda ordinata funt, nullamque cum illis connexionem habeant, est illud á solo Dæmone expectare, cum neque à natura, neque á Deo expectari pofsit, quare istiusmodi divinationibus sæpe se immiscet Dæmon, et qui illas exercent, vel tacitum, vel exprefsum cum eo habent pactum, utrumque autem enorme est crimen. Unde S. Augustinus libro 2, de Doctr: Christ: Cap: 33. sic inquit: *Omnes artes vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi pacta quædam infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudiandæ & fugiendæ Christiano.*

Divinationis etiam species quatuor sunt potifsimum videlicet: *Astrologia*, *Sortes*, *Augurium* atque *auspicium*

Astrologia duplex est, *Naturalis* qua ex Syderum concursu prænuntiantur eclypses, venti, pluviæ, & alii similes effectus qui cum istis naturalem connexionem habent, ut frugum ubertas, aut sterilitas. Et hæc naturalis Astrologia licita est, quia effectus ex causis naturalibus præcognoscitur, unde in naturali rerum ordine fundatur. Alia astrologia est *Judiciaria* qua ex Astrorum aspectu, prædicuntur ea, quæ à sola hominum libera voluntate dependent, veluti hunc gladio moriturum, istum fore luxuriosum. Hæc prorsus illicita est, & prohibita, quare Jeremiæ Cap: 10. dicitur. *A signis cæli nolite metuere quæ timent gentes.* Peccant igitur qui talibus prædictionibus fidem certam adhibent, iisque ad actiones operaque sua dirigenda utuntur, ex ipsis quædam timentes, alia sperantes.

Sortes autem triplicis generis sunt *1mo divisoriæ* quibus decernitur cui aliquid tribuendum sit, & illæ licitæ sunt, sive in partitione bonorum, cum consentiunt illi, qui ad ea jus habent, sive in pænis, ut cum ex pluribus reis, unus aut alter puniendus est, sive tandem in functioni-

tionibus onerosis, ut cum designandi ſunt Sacerdotes qui tempore pestis Sacramenta administrent. 2do *Consultoriæ* quibus inquiritur quid in aliqua re obscura sit agendum, & istæ sunt illicitæ, quia & Deum tentare censetur, qui iis utitur, & diabolicæ deceptionis periculum illis inest. Licitæ tamen eſse poſsunt, si neceſsitas urgeat, & humanum desit consilium, atque a Deo solo effectus illorum expectetur, ipseque reverenter per eos consulatur, in talibus circumstantiis sortes à Domino temperari censentur. 3tio. *Divinatoriæ*, quibus inquiritur rei occultæ, & futuræ cognitio, ut cum ex taxillorum projectione prædicitur, qui victoriam obtenturus sit, & istæ graviter illicitæ sunt ac reipsa superstitiosæ.

Augurium, & auspicium ſunt, quando ex avium volatu, animalium motu, futura prædicuntur. Ex iis, effectus quidem naturales, pluviæ, serenitatis, & aliis similes prædici utcunque poſsunt, nam cum illis aliquam habent connexionem, ſed effectus qui à libera hominis voluntate dependent, aut ex aliis proveniunt causis, prædici nequeunt, quare ex iis de futuris divinare illicitum, ac peccaminosum est.

Idem dicendum est de divinatione per somnia. Licet enim aliqua somnia à Deo immittantur, qui tamen facile, & temere somniis credit, morali periculo deceptionis se exponit, quia ut dicitur Eccles: Cap: 34. *Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in eis.* Igitur cum quis somniis utitur quasi certis regulis ad facienda, vel omittenda, quæ Christianæ, vel civilis vitæ officia, aut futura libera spectant, graviter peccat, & ſuperstitionis reus est, unde severe á Deo prohibetur. Levit: Cap: 19. *Non augurabimini, nec observabitis somnia.*

Quæres 9no: Quid sit vana observantia, ac magia?

Resp: Vana observantia est, cum quis ad effectum aliquem externum, exg. ad sanandos hominum, & animalium morbos, ad vitam, ac valetudinem suam conservandam adhibet media vana, prorsus inania, veluti certa signa, nomina ignota, ceremonias ridiculas, figuras, numeros, characteres, aut etiam media naturalia quidem, ſed quibus frivola adjunguntur, tamquam ad producendum effectum omnino neceſsaria, vg. herbæ in vigilia S. Joannis Baptistæ collectæ, aut tali ordine, situ, applicatæ, scilicet vana est observantia cum ad aliquem effectum producendum aſsumuntur, & adhibentur illa, quæ nullam ad illum producendum habent vim naturalem, nullam efficа-

ficaciam, aut ex divina institutione, aut ex Ecclesiastica ordinatione, aut demum ex usu communi. Talis vana observantia est ex se peccatum mortale, quia cum tunc effectus nullus ex istiusmodi remediis à Deo expectari queat, Deus namque vanis, ac ridiculis se non immiscet, non aliunde ipse sperari potest nisi à Dæmone, ac proinde vel expreſsum, vel tacitum involvit cum eo pactum, quod grave semper est crimen.

Magia est ars mira patrandi. Magia alia est *naturalis*, cum ea quæ fiunt, naturæ vires non ſuperant, alia *superstitiosa* qua effectus mirabiles ope dæmonis patrantur, ut cum quis ad aliquid efficiendum utitur mediis, quæ vel nullam cum effectu connexionem habent, vel etiam legibus naturæ contrariantur, ut si hic pungitur figura, & homo alibi constitutus dolorem sentiat. Hæc magia grave est peccatum, propter commercium cum Dæmone ipsi adjunctum.

Quæres xomo: Quid sit maleficium?

Resp: Maleficium est, cum quis dæmonis ope nocet aliis, vel in eorum personis, ut cum morbi, dolores inferuntur, vel in rebus ad ipsos pertinentibus, ovibus, pecoribus. Maleficium grave est peccatum, quia & religioni adversatur, propter detestabile cum dæmone commercium, & charitati proximi opponitur, cui est injuriosum.

Dari maleficos, ex ipsa sacra Scriptura apertiſsime constat. Celebres ſunt Pharaonis Magi, Pythoniſsa quæ Samuelem suscitavit, & Simon, qui Samaritanos magiis ſuis dementaverat, quare Exodi Cap: 22. Judæis præceperat Deus ne maleficos paterentur vivere. *Maleficos non patieris vivere.*

Qui magiam, ac maleficia exercent à Confeſsariis interrogandi sunt, an non Religioni, Christi, Sanctis renuntiaverint, quia hoc erit apostasia à fide: an non Dæmoni preces fuderint, quod est idololatria, an non in Deum, Sanctos, convicia fuderint, aut Sacramentis, rebusque sacratis abusi sint, quod est blasphemia, & sacrilegium. Nunquam vero sunt absolvendi, nisi omnem cum dæmone societatem abjurent, artis magiæ, ac maleficiorum instrumenta, libros, schedas comburant, illata proximo damna reparent. Si tamen dæmoni chirographum dederint, neceſse non est, ut illud repetant, ſed satis est, si pænitentiæ lacrimis ipsum delere admitantur.

Quæres xxmo: An & quibus remediis uti liceat ad diſsolvendum maleficium?

Resp:

Resp: Ad dissolvendum maleficium uti licet *1mo:* remediis naturalibus, quæ petuntur ex herbis, aliisque rebus, imo remedia hæc ab initio tentari convenit, ne quod naturæ opus est, dæmonis esse temere judicetur. *2do:* Remediis supernaturalibus, qualia sunt, Confessio, Eucharistiæ susceptio, aquæ benedictæ, Sacrarum Reliquiarum usus, signum Crucis, cujus vis magna est contra Satanæ laqueos. Non licet autem petere à malefico, ut maleficium, per aliud maleficium tollat, quia hoc esset inducere alterum ad grave peccatum, quale est maleficium, quod nunquam licet. Quod si maleficus sciat modum licitum, quo sine alio maleficio, maleficium tollere possit, id ab eo expeti potest, quia id licite, & sine peccato efficere potest: Cum vero dubium est, an maleficus, ad maleficium tollendum licito, vel illicito usurus sit medio, tunc si probabilius sit maleficum medio licito ad tollendum maleficium usurum esse, peti & exigi ab eo potest, ut maleficium tollat. Sed quamvis probabilius esset, maleficum, ad tollendum maleficium non esse usurum nisi medio illicito, & tunc etiam licet à malefico petere, ut maleficium tollat, cum illud medio licito auferre potest, quia id ab eo petitur, quod licite facere potest, quod si perverso modo id effecerit, soli ipsius malitiæ peccatum illud imputatur. Licitum quoque est destruere, comburere, & evellere maleficii signa, veluti chartas, ligaturas, quia hoc est destruere opera dæmonis, quod semper bonum, ac laudabile est.

Quæres 12mo: Quod est secundum Decalogi præceptum?

Resp: Secundum Decalogi præceptum est istud: *Non assumes nomen Dei tui in vanum, nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Exodi Cap: 20. Duo autem in hoc præcepto continentur. *Primum* ut Sanctum nomen Dei honoretur. *Secundum* ne idem terribile nomen Domini, aliqua irreverentia afficiatur. Porro nomen Dei honoramus *1mo:* Cum Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, salutis nostræ authorem fidenter confitemur. *2do:* Cum divinas laudes celebramus, de omnibus rebus tam prosperis, quam etiam adversis Deo gratias agimus. *3tio:* Quando fidenter opem divinam imploramus, unde in Psalmo 49. dicit Deus: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me:* Inhonoratur autem nomen Dei, atque irreverentia afficitur. *1mo:* Quovis juramento, imprudenter & temeraric

rarie prolato, quod magis autem omni perjurio, per quod gravis injuria nomini Domini irrogatur. 2*do*: Indiscreta, nec satis pia divini nominis usurpatione, unde dicitur Eccles: Cap: 23. *Nominatio Dei non sit afsidua in ore tuo:* Quare Theodoretus interrogat: 41. in Exodum ait. *Ego puto divinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronuntiet sine aliqua ratione aut docendi, aut orandi, aut necefsariæ cujuspiam occasionis. Solent enim nonnulli ludentes, & ridentes, ut inciderit reverendum nomen Dei lingua proferre. Hoc arbitror divina lege prohiberi.* 3*tio:* Maxime autem nomen Dei inhonoratur blasphemia, & quando sacra nomina quæ Deo in sacris Scripturis tribuuntur, despectui habentur, aut ad vana, jocosa, scurriliaque ufurpantur. Hinc Levit. Cap. 14. dicitur. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.*

ARTICULUS 2dus

De tertio Decalogi præcepto.

Quæres 1mo: Quod est tertium Decalogi præceptum?

Resp: Tertium Decalogi præceptum est istud: *Memento ut diem Sabbati sanctifices, non facies omne opus in eo.* Sabbato autem à primis Ecclesiæ Christianæ sæculis substituta est dies Dominica. Cum enim aliquam diem divino cultui deputari necefse sit, nec conveniat ut serventur abrogatæ Moysaicæ legis Sabbatha, oportuit aliam Sabbatho substituere diem, prima autem hebdomadæ dies fuit cæteris anteponenda, quia hac ipsa die incepit Deus mundi creationem, hac eadem die Christus à mortuis resurrexit, Spiritus Sanctus in Apostolos descendit, & Christi Ecclesia Petro prædicante, cepit efformari, unde etiam hæc prima hæbdomadæ dies, Dominica dies jam Apostolorum tempore nominata est, quia specialiter cultui divino consecrata fuit.

Dominicæ autem diei observatio, licet Sabbatho fuccefserit, multum differt à Sabbati obfervatione, non enim id omne Christianis Dominica die prohibetur, quod Judæis die Sabbathi fuit interdictum. Licet enim apud nos parare cibum, & coquere, colligere fructus mensæ apponendos, animalia minora, exg. pullos, lepores occidere, non tamen majores veluti vitulos, oves. Ea quoque tolerantur quæ pertinent ad nitorem domus, aut ad decen-

decentem hominis compositionem, ut sternere lectum, vasa quædam lavare, vestium sordes abstergere, in illis parum aliquid reficere, & alia similia, quæ pridie fieri non poterant. Multa tamen sunt quæ eodem modo Christianis diebus Dominicis prohibita ſunt, quomodo Judæis die Sabbathi interdicta erant, & talia vel maxime ſunt opera ſervilia. Quemadmodum vero apud Judæos præter Sabbatum erant alii etiam dies festivi, qui pari modo ac Sabbatha colebantur, atque obſervabantur, ita quoque apud Christianos præter diem Dominicum, sunt dies festivi, qui etiam coluntur, & religiose observantur.

Præceptum autem de sanctificatione diei Dominicæ, ac aliorum Festorum sub mortali obligat, quia est in re gravi ad Religionem pertinente. Hinc Innocentius II. damnavit istam propositionem: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Quæres 2do: Quid sunt opera servilia?

Resp: Triplicis generis ſunt opera hominis: scilicet liberalia, servilia, & communia. *Servilia* opera ſunt ea, quæ á ſervis, & infima plebe, ſeu mercenariis hominibus exerceri solent, qualia ſunt artium mechanicarum opera, ut fodere, arare. Hæc porro opera, etsi gratis fierent, aut recreationis, vel piæ intentionis causa, non desinerent eſse servilia, quia intentio non mutat naturam operis, unde si plebeis prohibita ſunt, nobilibus & divitibus interdicta eſse censentur. Opera *liberalia* ea ſunt, quæ ànimo magis exercentur, quam corpore, ut exg. docere, scribere, studere, pingere, Opera *communia* ſunt illa, quæ plebeis perinde ac nobilibus competunt, ut iter agere, venari, piscari, ludere, & alia his similia.

Quæres 3tio: Utrum opera servilia prohibita sint diebus Dominicis?

Resp: Opera servilia Dominicis, ac festis diebus severe Christianis prohibita ſunt. Et id constat ex sensu & praxi omnium timoratorum, atque consvetudine totius Ecclesiæ. Et hanc legem eſse omnibus Christianis impositam testantur Sancti Patres. Augustinus Epist: 36. ait. *Vacatio à servilibus operibus imperatur, unde illud est, quod lapidare Deus hominem juſsit, qui ligna collegerat.* & S. Leo Libro II. Epist: 3. inquit. *Dominico die, à labore terreno ceſsandum est, atque omnino orationibus insistendum:* atque ipse Deus eos, qui ſervilibus operibus Dominicos, atque festivos dies violabant terribiliter punivit.

unde

unde Patres Concilii Parisiensis 6ti sic inquiunt: *Multi nostrorum visu, multi etiam quorundam relatu didicimus, quosdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemptos, quosdam artuum contractione mulctatos, quosdam etiam visibili igne corporibus, ofsibusque simul sub momento absumptis, in cinerem subito resolutis, pœnaliter occubuifse. Et multa alia terribilia judicia extiterunt & hactenus existunt, quibus declaratur, quod Deus in tanti diei dehonoratione offendatur.*

Verum non ii solum peccant qui Dominicis ac festivis diebus crafsiora exercent opera servilia, qualia sunt metere, fænum vertendo siccare, artes ferrariam, texteriam, fabrilem exercendo, sed & illi rei sunt violatæ diei festivæ, qui ea etiam faciunt, quæ à nobilibus aliquando fiunt, ut acu pingere, fusum versare aut quæ leviora efse videntur, nec multum vires corporis defatigant, qualia sunt tabellas pingere, statuas exsculpere, characteres typographicos ordinare. Sed & ii peccant qui servilia opera exercent quæ pietatem sapere videntur, vg. Scapularia, Rosaria conficiunt, mappas altaris, corporalia lavant, quia hæc & remote tantum ad cultum Dei ordinantur, & vere opera servilia sunt.

Quæres 4to: An peccent Barbitonsores, Pistores, minutarum mercium venditores, qui hæc diebus Dominicis, ac festis exercent?

Resp: Barbitonsores maxime in villis, sed & in civitatibus, qui in Dominicis festisque diebus artem suam exercent, non peccant, quia innumeri sunt homines qui vix ac ne vix quidem alio tempore hac in re prospicere sibi pofsunt. Idem dicendum est de iis, qui merces minutiores exg. calceos, vestimenta Rusticis, & Villanis hominibus vendunt, quia ipsi non aliis diebus ad Urbem accedere valent. At vero Pistores qui lucro inhiantes, Dominicis ac festis diebus panes à furno lasentes præbent, vel artiscrota conficiunt, peccant, pro infirmis tamen crustula, seu ut aiunt biscocta conficere non prohibentur.

Quæres 5to: Quoti temporis labor servilis, grave inducit peccatum?

Resp: Labor unius horæ sufficit, ut inducat peccatum mortale, jam enim gravis est materia, in qua divinum, aut etiam Ecclesiasticum violatur præceptum. Nihil autem interest, an quis per se, an etiam per alios, exg. famulos, laborat, quia per se facere censetur, qui per alios facit, & quo plures adigit ad laborandum die festivo, at-

que

que ipsi & gravius, ac diutius laborant, eo gravius peccat. Sed & peccant, Domini, Bonorum Administratores, Patres familias qui pro virili non obstant, ne filii ſui, famuli, ſubditi, villani operibus ſervilibus festa, Dominicasque dies violent. Quod si Domini, ac Bonorum Tenutarii perpetuo labore ita Rusticos opprimant, ut ipsi diebus festivis, Dominicisque sibi laborare cagantur, Rustici quidem, si graviſsima neceſsitate præſsi id faciant immunes eſse poſsunt, ſed qui illos ſua oppreſsione ad id impellunt, graviſsime rei ſunt.

Hinc illi qui diebus Dominicis aut festis ſerviliter laborant, à peccato gravi excusari possunt duplici ex ratione. *1mo*: Ex brevitate laboris, si exg. per quadrantem plus, aut minus laboraverit, venialiter nonnisi peccabit. *2do:* Ex levitate laboris, si quidpiam faciat, quod non multum defatigat, exg. si quis frusta ligni colligeret per breve aliquod tempus, gravis peccati minime eſset reus.

Quæres 6to: Quibus ex causis permitti poſsunt diebus festivis opera servilia?

Resp: Duæ ſunt potiſsimum causæ propter quas diebus Dominicis, festisque opera ſervilia aliquando permitti poſsunt, neceſsitas scilicet & pietas. Ita Cathechismus Concilii Tridentini, qui sic habet de observatione dierum festorum: *Non vetantur ea opera quæ ad divinum cultum atţinent, etiamsi servilia sint, ut altare instruere, Templa alicujus festi diei causa exornare, & reliqua hujus generis. Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quarum jactura facienda sit, si die festo prætermittantur.* Hinc *1mo*: non peccant illi, qui ob aeris intemperiem, aut hostiles incursus, meſsem, fænum colligunt. Neceſsum tamen est, ut ante obtineant Pastoris sui consensum, nisi periculum sit in mora, tunc enim laborare poſsent, ex præsumpto ejus consensu. Interim in casu privatæ neceſsitatis, certo cognitæ, ſufficit licentia Parochi, si vero publica sit, & laborem per plures festos dies duraturum expostulet, recurrendum est ad Episcopum, si id commode fieri poſsit. Ex eadem neceſsitatis causa excusantur Sartores qui vestes funereas ipso festi die neceſsarias, aut vestes militum qui eadem die profecturi ſunt, absolvunt. Item salinarij, qui coquendis lateribus, calcei, nitro, ferro,, cerevisiæ allaborant, quoties operà hæc semel inchota, sine gravi damno intermitti non poſsunt, prout reipsa communiter intermitti nequeunt.

2do:

2do: Non peccant illi, qui ea faciunt quæ proxime ad cultum Dei ordinantur, ut Altaria instruere, Templa ornare. Ideo Christus Math: Cap: 12. dixit, Sacerdotes in Templo Sabbatum violare, & sine peccato eſse. Non licet tamen Eccleſiam die festo verrere, parietes ipsius tapetibus ornare, et alia similia facere, quæ pridie commode fieri poſsunt.

3tio: Non peccant, qui charitati proximi inservientia faciunt, exg. Medicamenta infirmis neceſsaria parant, quia ex Math: Cap: 12. licet die Sabbati proximis benefacere.

Quæres 7mo: Quæ præterea diebus Dominicis, & Festivis prohibentur?

Resp: Diebus Dominicis, & festivis, præter opera servilia, prohibentur *1mo:* Judicia, quæ cum strepitu peraguntur, in quibus partes citantur, instrumenta exhibentur, documenta producuntur, testes examinantur. Imo multis legibus etiam civilibus constitutum est, ut quidquid diebus festivis judicialiter decretum & statutum fuerit, reipsa irritum, & *nullum* sit. *2do:* Mercatus sive nundinæ, celebratio contractuum. Unde non licet diebus festivis negotiari, emere, vendere, permutare, nisi neceſsitas, aliaque justa causa excuset. Quare etiam feriatis diebus fieri deberent illi mercatus, ad quas singulis hebdomadibus Rustici concurrere solent, grana, butyrum, ac similia ad vendendum comportantes. Horum autem ratio hæc est, quia etsi Judicia peragere, emere, vendere non sint opera servilia, attamen quia multum distrahunt hominem, & à cultu Divino avocant, cui diebus festivis Christiani vacare debent, ideo hæc iis diebus prohibita, ac interdicta sunt. Unde Pius V. Constitutione sua 5ta ait. *Antiquorum Canonum statuta renovantes, mandamus ut omnes in diebus festivis Ecclesias frequentent, Divinis Officiis devote intendant, ab omni servili opere abstineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant,* Verum quia Nundinarum ac mercaturæ usus diebus festivis exercendarum, multum invaluit, admonitionibus, exhortationibus cum prudentia, & maturitate contra hocce malum utendum est. Nequè etiam venditiones, ac emptiones rerum parvi momenti, maxime illarum quæ ad victum quotidianum neceſsariæ sunt, diebus festivis prohibitæ sunt. Generaliter autem *observatio festorum quoad circumstantias temporis, & modi, & loci, pro maxima parte relicta sunt determinationi Episco-*

sco-

scoporum, quæ cognoscitur tum ex eorum institutis, tum ex consvetudinibus per eos legitime toleratis inquit: Gerson in regulis moralibus.

Quæres 8vo: Quid de piscatione, venatione, itineratione sentiendum sit?

Resp: Venatio, piscatio inter opera servilia numerantur, quia actiones corporales sunt, & multum hominem defatigant, quare diebus Dominicis, & festivis prohibita sunt. Piscatio tamen, ac venatio brevis, & moderata, recreationis causa, post Divina absoluta Officia, afsumpta, non est festivis diebus prohibita. Quod si tali retium, ac instrumentorum apparatu fieret, qui plurimum exigeret laboris, tumultus, ac defatigationis, talis piscatio, ac venatio die festo illicita est, ac prohibita. Itineratio vero præcise, & in se considerata, sive pedibus fiat, sive rheda, etsi non sit opus servile, attamen ea, quæ ad iter peragendum necefsaria sunt, sæpe opus servile expostulant, veluti jumenta aptare, curros ad iter construere, onera imponere, ceteraque necefsaria præparare, quare diebus festivis iter inchoare non licet, nisi necefsitas excuset, aliaquè justa adsit causa. Maxime tamen arguendi sunt, qui diebus Dominicis, ac festivis Rusticos compellunt ad currus suos frumentis, aliisquê mercibus onerandos, & ad iter cum iis inchoandum, plurimum hac unica de causa ut diebus feriatis parcant, & hoc verum est etiamsi id fiat tempore pomeridiano, quia integro festo die à laboribus servilibus abstinendum est.

Sed præcipue diebus festivis Choreæ, Saltationes, theatrici ludi, inverecunda spectacula à SS. Patribus damnantur, ac prohibentur, quia & à Divino cultu, piisquê operibus, quibus dies festivi specialiter destinati sunt, detrahunt, & ordinarie, multis, multorum peccatorum sunt occasio. Quare merito etiam in quibusdam locis prohibitum est, ne Caupones & alii similis conditionis homines, tempore Divini officii, ac Concionis Sacræ, loci incolas ad potandum, & ludendum recipiant, & id, quatenus ubique observetur, totis viribus est enitendum.

Quæres 9no: Opera liberalia, & communia suntne diebus festivis prohibita?

Resp: Opera liberalia, & communia diebus festivis non sunt prohibita, quia sola servilia sunt interdicta. Hinc per se licitum est diebus festivis studio litterarum vacare, legere, scribere, accepti, & expensi rationes inire, instrumenta musica pulsare, quia hæc servilia non sunt.

Sic tamen prædictis operibus vacandum est, ut nihil eorum prætermittatur, quæ ad piam dierum festorum celebrationem necefsaria sunt, unde indubie peccat, qui secluso urgentis necefsitatis casu, brevi Mifsa contentus, ceteras offici Divini partes negligit, quin & eo plus delinquit, quo vacat opere vel inutili magis, vel quod plus à Divinis avocat. Unde vir nobilis, qui audita Mifsa, majori diei parte venatur, videtur reus efse gravis peccati, maxime si nihil plus in gratiam Dei faceret. A fortiori Sacrorum dierum violatores ii censeri debent, qui magnam eorum partem in popinis, in ludis, vanis deambulationibus confabulationibus transigunt.

Quæres 10mo: Quæ Christiani præstare tenentur diebus festivis?

Resp: Certum est ad sanctificationem Festorum haud satis efse, ab operibus servilibus abstinere, sed necefse est, vacare operibus religionis, ac Divinis officiis, Mifsæ Sacrificio, & Vespertinis laudibus interefse, Concionem audire, Sacramenta suscipere, præces ad Deum fundere; Actus virtutum maxime Theologicarum fidie, spei, & charitatis, elicere. Et id ex Divino eruitur præcepto. Deuter: Cap: 5. sic inquit Deus. *Observa diem Sabbati, ut Sanctifices eum.* Unde Nicolaus I. ad Consult: Bulgarorum Cap: 11. sic inquit: *Idcirco in diebus festis ab opere mundano cefsandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis, & Hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, eloquiis Divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus.* Speciatim ergo diebus Dominicis & festivis tenentur Christiani omnes usum rationis habentes: *1mo:* Mifsam devote, ac integre audire, atquè ad id sub mortali obligantur, ut constat ex praxi, & sensu totius Ecclesiæ, idque ab innumeris Conciliis est constitutum, atquè præceptum. *2do:* Concioni & Vespertinis officiis interefse debent. Haud tamen gravis est culpa Vesperas prætermittere, venialis tamen peccati reus est, qui cum potest, Vesperis non interest, saltem ergo absentiam suam privatis orationibus compensare debet. *3tio:* Actus virtutum maxime Theologicarum fidei, spei, charitatis elicere debent. Cum enim harum virtutum actus frequenter eliciendi sint, non est aptius tempus ad illos renovandos, quam dies festiva, quia dies festivi cultui Divino consecrari debent, jam vero juxta S. Augustinum Enchir: Cap: 2. *Colitur Deus fide, spe, & charitate*, id-

cir-

circo harum virtutum actus diebus festivis devote elicienendi sunt. Maxime tamen illi, qui peccato mortali gravatam habent conscientiam, elicitis actibus doloris, ac peccatum sincere detestando, æmendationem, resipiscentiamque firmiter statuendo, se ex toto corde ad Deum convertere tenentur.

CAPUT SECUNDUM

De quarto Decalogi præcepto.

Quæres: Quod est quartum Decalogi præceptum?

Resp: Quartum Decalogi præceptum his conceptum est verbis, Exodi Cap: 20. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Etsi vero Patris, ac Matris nomine, ii præcipue intelliguntur, à quibus corporalem vitam hausimus, attamen hoc præcepto intelligitur mandari, quidquid pertinet ad reddendum debitum cuicunquè personæ superiori & eminentiori. Hinc nomine Parentum, intelliguntur etiam Ecclesiæ Pastores, & omnes illi, qui in alios jurisdictionem, authoritatemquè habent, veluti Curatores, Tutores, Patresfamiliæ in famulos, ac servos suos domesticos. Horum omnium præcipua hic exponentur munia, & officia.

ARTICULUS Imus

De mutuis Parentum ac Liberorum obligationibus.

Quæres 1mo: Quid debent Parentes liberis suis?

Resp: Parentes liberis suis debent omnimodam temporalem curam tamdiu, quamdiu liberi sibi ipsis res necefsarias providere non pofsunt. Nam cum eis per generationem dederint vitam, debent quoque illam convenienter conservare, & ad perfectum statum perducere. Hac igitur in re Parentes erga liberos suos sunt Divinæ Providentiæ administri. Hinc S. Basilius M. in Psal: 7. scribens, sic inquit: *Debetur liberis à Parentibus secundum naturalis amoris affectum sustentandæ vitæ provi-*

dentia, ut præter hoc quod ad vitam illos genuerunt, etiam vivendi subsidia subministrent. Unde graviter tenentur Parentes liberos suos parvulos diligenter custodire, ne mali quidpiam illis eveniat, ne defformes fiant, ne suffocentur, victum quoquê & vestitum congruentem illis subministrare debent, sed & in futurum debent iis providere, quia inquit Apostolus 2, Corinth: Cap: 12. *Non debent filii Parentibus thesaurisare, sed Parentes filiis.* Quare curare debent Parentes, ut liberi sui artes statui suo congruentes discant, ex quibus deinceps vivere posſint, ut honeste secundum suam conditionem filii in statu quopiam collocentur, filiæ dotentur. Peccant itaquê Parentes. *1mo*: Qui parvulos secum in eodem lectulo dormientes suffocant. Matres gravidæ quæ immoderato labori vacant, currunt, saltant, nociva comedunt, cum gravi temporaneæ & æternæ infantium salutis periculo. Similiter Patres qui cum dispendio fætus Conjuges suas percutiunt, vexant, ærumna & dolore afficiunt. *2do.* Qui rem familiarem pro viribus non curant, bona sua quæ hæreditate aeceperunt, aut emptione acquisierunt dilapidant, unde fit ut post mortem suam nihil liberis suis relinquant, nisi forte nimia debita, quibus bona sua onerarunt. *3tio*: Qui post primæ uxoris mortem, ad secundas nuptias transeundo, falsa Inventaria cudunt, ut liberos ex priori conjugio susceptos legitima sorte defraudent. Hic autem tria notanda sunt. *1mo*: Nomine Liberorum intelliguntur etiam spurii, ac illegitimi, quibus etiam vitæ neceſsaria ab iis debentur, qui eos genuerunt. *2do*: in Liberorum nutritione, aliæ sunt Patris, aliæ Matris obligationes. Siquidem Mater liberos suos ad triennium usquê alere tenetur, at vero Pater triennes liberos sustentare debet, quod nisi fecerit, illud onus reddit ad matrem. *3tio*: non debent Parentes liberis suis neceſsaria vitæ ministrare, si his aliunde sufficientia bona suppetant, aut artem caleant, ex qua vivere, & sustentari poſsunt.

Quæres 2do: Quid præterea Parentes suis liberis debeant?

Resp: Præter temporalem curam, quam erga liberos suos Parentes habere tenentur, debent illos Christiane educare. Quia non alio fine Matrimonium à Deo institutum est, & à Christo Domino ad Sacramenti dignitatem evectum, nisi ut nata proles debite educaretur, & secundum legem Christi renata instrueretur, de virtute

tute in virtutem proficiat, ac tandem ad æternæ felicitatis portum perveniat. Unde in antiqua adhuc lege scriptum est, Eccles. Cap: 7. *Filii tibi sunt erudi illos, & curva ab adolescentia sua*, & Paulus Apostolus 1. Timoth: Cap: 5. inquit: *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Hinc omni sollicitudine curare debent Parentes. *1mo*: Ut liberi eorum statim ac fieri potest, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & alia scitu necessaria addiscant; ubi effulserit ratio, per amorem ad Deum se convertant, fidei & morum rudimenta teneant, Ecclesiam frequentent, Concionibus, Catechismis, & publicæ devotioni intersint, Sacramenta frequentent, virtutem ex animo sectentur. *2do*: meminisse debent Parentes illius Proverbii Cap: 23. *Qui parcit virgæ, odit filium suum, qui autem diligit, instanter erudit:* hinc debent continuo liberos suos à malo dehortare, monita salutis data occasione porrigere, delinquentes coarguere, increpare, atquè ubi verba non prosunt, etiam verbera adhibere. Cavendum tamen ne virtus sola verborum ope persvaderi credatur, simul tamen advertendum est, ne intempestiva lenitate deteriores fiant. *3tio*: præ ceteris vero incumbere debent Parentes, ut liberis suis bono sint exemplo. Nihil enim proderunt verba, & verbera, cum malo exemplo id omne evertitur, ac destruitur, quod doctrina, correptione ædificatum fuit. Graviter itaquè peccant scandalosi illi Parentes, qui coram liberis suis blasphemant, obscena loquuntur, ebrietati student, obvios quosque, præsertim è familia sua conviciis impetunt, Ecclesiam raro frequentant, rarius Conciones, rarissime Sacramenta. Horum liberi, si in æternum pereunt, ut pereunt sæpius, ipsi ingemiscent his S. Cypriani verbis Libro de lapsis: *Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas.* Pessime itaquê liberis suis consulunt ii Parentes, qui ipsis plenam quælibet frequentandi consortia, licentiam concedunt, primo, qui occurrit Pædagogo, sine delectu filios suos committunt, librorum Romanensium lectionem illis permittunt. His enim maxime Juvenes utriusque sexus corrumpuntur, & sub manu mali Pædagogi pessimi evadunt discipuli. Magna ergo solertia deligendus est instructor & invigilandum, ac frequenter investigandum, an ut par est officio suo fungatur, an non pupillorum mores corrumpat.

Quæres 3tio: Quid liberi suis debeant Parentibus?

Resp:

Resp: Multa sunt, quæ liberi suis debent Parentibus.

Et quidem *1mo*: Sincerum amorem, quia ipsa postulat natura, ut eos sincere diligamus, qui nobis plura maiorisquè momenti bona contulerunt. In hoc autem ordine primum locum tenent Parentes respectu suorum Liberorum, quos & mundo genuerunt, vitæ ediderunt, cum non eſsent, & multis curis aluerunt. Unde Ecclesiastici Cap: 7. dicitur: *In toto corde tuo honora Patrem tuum, & gemitus Matris tuæ, ne obliviscaris, memento quoniam nisi per illos natus non fuiſses, & retribuere illis, quomodo & illi tibi.* Unde graviter peccant liberi, si Parentes oderant, infortunia illis exoptant, ipsis mala imprecantur, dure illos tractant, graviter eos contristant, ad iram impellunt, molestias procreant, quare Eccles: Cap: 3. dicitur: *Maledictus à Deo, qui exasperat Matrem*: & Prov: 29. *Qui affligit Patrem, ignominiosus est, & infelix.* Peccant quoquè si torvo occulo eos intueantur, aspere cum ipsis loquantur, si éos oderint, si illis non subveniant in neceſsitate Spirituali, & temporali, ægros non invisunt, eorum sanitati non consulunt, non curant ut dum graviter infirmantur, tempestive Sacramentis muniantur. Quæ vero contra extraneos perpetrata sunt contra charitatem, justitiamquè mortalia, si fiant contra proprios Parentes, sunt longe graviora contra pietatem, & amorem illis debitum.

2do: Debent liberi suis Parentibus humilem reverentiam, & id primario quarto præcepto â Deo imperatur. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.* Parentes namquè sunt liberis suis majores, ac superiores, sunt ipsis loco Dei, qui primus est omnium Pater, factor, ac Creator universorum, omnimoda ergo illis atquè humilis debetur reverentia. Quare Eccles: Cap: 3. dicitur: *Qui timet Dominum honorat Parentes, & quasi dominis serviet, his qui genuerunt se.* Contra reverentiæ debitum peccant liberi, qui Parentes suos percutiunt, nequé hic á mortali excusat levitas percuſsionis ob conditionem Patris vel Matris, injuriam sustinentis, qui illos irrident, & subsannant, aut deridendos exponunt, qui nativitatis suæ obliti, Parentes egenos agnoscere nolunt, eosquè coram aliis erubescunt.

Hic duo notanda sunt. *1mo:* Id, quód contra extraneum factum mediocrem nonnisi contineret injuriam, grave censeri, si contra proprios Parentes fiat, ob singularem

quæ

quæ ipsis debetur, amorem, ac reverentiam. *2do:* Quidquid contra extraneum commissum, esset peccatum mortale, id duplicem habere malitiam si contra proprios fiat Parentes, ob violatam pietatem qua erga eos affecti esse debemus.

Quæres 4to: Utrum liberi obedire teneantur Parentibus suis.

Resp: Liberi suis Parentibus obedire tenentur in iis, in quibus ipsis subsunt, quare Apostolus ad Ephes: Cap: 6. inquit: *Filii obedite Parentibus in Domino, hoc enim justum est*, & ita justum, ut filius Patri, ac Matri rebellis, Deo mandante lapidibus obrui jubetur. Deut: Cap: 21. Verum hæc obedientia in iis Parentibus debetur, in quibus liberi ipsis subsunt. Subsunt vero *1mo*: In iis omnibus quæ spectant bonos mores, atquè Christianam institutionem, qualia sunt abstinere à periculosis conversationibus, ludis, spectaculis, Divina frequentare Sacramenta, Ecclesias adire, Concionibus interesse, vitia declinare, pietati incumbere. *2do*: in his quæ spectant regimen domesticum, internam familiæ pacem, bona, decusquè ipsius. Non subsunt vero liberi suis Parentibus in iis quæ præceptis Divinis, aut Evangelicis consiliis adversantur, in his namquè semper, *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Jam vero circa electionem status. *1mo:* tenentur liberi consilium, & consensum Parentum suorum exquirere, & ipsis insciis nihil arripere, neque moliri. Quare graviter etiam peccant, qui inconsultis Parentibus conjugium ineunt. Matrimonium siquidem res est gravis momenti, & summe periculosa, sine maturo itaque consilio, maxime Parentum, constitui non debet. Sed non peccat filius qui puellam à Parentibus propositam non acceptat, quia est moribus male compositis, deformis, infirma, aut talis, quam ex naturali antipathia diligere nequeat. Minime etiam rei sunt, qui sine Parentum consensu matrimonium ineunt, quia ab ipsis injuste, male, & aspere tractantur, vel quia Parentes iniquè consensum denegant, longo tempore sine causa differunt.

2do: Graviter peccant Parentes, qui directe vel indirecte liberos suos cogunt ad susceptionem status fixi, ac permanentis. Quia non hominis, sed Dei est vocare quo voluerit, & ex coacta vocatione pessimi exitus scaturiunt, inde enim perpetua in matrimoniis odia, odiorumquè effe-

ctus

ctus, crebra adulteria, in statu Clericali, vel Religioso sacrilegia, tædium, furor, desperatio.

Sed & peccant Parentes, qui cæco liberorum amore abrepti, eos à Clericatu, sive Religioso statu retrahunt, sic enim Divinæ vocationi obsistentes, multum suis liberis nocent. Poſsunt tamen Parentes impedire ne filius ineptus Clericalem, Religiosumve statum amplectatur, & præterea sibi, suisquè sancte consulunt, qui liberorum suorum vocationem sedulo examinant, eorumquè proposito se ad tempus opponunt, ut probent, an ex sincero ferendæ Crucis desiderio Statum Spiritualem ſuscipere velint, an non ex volatili fervoris æstu, qui cito extinguitur, agant.

Quæres 5to: An liberi suis Parentibus in eorum neceſsitatibus subvenire teneantur?

Resp: Liberi suis Parentibus in eorum neceſsitatibus tam Spiritualibus, quam corporalibus subvenire debent. Enimvero Parentes suis liberis providere adnituntur tam in corporalibus, quam etiam in Spiritualibus. Ergo etiam in utroquè hoc genere Liberi suis Parentibus viciſsim consulere debent. Unde Eccles: Cap: 7. dicitur: *Honora Patrem tuum, & gemitus Matris tuæ ne obliviscaris, & retribue illis, quomodo & ipsi tibi.* Quare Christus Math: Cap: 15. graviter increpat Pharisæos, qui bona à filiis Parentibus eroganda, in oblationem accipiebant, ac per hoc irritum faciebant mandatum Dei, de honorandis Parentibus constitutum. Hinc graviter peccant liberi. *1mo:* qui Parentes suos, quantum poſsunt, à peccatis ebrietatibus, maledictionibus, injuriis, rixis, odiis, invidiis non removent, in periculo mortis constitutos, de recipiendis Sacramentis non admonent, Sacerdotem, qui ea ipsis administret, tempestive non procurant, post mortem illorum obliviscuntur, piis suffragiis animas ipsorum juvare negligunt. *2do:* qui Parentibus graviter egenis, vestitum, alimenta, habitationem denegant, ad mendicandum compellant, è domo expellunt, eos in infirmitate positos non visitant, sanitati eorum non consulunt, cum injuste gravati sunt, pro virili non tuentur.

Quæres 6to: An ob Parentum neceſsitatem teneatur filius ab ingreſsu Religionis abstinere?

Resp: Nemo tenetur ab ingreſsu Religionis abstinere ob communem Parentum neceſsitatem, quia hæc neceſsitatis species pro levi habetur, & eorum tolerabilis est conditio, qui licet careant utilibus, neceſsariis tamen

non

non carent, ſed ea, quamvis serio labore sibi comparant, atquê ubiquê receptum est, ut filius in casu communis necesſitatis, sibi potius, quam alio cuicunquê provideat.

Verum cum Parentes sunt in gravi, vel extrema necesſitate, filius tenetur ingresſum Religionis prætermittere. Quia non potest impleri consilium, cum præjudicio præcepti naturalis, quo filius tenetur in extrema, aut gravi necesſitate Parentes suos alere, ac sustentare. Et id verum est. 1mo: Etiamsi Parentum necesſitas nondum sit præsens, modo probabiliter credatur futura, talisque sit, quam filius avertere valet, & id locum præsertim habet, cum Parentes ære alieno gravati sunt, vel onusti puellis, quæ si deserantur, in apertum amittendæ pudicitiæ, & honoris periculum conijcientur. 2do: etiamsi filius vovisſet Religionis ingresſum, quia vel vovit tunc, cum jam graviter indigebant Parentes, & votum, utpote cum præcepto naturali incompatibile non obligat durante tanta necesſitate, vel vovit ante Parentum indigentiam, & tunc executio voti, propter rerum immutationem suspenditur. Quodsi filius non obstante hac Parentum necesſitate, Religionem ingrediatur, non licet ei facere profesſionem, si nihilominus fecerit, valebit quidem Profesſio, ut communiter docent Theologi, sed tenebitur egredi, & voti, seu Profesionis suæ executionem suspendere, quando scilicet egrediendo Parentum necesſitati poterit subvenire. Hic tamen tria requiruntur 1mo. ut desint alii, qui præter filium posſint, & velint ipsius Parentibus succurrere. 2do: ut vera subsit spes Parentibus subveniendi. 3tio: ut Religionis ſusceptio ſubsidia Parentibus debita reipsa impediat. Si enim in Religione manens filius æque Parentibus ſubvenire potest, ac in ſæculo manens, non est cur à Religione deterreatur.

Attamen certum est valere illius votum qui stante gravi, aut extrema Parentum necesſitate Religionis ingresſum vovit, suspenditur quidem ejus executio, quoadusque durat illa Parentum necesſitas, sed illa transacta, votum impleri debet.

Quæres 7mo: Quando filius in Religione profesſus, propter Parentum necesſitatem é Monasterio egredi posſit?

Resp: In extrema, aut quæ ad extremam accedit Parentum necesſitate, potest filius etiam Profesſus é Religione egredi, petita, & obtenta suorum Superiorum licentia. Quia filius etiam post religiosam profesſionem,

manet

manet vere filius, ergo in eo subsistit tota præcepti naturalis obligatio Parentes suos juvandi, cui cedere debet quæcunque voti obligatio, & Parentes ad filium etiam Profeſsum jus habent indisputabile, ut ab eo in extrema miseria ſubleventur. Porro Religiosus ob Parentum ſuorum neceſsitatem é Monasterio egreſsus, debet eſsentialia status sui observare, habitum regularem ferre, & ad Religionem statim reverti postquam Parentibus providerat.

Jam vero si neceſsitas Parentum sit tantummodo gravis, tunc vel istiusmodi neceſsitas communitati Religiosæ nota erat, cum filium ad suum gremium admisit, vel ignota, quia hanc filius celaverit, aut post Profeſsionem filii, Parentibus obvenerat. Si *primum*, debet Superior Regularium, per eleemosynas Monasterii, opem ferre indigentibus inferioris sui Parentibus & ad id videtur sese virtualiter obligaſse, quatenus istiusmodi hominem ad suum Ordinem acceptando, & onus ipsius acceptaſse censendus est. Si *secundum*, cum nimirum filius celata Parentum suorum neceſsitate ad Religionem admiſsus est, atquè sic Communitatem religiosam decepit, durius cum eo agendum est, nequè Superior regularis illius Parentibus opitulari tenetur, nequè ipse é Monasterio egredi valet, nisi forte Superior illius propter graves rationes id ei permiserit. Idem dicendum est, & potiori quidem jure de eo, post cujus Profeſsionem Parentes in gravem egestatem delapsi sunt, is enim habita facultate à suis Superioribus è Monasterio egredi potest, ut succurrat gravi Parentum suorum egestati, cui ipsi vel nullatenus, vel nonnisi graviſsime, & cum dedecore status sui consulere valent.

Sed nemo tenetur in ſæculo manere, propter fratrum, sororum, aut aliorum propinquorum neceſsitatem etiam gravem, dummodo non fuerit extrema. Quia nemo iis tantum debet, nec ita stricte iis tenetur ſubvenire, sicut suis Parentibus, nisi tamen fratres, vel sorores sint adhuc sub cura, & tutela Patris, aut Matris suæ, nam tunc creant, aut augent neceſsitatem Parentum, qui illis omnia neceſsaria providere debent, atque ex ratione Parentum, potest quis strictius obligari erga ſuos fratres ac ſorores, quam alias fuiſset ipsis obstrictus, si sub cura, & tutela Parentum jam non extarent.

Quæres 8vo: Quid sibi debent consangvinei & affines?

Resp: Consangvinei, & affines debent sibi mutuum amo-

amorem, & in neceſsitate etiam communi atquè ordinaria auxilium, atquè ſubsidium. Et ad hæc ratione ſpeciali obligantur: si enim ex Divino præcepto omnes se invicem diligere, sibiquè mutuo opitulari tenentur, quanto magis natura ipsa exigente, ea sibi debent illi qui naturæ, & affinitatis nexibus strictius secum quam cum cæteris, sunt colligati, atquè conjuncti. Unde quoties agitur de injuria, odio, maledictionibus contra consangvineos, atquè affines prolatis, quoniam hæc peccata graviora sunt, quam eſsent, si adversus extraneos committerentur, circumstantia consangvinitatis, & affinitatis in Confeſsione est exprimenda.

ARTICULUS 2dus

De mutuis Dominorum, ac famulorum, Patrum, filiorumquè spiritualium officiis.

Quæres 1mo: Qui nomine Patrum, filiorumquè spiritualium veniunt?

Resp: Nomine Patrum, filiorumquè ſpiritualium, venire ſolent Pastores, qui gregem ſuum informare tenentur, quales sunt Parochi, Præceptores qui Alumnos instruere debent, Patrini seu in Baptismo, seu in Confirmationis Sacramento.

Quæres 2do: Quid debent Pastores gregi suo?

Resp: Pastores gregem suum pascere debent, exemplo conversationis, verbo prædicationis, & fructu orationis. Et quidem 1mo: Pastores debent gregi ſuo bono exemplo prælucere. Unde Paulus Apostolus ad Titum ſcribens cap: 2. sic inquit. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. 2do.* debent gregem suum pascere verbo prædicationis, quapropter Apostolus admonet Timotheum. *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* Graviter ergo peccant, qui Cathechismos, quasi rem nullius momenti, omittunt, Conciones, aut nullas, aut admodum jejunas habent. *3tio.* tandem debent Pastores gregem suum pascere fructu orationis, quia nequè qui plantat, nequè qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Unde Actorum Cap: 6. ajebant Apostoli: *Nos orationis & ministerio verbi instantes erimus.*

Quæres

Quæres 3tio: Quid debent fideles Pastoribus suis?

Resp: Fideles debent Pastoribus suis sincerum amorem, in iis quæ ad salutem pertinent, obedientiam, debitam reverentiam, & congrua vitæ subsidia. Enimvero Pastores sunt fidelium Patres in Spiritu, quia in Christo Jesu ipsi eos Deo, & Evangelio genuerunt, in verbo & doctrina circa eorum salutem laborant, atque pervigilant, rationem Domino pro animabus eorum reddituri, ipsis præsunt, Sacramentis pascunt, doctrina erudiunt. Omni ergo jure debetur illis à fidelibus amor sincerus, alacris obedientia, debita reverentia, atquè congrua vitæ temporalis subsidia. Unde Apostolus Hebr: Cap: 13. ait: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* & Lucæ cap: 10. ipse inquit Christus: *Dignus est operarius mercede sua.* Quare Paulus 1. ad Timoth: Cap: 5. inquit. *Qui bene præsunt Præsbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.*

Quæres 4to: Quæ sunt obligationes Patrinorum?

Resp: Patrini filios suos quos in Baptismo, aut Confirmatione suscipiunt, in doctrina fidei ac morum instruere, & ad virtutem informare tenentur. Quia unusquisquè obligatur ad exequendum officium quod in se suscepit, qui vero aliquem de Sacro fonte, aut in Confirmatione suscipit, Patris spiritualis, pædagogi, ac præceptoris munus, officiumquè assumit, quod ex ipso multiplici Patrinorum nomine eruitur, qui à Sanctis Patribus vocari solent sponsores, fidejussores, fidei Doctores, hodiequè vulgo Patrini, quasi Parentum carnalium substituti dicuntur. Hanc porro rem variis iis nominibus expressam adimplere non possunt, nisi eos quos de Baptismo, aut Confirmatione susceperunt, erudire, redarguere, & omni qua possunt via ad pietatem pertrahere conentur. Ergo ad id omnino tenentur. Hinc Parochi ad officium Patrini neminem admittere debent, nisi ea sit ætate, judicio, & moribus ut prædictis omnibus officiis satisfacere possit. Cavendum ergo ne Hæretici unquam in Patrinos assumantur, quia Patrini munia obire nequeunt. Non cessat autem Patrinorum officium etiamsi illi, quos è Sacro fonte levaverunt, jam sufficienter instructi sint, sed tenentur Patrini omni quo poterunt modo eos à dissolutis moribus revocare ad pietatem, virtutesquè pertrahere, sive jam careant carnalibus Parentibus, sive eos quidem habent, sed inertes, & qui proli suæ satis non invigilant. Patrini enim semper sunt quodammodo Patres, semper

ergo

ergo filios suos ſpirituales, filiasquè corrigere, & corripere tenentur, quamdiu bonus succeſsus sperari potest.

Quœres 5to: Patrinis suis quid debeant filii eorum filiæque spirituales?

Resp: Debent illis amorem, reverentiam, & filialem obedientiam, quia filii filiæquè ſpirituales omni conatu efficere debent, ut eorum Patrini officio suo fructuose, & alacriter cum gaudio perfungantur. Ad id autem requiritur, & omnino neceſsarium est, ut amorem amori rependant, ut Patrinos velut alteros Parentes revereantur, ac demum iis obtemperent, in his omnibus, quæ Patrinorum muneris sunt. Hæc si adimplere detractaverint, contra pietatem Patrinis debitam peccant.

Quœres 6to: Quid Domini, seu Patresfamilias debeant suis famulis?

Resp: Debent famulos suos diligere, instruere, corripere, eorumquè operam justo stipendio remunerare. Hæc ex Sacris litteris constant evidentiſsime. Et quidem *1mo:* famulos, famulasquè suas diligere tenentur, quia Eccles: Cap: 33. dicitur: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, & quasi fratrem sic tracta eum.* Et vero famuli, ac ſervi, eundem ac Patres-familias habent in Cœlis Dominum & Patrem: ergo diligi debent ut fratres, & conservi, ut nempe conditio eorum mansvetudine, ac benevolentia leniatur, non imperio rigidiore exasperetur. Hinc ad Ephes: Cap: 6. inquit Apostolus: *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia & illorum & vester Dominus est in Cœlis. 2do:* debent eos instruere de rebus ad salutem neceſsariis sive per se, sive per alios ad id idoneos, ut Dei & Ecclesiæ mandata sciant, illa observent, Sacramenta frequentent, à vitiis sibi caveant, quæ si inter illos graſsare conspexerint, tenentur eos corripere, & emendare, instando ut à periculosa inter se familiaritate procul distent; incorrigibiles autem, & scandalosos qui alios depravant è Domo sua expellere debent. Nam Domini tenentur à suis Domesticis causas, & occasiones peccatorum avertere. Porro cum famulus aut ancilla justis de causis expellitur, ſufficit si pro rata temporis stipèndium ei persolvatur.

Verum hæc est plerumque Dominorum somnolentia, ut vix sciant quam servi eorum profiteantur religionem, de eorum moribus nihil curant, illorum impietati connivent, & aliquando blandiuntur, & tamen ex famulorum corruptione ut plurimum sequitur filiorum-familias depra-

pravatio. Merito ergo Apostolus 1. ad Timoth: Cap: 5. scripsit. *Qui suorum & maxime domesticorum curam non habet fidem negavit & est infideli deterior.* Quare Domini stricte tenentur deliquentes famulos, *seu verbo, seu verbere, seu quolibet alio pœnæ genere justo, & licito corripere* ut inquit Augustinus libro 19. de Civit: Dei Cap: 16. Sed pæna ut justa sit, & licita, culpæ par eſse debet. Unde sanctæ correptionis limites excedunt, qui pro leviori culpa, aspera quæque verba, aut etiam verbera adhibent. *3tio*: Tandem tenentur Domini famulorum suorum operam justo stipendio compensare. Hinc peccant juxta materiæ gravitatem, qui famulis suis neceſsaria ad victum denegant, qui stipendium eorum differunt, qui famulos quibus indigent conducunt, & nulla facta pactione, recusant id, quod justum est, qui ægrotos non curant, vel statim dimittunt. Non debent tamen Domini stipendium famulis pro tempore quo infirmi decubuerint, si morbus fuerit diuturnus, imo nec majores pro iis curandis expensas facere tenentur. Sed si infirmitas fuerit brevis, & expensæ pro illorum curatione modicæ, nec stipendium diminuere poſsunt, & istiusmodi modicas expensas gratis illis offerre charitas expostulat. Et hæc est praxis timoratorum. Sed præterea obligantur Domini omnimode efficere ne servis suis desint spiritualia salutis remedia, dum ipsi infirmantur.

Quæres 7mo: Ad quæ obligantur servi erga Dominos suos?

Resp: Servi suis Dominis obligantur exhibere obedientiam, reverentiam, justum obsequium ac fidelitatem. Hæc enim omnia in Sacris Scripturis á ſervis exiguntur. Et quidem *1mo*: obedientia: sic Ephes: Cap: 6. *Servi obedite Dominis carnalibus in simplicitate cordis vestri sicut Christo. 2do*: honorem, & reverentiam 1. ad Timoth: Cap: 6. *Servi Dominos suos omni honore dignos arbitrentur. 3tio*: obsequium justum, & rationabile, ut *non sint ad occulum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes Dei voluntatem ex animo.* Eph: cap: 6. *4to*: deniquè fidelitatem, nam ut inquit idem Apostolus Epist: ad Titum Cap: 2. oportet *servos Dominis suis subditos eſse, non fraudantes, sed in omnibus bonam fidem ostendentes.*

Contra hæc officia peccant. *1mo:* qui in obmurmurationes erumpùnt, cum sibi quidpiam præcipitur, qui id se feciſse simulant, quod non fecerunt, qui laboris sui par-

partem aliis committunt, quos Domini ære compensant, & qui dum arguuntur, paratum habent mendacium, quo se defendant. *2do:* Qui occultos Dominorum suorum defectus extraneis detegunt, & ita exaggerunt, ut vix invenire posſint, qui sibi famulari velint, qui inter ſe Dominos ſuos derident, debitam rerum sibi concreditarum curam abijciunt, easque fieri deteriores, aut à conservis destrui, consumi sinunt. *3tio:* Qui pacto sibi salario minime contenti, clanculum quidpiam subripiunt, grana & alia similia furantur, *4to:* Qui ante tempus constitutum sine justa causa discedunt, & hic tenentur resarcire damnum, quod Dominus exinde patitur, ut si maiori prætio alium conducere debet. Nam ex contractu, ideoque ex justitia toto tempore constituto servire debent, & omnis injustitia damnosa parit obligationem restituendi. Cæ erum meminiſse debent famuli, famulæque, Deo magis obediendum eſse, quam hominibus, quoties ab eis exigitur quidpiam Dei, & Ecclesiæ legibus oppositum, ac contrarium.

Quæres 8vo: Quæ sunt obligationes Tutorum, ac Pupillorum?

Resp: Tutores, qui in locum Parentum constituuntur, pupillis suis temporaneam, & spiritualem curam debent, ac proinde eos monitis, adhortationibus, ad pietatem Christianam accendere tenentur. Debent insuper rem eorum domesticam diligenter ac fideliter velut suam tractare, atque justis & licitis modis augere.

Pupilli quoque ſuis Tutoribus debent, amorem honorem, ac omnimodam obedientiam. Quia Parentum locum ipsi tenent. Quare peccant Pupilli si Tutoribus ſuis resistant, aut erga eos irreverenter se gerant, eos aspernentur, atque istiusmodi peccatum aliquando mortale eſse potest.

Quæres 9no: Ad quid generatim Superiores & inferiores erga se invicem obligantur?

Resp: Superiores tum Ecclesiastici, tum Civiles tenentur procurare bonum inferiorum suorum, & eorum malum avertere ac impedire secundum potestatem, quam habent, & munus quod exercent erga illos. Namque Eccles: Cap: 32. dicitur. *Rectorem te posuerunt, curam illorum habe.* Certe omnis potestas ac munus publicum est propter bonum inferiorum, & Superiores ratione sui officii, Parentum vices gerunt. Ergo & bonum suorum inferiorum procurare & malum ab eis avertere tenentur.

Et quemadmodum filii erga Parentes, ita cum pro-

por-

portione inferiores erga Superiores quoslibet, debent amorem, reverentiam, & obedientiam exhibere secundum cujusque munus, ac officium. Nam ut inquit Catech. Romanus de 4to præcepto: *Præter eos qui nos genuerunt, multi præterea sunt, quos parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel præstantis alicujus muneris, & officii ratione.* Unde Apostolus ad Romanos scribens Cap: 13. inquit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Hinc graviter peccant inferiores, si Superioribus suis in re gravi ad eorum munus pertinente non obediunt, si eos contemnant; vel eorum defectus aliis propalant, ut eos odiosos, ac contemptibiles reddant.

CAPUT TERTIUM

De quinto Decalogi præcepto.

Quæres: Quod est quintum Decalogi præceptum?

Resp: Quintum Decalogi præceptum est istud. *Non occides.* Etsi in speciem breve, multa tamen complectitur, omnia siquidem nocumenta, quæ proximo inferuntur, in homicidio intelliguntur, sicut in principali esse contenta, ac prohibita. Porro homicidium prout quinto Dei præcepto prohibitur est, *injusta hominis occisio,* ideoque deliberata, & ab eo facta, qui ad id potestatem non habet. Est ergo hominis occisio alia *injusta* ac illicita, quæ privata fit authoritate. Alia *justa* ac licita, quæ fit authoritate competente & publica.

ARTICULUS 1mus

De occisione hominis, quæ fit authoritate privata.

Quæres 1mo: An licet seipsum occidere?

Resp: Seipsum potest quis duobus modis occidere, scilicet *directe* ut si gladio se confodiat, & *indirecte* ut si se quibusdam amittendæ vitæ exponat periculis, aut omit-

tat

tat id, quo vitam servare poſset. Et quidem directe & proprio motu non licet seipsum occidere. Id enim quinto Decalogi præcepto prohibitum est. *Non occides* quo tum nostra, tum proximi occisio interdicta à Deo est, & non plus juris habet homo in propriam, quam in proximi vitam, Deus namque solus, *vitæ & mortis habet potestatem*, ut dicitur Sap: Cap: 16. Hinc S. August: libro 1. de Civit. Dei Cap: 27. sic inquit. *Si non licet privata potestate alicui hominem occidere vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit, profecto etiam qui seipsum occidit homicida est.* Quare non licet quidquam facere, quod immediate & ex natura sua tendit ad mortem, qualia ſunt jugulatio, strangulatio, præcipitatio ex alto loco, hæc enim facere, eſset se ipsum directe, & positive occidere, quia per se & immediate ad mortem sibi consciscendam ordinatur. Sed neque licet ei, qui ad rogum damnatus est, venenum haurire ad evitandos ignis cruciatus, quia non licet sibi directe mortem lentem procurare, ut duriora vitentur tormenta.

Dices: Samson inter Sanctos veteris Testamenti à Paulo Apostolo annumeratus, mortem sibi cum Philisteis intulit. Nonnullæ Christi Virgines & Martyres in flammas se conjecerunt. Hi sibimet ipsis mortem intulerunt, & tamen Sanctis annumerantur.

Resp: Id fecerunt ex speciali Spiritus Sancti instinctu. Ita docet S. Augustinus libro 1. de Civit: Dei cap: 26. *Hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed Divinitus juſsæ, sicut de Samsone nobis fas non est aliud credere.* Certe Samson nonnisi post imploratam opem Divinam, columnas concuſsit, & Philisteos ſecum interemit, Spiritu Sancto latenter jubente, *qui per eum miracula faciebat*, inquit idem Augustinus. Hæc igitur à Sanctis facta ſunt non proprio motu, sed Dei juſsu, qui omnium hominum vitæ & mortis habet potestatem.

Quæres 2do: An licitum sit homini variis se mortis exponere periculis?

Resp: Justa exigente causa licitum est variis se ultro mortis exponere periculis, aut ea quandoque omittere, quibus vitam quis diutius conservare, ac protrahere poſset. Sic licet militi in hostes irruere cum certo etiam mortis periculo, si id bonum commune expostulet. Neque etiam peccat, sed magnæ charitatis actum exercet, qui cum propriæ vitæ periculo peste infectis deservit. Sed & non peccat qui abstinet à prætiosiſsimis medi-

camentis, in quibus profundi deberent opes patrimonii, vel qui non vult gravifsimos sustinere cruciatus, vg. pedum, aut brachiorum fectionem, quia non tenetur homo difficillimis etiam uti mediis, ad vitam suam diutius protrahendam. Membri tamen abscisionem pati oportet, cum hæc sine gravifsimis doloribus fieri potest, & expensis, mediisqué ordinariis, atquè communibus vitæ & sanitati suæ quilibet consulere obligatur, eamquè quantum potest conservare.

Quæres 3tio: Utrum liceat se ipsum mutilare?

Resp: Nemini licet se ipsum mutilare. Quia non magis homo membrorum suorum Dominus est, quam vitæ, cuius totalitas à membrorum integritate pendet. Porro non est homo vitæ suæ Dominus, unde illam sibi adimere non potest, Non est quoquè Dominus suorum membrorum, nullum ergo sibi abscindere aut abscidi permittere valet. Quare nunquam licet pueros etiam consentientes castrare ad conservandam vocis svavitatem, quamvis id fieret in obsequium Ecclesiæ. Licet tamen membrum putridum, aut infectum abscidere, cum ex consilio Medicorum, ejus abscifsio ad salutem totius corporis, vitamquè conservandam judicatur efse necefsaria, quia ordo naturæ postulat, ut partem in gratiam totius resecare & amittere liceat, quia pars est propter totum, quo pereunte, ipsa quoque periret.

Quæres 4to: Quotuplex est homicidium, & quod ex illis peccatum censeri debeat?

Resp: Injusta alterius hominis occisio, & quæ fit privata authoritate, est proprie dictum homicidium, & istud multiplex est. Namque *1mo:* aliud est *necefsarium*, cum quis alium occidit, ne ipse occidatur, scilicet in sui defensionem. Aliud *voluntarium*, cum quis vult mortem alterius seu in se ipsa eam intendendo, seu in causa ab eadem morte inseparabili. Aliud demum est *casuale*, idque duplex est, vel *casuale simplex*, quod præter omnem agentis intentionem sequitur ex actione, ex qua nec prævidebatur, nequè moraliter prævideri poterat secuturum, vel *casuale mixtum*, quod quis reipsa quidem non intendit, sed illud prævidere potuit, & ideo illud impedire debuit.

Itaque constat *1mo*: homicidium voluntarium gravifsimum efse peccatum, illudquè primario ac directe quinto Decalogi præcepto prohiberi. *Non occides*: quia proximo adimitur bonum, omnium bonorum præstantifsimum, & irreparabile, quod est vita, proindequè homicidium

dium merito censetur eſse omnium scelerum maximum. Unde Caim, qui Abel fratrem suum occiderat, horrore criminis perterritus, & in desperationem actus exclamavit. *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear* Genesis Cap: 4. Sed & alium verberare, privata authoritate mutilare, peccatum est sæpæ pro injuriæ gravitate mortale. Homicidam vero ac mutilatorem interrogare debet Confeſsarius *1mo*: An occiderit ex repentino furoris impetu, an ex veteri odio, vi cujus occidendi voluntatem pluries iteraverit. *2do*: An occisus consangvinitate, vel affinitate ipsi conjunctus fuerit, an uxorem, prolemquè habuerit, quam labore suo sustentabat, an non propter verberationem, mutilationem, tempore morbi in Medicos multæ expensæ factæ sint.

2do. Constat quoquè homicidium simpliciter casuale, utpote involuntarium à peccato excusari. Unde non est homicidii reus, qui inculpabiliter ebrius, alium occidit, imo nequè homicidii reus eſset, qui sua culpa ebrius, haud prævidere potuit homicidium, quod perpetravit. Pariter si quis leviter alium vulneravit, cui vulnus, vel chirurgi neglientia, vel illius propria incuria, corruptione infectum, mortem attulit. homicidii non erit reus. Tandem à peccato homicidii immunis est qui adhibita omni, quæ viri prudentis judicio adhiberi potuit & debuit diligentia, hominem occidit *exg.* si venator postquam satis circumspexerit num adeſset aliquis, explosa fistula, hominem occidit.

3tio. Constat demum homicidium casuale mixtum, eſse peccatum plus, aut minus grave, prout plus, aut minus habet voluntarii. Quare homicidii rei sunt. *1mo*: qui actum etiam licitum, sed periculosum faciunt, non adhibita sufficienti diligentia, ut patet in nutrice quæ infantulum reliquit solum in loco, unde decidere poterat. *2do*: Qui actum ponunt periculosum, nec in sua habent potestate, ut ſufficienter attendant, debitamquè adhibeant diligentiam. Hinc graviter peccant Parentes, qui cum somni tempore in omnem partem se vertant, tenellos infantes in eodem secum lecto reponunt, quia cum nec a somno abstinere, nec sibi dormiendo invigilare queant, in perpetuo suffocandæ prolis periculo versantur, adeoque continuo peccant. *3tio*: Qui omittendo ea, ad quæ tenentur, causa sunt, cur alter pereat, veluti Medici, qui neglientia vel imperitia sua ægro mortem inferunt.

Quæres 5to· An licet occidere uxorem filiamque adulteram, vel ipsum adulterum in adulterio deprehensum?

Resp: Id non licere, quia nulla lege id permissum est, & naturalis æquitas non sinit, ut quis inauditus, & non condemnatus occidatur, atquè caritati repugnat, ut quis in eo occidatur statu, in quo damnationem æternam vix, ac ne vix quidem effugere valet. Unde damnata est ab Alexandro 7mo sequens propositio. *Non peccat Maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Verum quidem est, quod leges Civiles tale homicidium tolerant, nequè illud puniunt, ne adulteris favere videantur, & quia admodum difficile est, ut Pater, vel Maritus, maximum, quo in hisce circumstantiis constringantur, coerceant dolorem, unde etiam Ecclesia ab excommunicatione exemit eum, qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum manus iniecerit violentas. Inde tamen non sequitur id omnino licere, quia nonnulla tolerantur, quæ tamen non approbantur.

Quæres 6to: An liceat abortum procurare?

Resp: Abortus est *ejectio præmatura fœtus humani sive animati, sive inanimati, quem mulier utero gestat.* Unde ejectio seminis ante conceptionem non est proprie abortus, ac proinde abortûs pænas non inducit. Porro abortus procurari censetur; si mulier potionem sumat, aut quidpiam faciat eo fine ut uteri sui fructum eiiciat. Nunquam ergo licet abortum procurare, & hoc si voluntarie fiat semper est peccatum mortale. Enimvero si fætus sit animatus reipsa homicidium per abortus procurationem committitur, quia proles præmatura ejectione necatur, & extinguitur. Si vero fætus non fuerit animatus, non eſt quidem verum & proprie dictum homicidium, grave tamen scelus eſt, & homicidio æquale, quia fætum etiam inanimatum præmature ejicere, adversatur ordini naturæ, secundum quem fætus ex semine humano concipitur, ut homo generetur. Jam vero per abortum generatio hominis impeditur, ac per hoc ordo naturæ perturbatur, quod graviter illicitum est. Unde Innocentius XI. sequentem damnavit propositionem: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida, occidatur, aut infametur.* Hinc mortaliter peccant qui dant, & qui sumunt potiones de se ad abortum tendentes, sive fætus sit animatus, sive nondum animatus. Quia abortum directe procurare semper est grave

pec-

peccatum. Jam vero sumere potionem de se ad abortum tendentem, est directe abortum procurare. Ergo qui istiusmodi potiones consulunt, dant, accipiunt, graviter peccant. Sed & graviter peccant illi, qui etsi directe abortum non procurant, neque illum intendant, abortui tamen occasionem præbent, vel dando operam rei ex qua sequitur abortus, vel debitam omittendo cautionem ne ipse sequatur, ut si quis percutiat mulierem gravidam, vel si ipsa nimis saltet, laboret, se cingat, aut si propter inordinatas ipsius lascivias, abortus sequatur.

Quæres 7mo: Sed utrum licet ad Matris conservationem, præbere ei medicinam, ex qua sequitur abortus?

Resp: 1mo: Medicinam de se ad abortum tendentem non licet præbere Matri, etiam certo morituræ, ut vita ipsius salvetur, sive fætus sit animatus, sive nondum animatus. Quia abortum procurare intrinsece malum est, ac proinde nunquam licitum efse potest, neque ad salvandam vitam Matris certo alioquin morituræ, nisi fætus expellatur, non enim facienda funt mala, ut eveniant bona. Et hoc verum est etiamsi & certum sit non solum Matrem, fed & prolem in utero ipsius latitantem morituram efse, si prædictam non sumpserit medicinam, & probabile foret illa adhibita atque fumpta, matrem salvandam efse. Quia femper grave scelus est, quidquam facere quod ex se tendit ad extinctionem fætus, mortemque ipsius accelerat. Innocentis siquidem prolis occisio, mortisque ejus acceleratio ex natura sua malum est, neque unquam licet unum occidere, ut alter salvetur, prolem extingvere, ut Mater servetur, quare in jure dicitur. *Si non potest subveniri alteri nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuvari, quam gravari alterum.*

2do: Cum mulier gravida vexatur morbo, & non est verisimile, ut ex illo extingvatur, proles vero perdi potest, si aut venam incidat, aut sumat certum quoddam medicamentum, non licet remedia hæc tentare. Imo si dubium solum foret, an ex hac potione perdenda sit proles, potio prorsus est repudianda. Quia conservatio fætus, ac procreatio prolis, pluris æstimanda est, quam sanitas, atque valetudo Matris. Quodsi medicina prorsus indifferens sit, neque promovet, neque impedit abortum, talem præbere, & sumere licitum est.

3tio: Si potio, medicinaque sit per se salutaris, morbi quo mulier gravida laborat curativa, & ex se non tendat ad abortum, talem potionem, medicinamque præbere, & sume-

sumere licet, quamvis sit periculum ne inde sequatur abortus, si constet fætum non eſse animatum, ac prudenter iudicetur matrem certo morituram eſse, nisi prædicto utatur medicamento. Quia tunc abortus, neque intenditur, neque per medicinam procuratur, cum ipsa ex se ad eum non tendat, ac proinde, si sequatur, neque ex ipso opere, neque ex intentione operantis provenit, sed casualiter accidit, ac nonnisi justa de causa permittitur ad salvandam matrem, & mater infirma habet jus utendi remediis ad vitæ ſuæ conservationem neceſsariis, ex se salubribus, neque ad abortum tendentibus. Cum vero constat fætum eſse animatum, aut saltem dubitatur an sit reipsa animastus, non licet matri infirmanti sumere medicinam, quamvis ex se salutaris sit, si inducat periculum abortus, quando probabile est, non sumpto medicamento prolem, extincta matre, vivam edendam eſse, ac sic baptisandam. Quia mater æternam prolis ſuæ salutem, vitæ ſuæ temporali præferre tenetur. Non potest ergo sumere medicinam sui curativam, cum vero periculo prolem suam extingvendi.

4to: Quando vero certo constat & matrem non sumpto medicamento morituram, & prolem sine baptismo extingvendam eſse, licet dare, & sumere medicinam de se salutarem, matrisque curativam, quamvis inducat periculum abortus. Quia desperata salute Matris, & prolis nihil melius fieri potest, quam si uterque juvetur meliori modo, quo fieri potest. Porro tunc proles non potest melius juvari, quam si juvetur Mater, neque hæc melius potest juvari, quam medicamine de se salutari, ex quo quidem forte sequetur abortus, sed forte etiam sequetur sanitas matris sine abortu. In tali ergo casu mater infirma sumit istiusmodi medicinam non ut noceat proli ſuæ, ſed ut illam servet, cum vitam ipsius novit vitæ ſuæ eſse alligatam, & quæ extingui quidem poterit ex ſumpta medicina, ſed & ipsa recusata, pariter extingui valet, extincta matre, extrema ergo in talibus circumstantiis undique præmentibus tentari innocue poſsunt. Idem dicendum est si æquale sit periculum abortus, ac extinguendæ prolis sive medicina sumatur, sive non sumatur, quia tunc sine maiori periculo fætûs, consulitur vitæ matris.

Quæres 8vo: Quibus pœnis subjacent illi, qui abortum procurant?

Resp: 1mo: Qui animati fætus abortum voluntarie procurant homicidii vere & proprie rei sunt. Jam vero

corpus

corpus maris die quadragesimo, feminæ vero octuagesimo, anima informari communiter censentur; quare Innocentius II. damnavit hanc propositionem. *Videtur probabile omnem fœtum quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Concepti autem fœtus indicium hoc est. *Mulieri dormituræ, & incenatæ, aquam frigidam præbeto, si ventris tormina paſsa fuerit, concepit, sin minus, non concepit.* 2do: Qui fœtus animati abortum procurent, ex Bulla Sixti 5t: si Clerici fuerint, omni privilegio Clericali, Officiis, dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis, ipso facto privantur, & in futurum ad ea suscipienda inhabiles ſunt, neque ad sacros ordines promoveri, aut in susceptis ministrare ullo modo poſsunt. Si vero non fuerint Clerici, ex Constitutione Gregorii 14. plenam irregularitatem contrahunt, nec non excommunicationem Loci Ordinario reservatam incurrunt. Verum privatio Beneficiorum à Sixto 5to decreta, locum habet tantummodo post sentetiam Judicis, nisi abortus fuerit simul parricidium, hoc est si propria proles per abortum extinguatur. Quod si dubitatur utrum ex percuſsione vel rei sumptione secutus fuerit abortus, vel alia ex causa, vel utrum fœtus eſset formatus, vel non, qui probabiliter dubitat, debet à promotione ad Sacros Ordines, & ab exercitio eorum abstinere.

Jam vero istiusmodi pœnas incurrunt. *1mo*: Qui abortum directe intendunt, sive cooperantur seu percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impositis, seu opem, consilium, favorem scienter dando. *2do:* Et ab iis qui abortum volunt indirecte, & interpretative, ut si quis prægnantem fœminam acrius verberet, si mulier gravida immoderate saltet, si experta se abortum pati, quando fert grave onus, & tamen illud portandum ſuscipit, nisi hoc inadvertenter faciat, & tunc etsi inadvertentia ejus poſsit à mortali non vacare, non videtur tamen excommunicationem incurrere.

Quæres 9no: Utrum in vitæ suæ defensionem liceat occidere injustum aggressorem?

Resp: In vitæ ſuæ defensionem licet injustum occidere aggreſsorem, quando aliter tueri ipsa non potest. Quia Exodi Cap: 22. qui furem nocturnum occidit, dicitur non eſse reus mortis, quia scilicet, ut explicat S. Augustinus, fur ille præsumitur veniſse animo non solum furan-

furandi, sed etiam occidendi, & in jure Cap. 18. de homicidio: *Vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittunt.* Certe homo habet jus conservandi vitam suam, injuste ab alio oppugnatam, illamque præferendi vitæ injusti aggressoris, qui se ex mera malitia periculo mortis exponit.

Sed ut licitum sit injustum vitæ aggressorem occidere, quædam requiruntur conditiones, quarum. *1ma* est, ut sit actualis aggressor, nam ante actum agressionis, aggressorem scilicet præveniendo, aut post actum aggressionis, quia jam aggressorem evasisti, illum occidere non licet, quia tunc nulla est vis repellenda, neque opus est defensione ubi non est aggressio. Hinc non licet occidere, neque repercutere eum, qui percussit, & jam fugit, vel sponte destitit, aut ob vulnus acceptum jam nocere non potest, tunc enim occisio, aut percussio non est necessaria ad propulsandam injustam invasionem, cum jam cessaverit aggressio, quare sola esset privata ultio, quæ nunquam licita est. Proindeque etiam qui scit alium quempiam se ad occidendum quærere, non potest illum prævenire occidendo, quia tunc non esset defensio vitæ propriæ, sed alienæ aggressio.

2da: Ut nihil fiat, nisi id, quod omnino necessarium est, ad servandam suam vitam. Nam non licet inferre majus damnum, neque uti majore vi, ac repulsa, quam necesse sit, ad vitæ defensionem, alioqui jam non esset defensio ipsa, sed injusta ultio, unde Cap. 18. de homicidio inquit Innocentius 3tius: *Quamvis vim vi repellere omnia jura, & omnes leges permittunt, tamen id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* Hinc si injustum invasorem armis spoliando, vel debilitando, aut vulnerando, possis mortem vitare, non licet eum occidere, quia tunc ejus occisio non est omnino necessaria ad vitæ defensionem.

3tia: Ut nihil fiat ex odio, neque ex animo vindictæ primario intendatur mors invasoris, sed sola propriæ vitæ conservatio, per justam sui defensionem. Quia moderata sui defensio semper licita est, ergo intendi potest, occisio autem hominis privata authoritate facta, illicita, ac proinde in se & primario intendi non debet. At vix fieri potest ut mors injusti invasoris non intendatur, cum ipsa unicum est medium ad propriam vitam conservandam.

Ceterum in praxi percussio, & magis adhuc occisio

sio injusti vitæ aggreſsoris raro vacat á culpa, quia fere nunquam obſervantur mox adductæ conditiones ad licitam ſui defensionem omnino requisitæ. Verum si quis in defensionem ſuæ vitæ, cum justo moderamine, & ſervatis recensitis conditionibus, alium occiderit, aut mutilaverit, & à peccato immunis est, & ad restitutionem non tenetur, quia nullam intulit injuriam. Quod si vero justæ defensionis modum exceſserat, exg. eum occidendo, cum potuiſset aliter vitam ſuam tueri, vulnerando aut fugiendo, sive armis ſpoliando tunc & peccati reus est, & damna compensare tenetur. Quia occisio, fuit injusta, ac injuriosa, cum non fuerit ad propriæ vitæ conſervationem omnino neceſsaria.

Quæres 20mo: An licet occidere injustum alterius vitæ invasorem, cum ei aliter succurri non potest?

Resp: Cum injustus aggreſsor vult alteri vitam eripere, licet tunc ipsum occidere, si aliter innocenti ſuccurri, & ipſe ſalvari nequeat. Quia quilibet proximum diligere debet, sicut se ipſum, ac proinde cum injuste impugnatur, sicut seipsum, ita etiam illum defendere potest. Et hoc tenendum est saltem dum agitur de Parentibus defendendis, Patre, Matre, atque proxima familia, uxore, liberis, fratre, ſorore, aliisque, quos ſpeciali titulo defendere, & tutari tenemur.

Quæres 21mo: Propter bona fortunæ, famæ, pudicitiæ. ad illa defendenda, licetne injustum invasorem, ac raptorem occidere?

Resp: 1mo: Propter bona fortunæ, etiam magni momenti, injustum illorum invasorem, raptorem, ad illa defendenda, non licet occidere. Quia non licet præferre bonum nostrum ordinis inferioris, bono proximi ordinis longe superioris, maxime cujus jactura est irreparabilis. Porro bona fortunæ ſunt ordinis longe inferioris quam vita proximi, quæ semel amiſsa, jam recuperari nequit. Ergo ad conſervanda bona fortunæ, non licet proximo vitam adimere. Certe Exodi Cap: 22. postquam decreverat Deus non eſse illum mortis reum, qui furem nocturnum occiderat, dicitur enim: *Si effringens fur domum sive effodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſsor non erit reus sanguinis.* Quia nimirum fur ille præsumebatur veniſse non solum ad furandum, ſed & ad occidendum, illico expreſse prohibetur, ne fur diurnus occideretur: *Quod si orto sole id fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur:* quia ſcilicet, ut inquit

quit S. Augustinus, *poterat discerni quod ad furandum, non ad occidendum venerat:* Quamvis ergo ad defendendam vitam, liceat injustum invasorem occidere, non licet tamen occidere iniquum bonorum raptorem, quia bona fortunæ, ſunt longe inferioris ordinis, quam vita hominis. Unde idem S. Pater libro 1. de libero arbitrio sic inquit- *Quomodo apud divinam providentiam liberi erunt, qui pro his rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Quare etiam Innocentius XI. damnavit istam propositionem: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu poſsidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus & quæ nos poſseſsuros speramus.*

2do: Injustum famæ, aut honoris invasorem, occidere prorſus illicitum est. Quia sine totali naturalis ordinis ſubversione fieri nequit, ut alium quis occidat, pro vani honoris famæque jactura, quæ nonnisi in versatili aliorum opinione consistit. Certe vita humana est bonum, si amittatur irreparabile, & inter bona naturalia principem locum tenet. Ergo iniquum est, eam proximo adimere, ad defensionem honoris & famæ, quæ & longe inferioris est ordinis, & facile reparari potest. Unde Innocentius XI. istam damnavit propositionem. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit.*

Sed & illicitum est contumeliam, aut infamiam propulsare convitiis, reciprocis contumeliis, alapam pro alapa, fustem pro fuste reddendo, id enim non eſset honoris, & famæ defensio, neque per ea honor famaque amiſsa reparatur, ſed est ipsa ultio & vindicta de alio ultro quæsita, quæ ſemper illicita est.

3tio: Neque etiam injustum pudicitiæ invasorem occidere licet. Quia castitatis virtus aliter potest defendi, quam ſcelerati stupratoris occisione. Ad hoc enim satis est, ut constanter diſsentiat illa quæ vim patitur. Tenetur tamen puella modis omnibus obsistere, fugiendo, clamando, pugnis, pedibus agendo, & rariſsime fit, ut puella, si serio velit, sui stuprum impedire non poſsit.

Quæres 12mo: Quid sit & quotuplex duellum?

Resp: Duellum est certamen duorum paucorumve aliorum ex condicto cum vitæ gravisque mutilationis periculo initum. Quare duellum non ſunt illæ pugnæ quæ fiunt pugnis, baculis, aliisque ad graviter lædendum ineptis. Neque etiam duellum ſunt illæ rixæ, in quibus, plures contra unum, aut unus contra plures dimicant,

Ut

Ut autem verum sit duellum, & quidem tale, quod pænas Ecclesiasticas inducit, debet eſse ex condicto, id est ex provocatione unius, & acceptatione alterius, quare si adversarius adversarium quærat, ejusve transitum exploret, ac cum eo dimicet, deerit proprie dictum duellum, quia deerit condictum. Et præterea duellum debet habere tempus, & locum designatum, & hæc temporis, atque loci designatio est omnino neceſsaria ut incurrantur pænæ contra duellantes in sacris Canonibus constitutæ. Quare pænis Ecclesiasticis non ſubjacebunt viri duo, qui vel ob injuriam actu acceptam ſubita ira correpti, vel ob veterem invidiam erga se conceptam, in occursu exardescentes, alio alium ad pugnam provocante, secum statim congrediuntur, quia deest condictum, neque est locus tempusque designatum. Eadem de causa, si quis viso inimico domum ſuam convolet, gladium accingat, adversarium aggrediatur, ſuo ſe gladio tueri ipsum jubeat, deerit veri duelli ratio, neque tunc pænæ Ecclesiasticæ contrahuntur, quamvis non desit grave peccatum. Erit tamen verum duellum, & pænæ Ecclesiasticæ contrahentur, si duo in domo aliqua rixari ceperint, & dicat alter alteri: *Non est idoneus is locus, eamus foras, egrediamur in vicinum pratum, aut campum:* ejusmodi casus totam rationem duelli habere videtur, est enim pugna singularis ex condicto, & in loco, ac tempore ſufficienter determinato. Neque etiam deerit duelli ratio, si ambo dixerint. *Degladiemur in primo qui ad pugnam commodior occurret locus:* aut si duo convenifsent ſecum de prælio ineundo ubicumque ſolus ſoli occurreret. In his enim est ad pugnam provocatio, & acceptatio, tempus, locusque pugnæ ſufficienter determinati, est ergo verum duellum.

Jam vero duellum dividitur *1mo:* in solemne, & simplex. *Solemne* est illud, quod fit ſervata quadam forma circa tempus, & locum securitatis, adhibitis etiam testibus, litteris provocatoriis, aut earum loco, nunciis. *Simplex* est illud, quod fit ex condicto, statutis tempore & loco, ſed absque aliis ſolemnitatibus. *2do:* Dividitur in illud, quod fit authoritate publica, scilicet mandato Principis ad commune bonum ordinatum, exg. ad bellum finiendum, pacem restituendam, & illud quod privata authoritate, & ex particulari livore perficitur..

Quœres 3tio: *Utrum duellum licitum sit?*

Resp: Duellum privata authoritate initum, peccatum mortale est, unde illud nec offerre licitum est, nec oblatum

blatum acceptare. Est enim contrarium charitati, quam stricte nobis, & proximo debemus, quia in duello utriusque certantis temporalis & æterna vita evidentiſsimo exponitur periculo, quod ipsum, cum fiat propter vanam ac inanem gloriam apud homines captandam, gravifsimum scelus est. Vitam siquidem ſuam, pariter & proximi, quæ inter bona temporalia, majus homini non est, à Deo conceſsum, & cujus ipse Dominus non est, nisi custos, propter leviſsimam mundanam famæ curam, periculo amittendæ exponere, naturali, divinoque juri adversatur, recteque rationi omnino contrarium est, unde à Concilio Tridentino Seſs: 25. Cap: 19. duellorum uſus vocatur detestabilis, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur. Merito itaque ab Alexando 7mo damnata est ista propositio. *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Publica vero authoritate, juste aliquando potest iniri duellum, ut si Princeps de causæ ſuæ justitia certiſsimus, ſed copiis Adversario ſuo inferior, certam ſuorum ruinam, in spem dubiam victoriæ commutet duellum acceptando, aut etiam offerendo, id certe justius, & utilius est, quam ut pene certo exercitus ſui excidio, crudelis, & infelicis belli gravaminibus, ac Provinciarum ſuarum vastitati, se ſuosque exponat. Hinc David contra Goliath duellum ſuscepit, & feliciter perfecit. Verum hac, similique deficiente neceſsitate, causaque perurgente, duellum quacunque authoritate fiat, à gravi culpa non est immune. Unde totaliter delinquet Princeps duellum indicendo ad ſolam virium, aut dexteritatis ostentationem, ad probandum crimen quod quis alteri objicit, aut ad purgandum se a crimine quod ab alio ipsi objicitur. Quia propter vanam virium, ac dexteritatis ostentationem, sanguinem fundere, vitam prodigere, inordinatiſsimum est, & per duellum crimen, innocentiamque probare fallaciſsimum est, siquidem in duello nocens æque ac innocens occidi potest.

Quæres 14to: Quæ duellantibus constitutæ ſunt pœnæ?

Resp Concilium Tridentinum Seſs: 25. Cap: 19. Gregorius 13tius Constit: 78. & Clemens 8vus in Bulla, quæ incipit: *Illius vice*: in duellantes, eorumque ſocios, ſeu ut vocant patrinos, evasores, ſpectatores, ſequentes statuertut pænas *1mo:* Excommunicationem ipso facto incurrat Papæ reservatam, cui ſubjacent provocans, & acceptans, etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commi-

commiserint, si ad locum accesserint pugnaturi, & per eos non steterit quominus pugnarent. Pari modo huic excommunicationi subjecti sunt, scribentes, mittentes chartulas provocatorias, eorumque fautores, complices, qui ad duellum arma ferunt, equos, commeatus, consilium, auxilium præbent, vel præberi curant etiamsi pugna non fuerit secuta. Tandem, & illi excommunicati sunt, qui ad duellum provocantes, & provocati inter se paciscuntur de dirimendo certamine cum primum alteruter vulneratus fuerit, aut sanguinem effuderit. Jam vero spectatorum nomine ii dumtaxat censentur, qui ex proposito in locum duelli conveniunt, seque adeo exhibent, ut quasi duelli approbatores habeantur. Unde ab istiusmodi excommunicatione immunes sunt, qui in transitu fortuito, paulisper subsistunt, etiam ex curiositate, aut qui è fenestra duelli loco vicina clangulum prospiciunt, magis autem immunes sunt, qui ad duelli locum conveniunt, ut illud impediant.

2do: Si duellantes in loco pugnæ decesserint, in perpetuum privantur sepultura Ecclesiastica, pariter si extra locum conflictus, sed paulo post, exg: eadem obierit die, non potest in loco sacro sepeliri, etiamsi pænitens, & ab excommunicatione absolutus fuerit, quod constat ex Rituali Romano, ubi sic habetur. *Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint signa pænitentiæ.* Si vero non in loco conflictus aliquis decesserit, neque paulo post, sed uno, aut altero post die, dederitque signa pænitentiæ, atque absolutus fuerit, consulendus est Episcopus, quia non ii privantur Ecclesiastica sepultura qui ex duello, accepto scilicet vulnere moriuntur, sed qui in duello occumbunt.

ARTICULUS 2dus

De occisione hominis quæ fit authoritate publica.

Quæres 1mo: Quot modis fieri solet publica authoritate hominis occisio?

Resp: Duobus modis fieri potest, scilicet in Bello sive offensivo, sive defensivo, & quando malefactores per sententiam Judicis ad mortem condemnantur.

Quæres 2do: Quid, & quotuplex est Bellum?

Resp: Bellum est *multorum armis conflictus à supre-*

mo

mo Principe ad tuenda, aut vindicanda sua jura demandatus. Unde Bellum differt à seditione, quæ fit, cum ejusdem Regionis incolæ, alii contra alios, aut etiam contra proprium insurgunt Principem. Duplex vero est Bellum, aliud *offensivum*, quo hostis hostem aggreditur, ut ab eo illati in bonis damni reparationem, ac compensationem obtineat, aliud *defensivum*, qua vis ab aggreſsore illata propulsatur.

Quæres 3tio: *Bellum estne licitum?*

Resp: Bellum sive offensivum, sive defensivum licitum est. Quia jus ſuum tueri, ac ſua repetere unicuique licet. Jam vero Principes ſupremi ſæpius vix aliter poſſunt jura ſua defendere, aut avulsa repetere, quam armis. Ergo iis licitum est bellum non ſolum defensivum, in quo vis vi repellitur, ſed etiam offensivum, dum ablata bona repetuntur, læsa jura vindicantur. Certe ipse Deus Deut: Cap: 23. leges gerendi belli constituit, ipso jubente Abraham, Moyses, Josue, Gedeon, David, multa bella pie, ſancteque geſserunt. Licitum ergo eſse potest bellum. Ut autem Bellum ex omni parte licitum sit, neceſse est. *1mo:* Ut fiat authoritate ſuprema. Namque privati habent ſuos Superiores, Judices, coram quibus jus ſuum prosequi poſſunt, illud itaque armis insequi non debent, quæ tunc ſolum licite aſsumuntur, cum quævis alia deest jus ſuum aſsequendi via. *2do*: Adeſse debet justa causa, & quidem graviſsima. Quia charitas & naturalis justitia omnibus debita exigunt, ut sine graviſsima neceſsitate non inferantur ſuis, & alienis incolis innumera mala, atque incommoda, qualia in bellis ſemper contingunt. Quod si majora, ac longe graviora mala, ac incommoda ex bello ſecutura prudenter timeantur, quam bona ac commoda proventura ſperentur, abstinendum est á bello, quia debitus rerum ordo postulat, ut minora bona non quærantur per majora mala. Non ante etiam ad bellum deveniendum est, quam tentatæ fuerint omnes aliæ satisfactionem obtinendi viæ, ac modi. Unde tenetur Princeps acceptare ſatisfactionem sibi oblatam flagrante etiam bello, quia tunc ceſsat bellum eſse neceſsarium, ac proinde nec jam licitum eſse potest. *3tio:* Fieri debet cum justo moderamine. Quia dum bellum geritur, meminiſse debent Duces, & milites, se non latronum, aut siccariorum partes agere, ſed justæ reparationis, compensationisque exigendæ ministros eſse. Unde debent vitare quidquid crudelitatem ſapit, & ordinarios justitiæ prætergreditur limites, quare parcere de-

bent

bent innocentibus, quorum nomine hic veniunt pueri, senes, rustici mercatores, artifices & quicunque gestandis armis impares ſunt, & ad bellum, quod geritur, nullatenus pertinent.

Quæres 4to: Quænam in bello observanda sunt?

Resp: Ante bellum, res est ſerio & diligenter examinanda ab iis, ad quos pertinet, ut habeatur omnimoda certitudo de justitia causæ, & motivo belli. Nam cum ex bello graviſsima ſequantur mala ac incommoda, etiam innocentibus, oportet ut plane constet bellum omnino eſse neceſsarium, illiusque adeſse graviſsimam, atque æquiſsimam causam. Quod si justitia belli dubia sit, certa injustitia est bellare. Injuriam siquidem dubiam, multorum hominum certa strage prosequi nefas est. Cum vero agitur de bonis ab alio poſseſsis, in dubio ſemper favorabilior est conditio poſsidentis. Quare non licet movere bellum, antequam prius parti adversæ jura, prætensiones, totaque belli causa proponatur, omniaque ex ordine diligentiſsime discutiantur.

In ipso vero bello, licita ſunt ea omnia, & ſola quæ neceſsaria ſunt ad aſsequendum finem belli, scilicet vel ad recuperanda injuste ablata, vel ad injuriam juste vindicandam, vel demum ad propriam securitatem stabiliendam. Nam cum finis licitus est, licita etiam ſunt media ad illum aſsequendum neceſsaria, non autem alia, quæ tantummodo incolis nocent & ad belli finem aſsequendum nihil conferunt. Quare licet hostes pugnantes, & resistentes interimere. Licet uti insidiis, ac variis stratagematibus, quia hæc mendacia non ſunt, ſed occultatio veritatis. Non quibuslibet tamen insidiis contra hostes uti licitum est. Sic excubias agentem militem, non licet inebriare, nec quemquam ſollicitare ad occidendum ſuum Principem vel Ducem, ad prodendam Civitatem, quia hoc eſset inducere alium ad grave crimen quod nunquam licitum eſse potest. Licet quoque bonis spoliare cives, quando privatione bonorum pars hostilis debilitatur, alias iniquum est, cum privati tantummodo incolæ per hoc opprimuntur. Non licet vero sine graviſsima neceſsitate Urbem captam in prædam dare, propter immensa scelera, & ingentia mala quæ in tali deprædatione perpetrantur. Jlla quoque fieri nequeunt, quæ nullo modo caveri, neque ullatenus vitari poſsunt, veluti puteos, fontes veneno inficere, quia hoc est contra jus Gentium.

Post bellum non licet Victori retinere Urbes captas,

Pro-

Provincias subactas, nisi quatenus debitam satisfactionem ac compensationem, quæ justo bello exigitur non excedunt, vel necefsaria sunt ad securitatem in posterum contra victos iniquos hostes stabiliendam.

Quæres 5to: Quot præterea modis peccatur tempore belli?

Resp: Duces exercituum multipliciter peccant. Et quidem *1mo*: cum vi, fraude, dolo ad militiam adtrahunt. *2do*: Cum conscriptis ad tempus militibus, promifsam abeundi copiam non concedunt, ſed eos per vim retinent. *3tio*: Cum debita militibus stipendia ſubtrahunt, vel minuunt. *4to:* Cum militum rapinas, concufsiones, stupra, aliaque crimina non puniunt, neque quantum fieri potest, illa impediunt. *5to:* Cum Pagos quosdam nimia militum copia onerant, & à ceteris Pagis munera recipiunt, ne in illis milites collocent.

Milites quoque gregarii multis modis peccant. Et *1mo:* cum Principem ſuum produnt, seu ad hostes transmigrando, ſeu secreta belli revelando, seu stationem suam quamvis periculosam deserendo, latentes hostes non indicando. *2do*: Cum hostilium terrarum incolas spoliant, ferro, flammis depopulantur, uxoribus, virginibus abutuntur,

Tandem, peccant victuum Provisores *1mo* cum frumentum avenam, fænum, & alia corrupta, ac vitiata aut etiam longe vilioris prætii, quam est illud de quo convenerunt, subministrant. *2do:* Cum eos, qui frumenta, & alia militum victualia recipiunt, donis excecant, ut fraudem quam vident difsimulent, atque reticeant. *3tio*: Cum non provident Militibus suo tempore ipsis necefsaria, unde eos fame, frigore, inedia, confici evenit, aut etiam ubilibet deprædari compellit.

Quæres 6to: An licet malefactores publica authoritate occidere?

Resp: Malefactores publica authoritate occidere licitum, & bono communi expediens est. Et id Deus in veteri lege præcepit. Exodi Cap: 22. *Maleficos non patiaris vivere*: & Levit. Cap: 20. interfici jubentur qui maledixerint patri, aut matri, qui declinaverint ad magos, qui cum nuru, aut noverca peccaverint. Unde S. Paulus ad Romanos Cap: 11. sic inquit: *Si malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum operatur.*

Prin-

Princeps ergo ut minister Dei, potest eos morte punire, qui mala, ac Communitati perniciosa operantur.

Quæres 7mo: Quæ requiruntur ut malefactores morte plectantur?

Resp: Ut malefactores morte plectantur, requiritur: *1mo:* authoritas publica, ac potestas ad id legitima. Siquidem privata authoritate, quantumvis pefsimum malefactorem occidere, est ipsum homicidium quinto Decalogi præcepto prohibitum. *Non occides:* Unde S. Augustinus libro de Civit. Dei, sic inquit: *Qui sine publica administratione maleficum occiderit, velut hommicida judicabitur. 2do* Debitus juris ordo fervari debet. Nam & Deuter. Cap: 19. vetitum est, ne quisquam *occidatur uno contra se dicente testimonium.* Si vero reus sine sufficiente testimonio morte plecti non debet, nec à fortiori, damnari potest sine examine, accusatione, convictione, defensione. Juris ergo ordo servandus est. Hinc peccat Judex *1mo:* qui debitam non adhibet diligentiam in examine accusati malefactoris, circumstantiarum accusantis, atque testium.

2do: Qui reum pro se loquentem perturbat, audire renuit, Advocatum ei denegat, ipsum interrogat de rebus, quorum ne indirecte quidem præcefsit accusatio, neque ulla ad judicium delatio, sive juridica de iis fuspicio.

Fieri tamen aliquando potest, ut præmifso brevifsimo juris procefsu, malefactores morte plectantur, scilicet cum graviter interest bono communi, ut qui in flagranti delicto reperti fuerint, statim ad aliorum terrorem morte plectantur, quèmadmodum nonnunquam contigit in bello militibus fugitivis, qui aliquando mox ut capti fuerint, fuspenduntur. Tunc tamen præsto debet efse Confefsarius, qui iis ad seriam contritionem excitatis, ipsos absolvat.

CAPUT QUARTUM

De Sexto Decalogi præcepto.

Quæres. Quod est sextum Decalogi præceptum?

Resp. Sextum Decalogi præceptum sequentibus verbis est conceptum. *Non mœchaberis.* Et quamvis solum adulterium videtur hic efse prohibitum, longe tamen major

est ejusdem mandati extensio, cum per illud omnis immunditia prohibeatur, fornicatio, stuprum, incestus & alia.

ARTICULUS Imus

De fornicatione, stupro, raptu, atque adulterio.

Quæres 1mo: Quid, & quotuplex est fornicatio?

Resp: Fornicatio proprie dicta, est *concubitus carnalis viri soluti cum muliere soluta quidem, sed iam deflorata, & non amplius virgine*. Ac proinde fornicatio est quando vir mulierem carnaliter cognoscit, & ambo sunt liberi, hoc est ab omni vinculo sive matrimonii, sive voti, consangvinitatis, atque affinitatis immunes.

Fornicatio alia est *simplex*, quæ transitorie exercetur, cum una, aut pluribus, modo cum hac, modo cum alia indiscriminatim, alia *continuate*, quæ *concubinatus* dicitur, & cum una, eademque muliere peragitur.

Quæres 2do: Utrum quælibet fornicatio sit peccatum mortale?

Resp: Fornicatio quælibet est peccatum mortale. Et id constat ex sacris Scripturis. 1. Corint: Cap: 6. dicitur: *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, regnum Dei posſidebunt*: & Apocal: Cap: 21. *Homicidis, & fornicatoribus, pars erit in stagno ardenti igne & ſulphure.* Et vero fornicatio nocet bono prolis, quotidiana namque experientia compertum est, curam illegitimæ prolis vel nullatenus, vel admodum imperfecte adimpleri, adeo ut ex mille spuriis, vix unus à suis progenitoribus decenter educetur. Merito igitur damnata est ab Innocentio 11. ista propositio: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se, nullam involvere malitiam, solum eſse malam, quia interdicta, ut contrarium, omnino rationi diſsonum videatur.* Porro si fornicatio simplex est peccatum mortale, majus peccatum est concubinatus, qui fornicationi ſuperaddit perseverantiam sceleris, & annexum habet continuum pæccandi propositum. Hinc à fornicatore exprimendum est in Confeſsione non tantum quoties crimen suum, aliasque turpitudines commiserit, ſed & quamdiu concubinam apud se tenuerit, quia nec eam tenere communiter potuerit, absque gravi aliorum scandalo, nec aliter potest aperire statum suum, in quo pravis cogitationibus plus quam millies consenserat. Quare con-

concubinarius quamvis mors immineat absolvi non debet, quin prius concubinam ejecerit, nisi eijciendi tempus omnino desit, tunc enim ſufficit eijciedi sincèrum propositum. Imo etiamsi eam domi suæ non retineat, extra mortis articulum non est absolvendus, antequam certa moraliter habeatur experientia de ipsius continentia. Sed & illi, qui concubinarii publice etsi falso existimantur, cum reipsa tales non sint, ad tollendum scandalum, debent illas é domibus ſuis mulieres eijcere, quæ pro concubinis earum habentur, vel etiam ſufficienter ostendere, aç scandalizatos convincere, quod tales reipsa non sint.

Quæres 3tio: Utrum peccatum fornicationis propter quasdam adjacentes circumstantias augeatur, & aggravetur?

Resp: Ita est. Peccatum fornicationis propter quasdam adjacentes circumstantias multum augetur, & aggravatur. Hinc *1mo*: majus committit peccatum qui fornicatur cum Judæa, vel Gentili, quia illa abutens, gravem Religioni Christianæ despectum parit. *2do*: Similiter quando tutor fornicatur cum illa cujus tutelam gerit, cum enim Patris vices gerat, longe magis reus est, cum puellam curæ suæ concreditam vitiat, quam cum aliam quamcumque depravat. *3tio*: Tandem; desponsatorum etiam fornicatio peculiarem, & alia graviorem habet malitiam. Magnam enim sponso ſuo injuriam facit ſponsa, quæ totam se ei promisit, & totam se illi debet, interim áb alio se carnaliter cognosci, ac corrumpi patitur. Idem dicendum de sponso, qui cum alia peccat, quia promiſsam sponsæ fidem violat. Hinc qui cum desponsata peccavit, eam cicumstantiam in confeſsione aperire debet, non enim peccavit cum plene libera, ſed cum ea, quæ jam alteri se obstrinxit.

Quæres 4to: De quibus in Confeſsione interrogandi sunt fornicarii?

Resp: Interrogandi ſunt an peccaverint ex habitu, an complicem ad scelus induxerint, quod fæminis aliquando, viris sæpius contingit, an nuptias promiserint, an promiſsionem juramento firmaverint, an non eodem modo pluribus promiserint, an non aliquid fecerint quod ad sodomiam tendat, aut quo conceptum impedirent, an non fætum extinxerint, quoties crimen iteraverunt, an eo consummato devenerunt ad tactus, alterius copulæ præambulos, an susceptam prolem neglexerint, eamve exposuerint. Hæc tamen interrogata prudentiam, & castitatem comites habere debent.

Quæres 5to. Quæ adversus Concubinarios constitutæ sunt pænæ.

Resp: Adversus concubinarios Concilium Tridentinum Sess: 24. Cap: 8. sanxit, ut ab Ordinario admoneantur, & si ter admoniti concubinas non ejecerint, excommunicatione feriantur, â qua non absolvantur, donec paruerint, & à concubinarum suarum consvetudine se sejunxerint.

Quod spectat ad Clericos, qui prædicto vitio adhærent, si ab Episcopo admoniti, acquiescere contempserint, à Beneficiis Ecclesiasticis usque ad congruam satisfactionem, emendationemque suspendi debent, quod si sic suspensi easdem mulieres detinere præsumpserint, ab iisdem Beneficiis perpetuo sunt removendi. Ita statutum est in Jure Cap: 4. & 6. de Cohabit. Clericorum, quæ Concilium Trident: Sess: 25. Cap: 14. confirmavit, & ampliavit.

Quæres 6to: Quid sit stuprum?

Resp: Stuprum est *illicita defloratio virginis*, quando scilicet virgo innupta hucusque integra, & intacta per carnalem coitum corrumpitur, ac depravatur. Ad stuprum accedit, quando juvenes ejusdem sexus mollitiem edocentur, atquè ad illam alliciuntur. Stupri quoque rea est mulier, quæ juvenem criminis nescium ad illud pertrahit, copulamque carnalem, ab eo quocunque modo extorquet, atque obtinet.

Quæres 7mo: Utrum stuprum habeat malitiam a fornicatione, distinctam?

Resp: Stuprum habet malitiam mortalem â fornicatione specie distinctam, sive virgo per vim opprimatur, sive etiam volens ipsa cedat stupratori. Quia præter luxuriæ malitiam, libidinis deordinationem, turpitudinemque, in stupro semper gravissima infertur injuria, sive virgini invitæ, dum ejus virginalis integritas per vim ipsi adimitur, sive virginis Parentibus, dum ipsa volens stupratori cedit, quia ipsi virginitatis illius custodes sunt. Et certe stuprum quocunque modo fiat, sive virgo per vim opprimatur, sive fraude, dolo, promissis, blanditiis ad crimen trahatur, sive ipsa volens sceleri consentiat, semper est peccatum fornicatione longe gravius, & ab ipsa specie diversum. Quia per stuprum violatur virginitatis integritas ex se maximæ æstimationis, Parentes virginis dolore, ac sæpius ignominia afficiuntur, expensis pro alenda, atque exdotanda filia gravantur. quæ majores sem-

semper ſunt, ac eſsent si non fuiſset ipsa corrupta, tandem ablato semel virginali pudore, gustata peccaminosa libidine, ſæpiſsime contingit, ut puella conjciatur in apertum deinceps pluries peccandi periculum. Idem dicendum de innocentium juvenum depravatione, qui mali nescii, molitiem ac sodomiam ab aliis edocentur, vel à depravatis mulieribus corrumpuntur. Et hæc stupri, deflorationis, ac corruptionis circumstantia in confeſsione semper est aperienda.

Quæres 8vo: Quid sit raptus?

Resp: Raptus est, *quando mulier quæcunque nupta, vel innupta, virgo, aut corrupta, per vim de uno loco in alium abducitur, libidinis explendi, aut etiam matrimonii contrahendi causa.* Graviſsimum est peccatum, quia violentia infertur, ac proinde gravis injuria irrogatur, vel soli personæ abductæ, cum nolens mulier per vim abducitur, vel saltem ejus Parentibus, ac Tutoribus, dum ipsa volens, sed ſub illorum constituta tutela, iis invitis extrahitur.

Unde in Raptu præter malitiam libidinis, quæ semper à Raptoribus quæritur, & intenditur, graviſsimum injustitiæ reperitur peccatum. Quare Concilium Tridentinum Seſs. 24. Cap. 6. de Reformat: graves Raptoribus constituit pænas, quarum *1ma* est, ut inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in raptoris manserit potestate, nullum consistere possit matrimonium. *2da:* Ut raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, & si Clerici fuerint de proprio gradu decidant. *3tia:* Ut teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.

Quæres 9no: Quid sit, & quotuplex adulterium?

Resp: Adulterium est *carnalis & illicitus concubitus conjugatorum vel utriusque, vel alterius tantum qui secum matrimonio non ſunt conjuncti.* Hinc adulterium duplex est, simplex videlicet, & duplicatum. *Simplex* est carnalis concubitus conjugati cum soluta, vel conjugatæ cum soluto. *Duplicatum* est carnalis concubitus conjugati, cum alterius conjugata.

Quæres 10mo: Adulterium quale est peccatum?

Resp: Adulterium graviſsimum est peccatum, à cæteris luxuriæ peccatis specie distinctum. In adulterio siquidem præter luxuriæ crimen, multa alia reperiuntur crimina, quia scilicet & Sacramento Matrimonii gravis irro-

gatur

gatur injuria, sanctitas illius deturpatur, jurata comparti fides infringitur. Ex adulterio procreata proles, inter legitimos hæredes, cum gravi eorum damno, annumeratur, scandala, rixæ, odia, innumeraque ex eo proveniunt mala, quemadmodum omnium temporum docet experientia. Quare merito S. Job Cap: 31. illud vocavit nefas & iniquitatem maximam, ignem usque ad perditionem devorantem. Unde illud Deus specialiter suo præcepto prohibuit. *Non mæchaberis:* & Paulus Apostolus 1. Corinth. Cap: 6. affirmat, quod adulteri regnum Dei non pofsidebunt. Certe gravitas pænæ, gravitatem delicti arguit. Porro adulterium gravifsimæ semper mortis obnoxium erat pænæ, idque Dei, & hominum judicio. Namqué Levit. Cap: 2. jubentur occidi adulter, & adultera, & Genesis Cap: 26. de Rebeca Isaaci uxore aiebat Abimelech. *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Sed & Romani adhuc Gentiles capite plectebant adulteros.

Verumtamen est adulterium aliud alio gravius. Nam 1mo: gravius est adulterium duplicatum quam simplex, quia per hoc uni tantum jurata fides, jusque illi debitum infringitur, in illo vero duobus data fides, jusque competens violatur, ac proinde in uno una nonnisi reperitur injuria, in altero vero duplex, ac proinde gravius est peccatum. 2do: Gravius quoque est peccatum adulterium conjugatæ, quam conjugati, quia prius & sæpe generationi prolis, quæ ex legitimo Marito haberi pofsit, multum nocet, & frequenter cum ex adulterio fætus concipitur, causa est ut illegitima proles hæreditatem obtineat, ad quam jus nullum habet. Hæc autem incommoda, ac mala non sequuntur, quando conjugatus cum soluta adulterium committit, ac propterea peccatum ejus minus est, quia minus injuriosum, semper tamen grave & mortale. Unde circumstantia hæc, quod scilicet adulterium perpetratum fuerit cum conjugata semper in Confefsione aperienda est, tam ab adultero, quam etiam ab adultera conjugata. Interrogandi ergo sunt adulteri, an ex adulterio cum cunjugata, habito, proles concepta & nata fuerit, an ex bonis Mariti adulteræ alatur, an cum legitimis liberis hæreditatem obtinuerit. Inde enim multiplex restitutionis, ac compensationis patefiet obligatio.

ARTICU-

ARTICULUS 2dus

De incestu, sacrilegio, cæterisque luxuriæ peccatis.

Quæres 1mo: Quid sit incestus?

Resp: Incestus est *carnalis copula habita cum persona cognata vel affine.* Sed incestûs rationem induunt, malitiamque participant impudici etiam tactus, oscula, aspectus inter personas cognatas, atque affines habitis. Est autem incestus, cum libidinis actus exercentur cum personis quacunque cognatione conjunctis sive carnali, sive legali, sive spirituali, vel affinibus undecunque affinitas illa proveniat, sive ex copula carnali licita qualis in Matrimonio permittitur, sive illicita, dummodo illæ personæ sint cognatæ vel affines intra gradus ab Ecclesia cognationi, ac affinitati præfixos.

Rationem etiam quamdam incestus habet, quando Confefsarius cum ea carnaliter peccat cujus confefsionem exceperat, aut Parochus cum illa, quæ de ipsius est grege, quia inter Confefsarium, & pænitentem, inter Parochum, & parochianam, quædam spiritualis intervenit conjunctio, & uterque vi muneris, & officii sui, quasi Pater à peccato abstrahere tenetur, non ad illud attrahere. Hæc vero sacra spiritualis conjunctio, libidinis peccato commaculatur, & sacri officii munus constupratur. Habet ergo rationem quasi incestus, ac cujusdam Sacrilegij. Majus vero ac gravius erit peccatum si Confefsarius, quisquis ille sit, in ipsa Confefsione, aut occasione ipsius ad turpia sollicitet, ut si ad turpia eam inducat, cujus fragilitatem in Confefsione cognovit, aut si suam pænitentem crebro inviset, specie quidem quasi spiritualem animæ ipsius curam habiturus, reipsa autem ut pudori ejus insidias struat. Grande hoc est crimen, quia Pænitentiæ Sacramentum, pietatisque larva afsumuntur, ad quærenda & perficienda scelera.

Quæres 2do: Quale peccatum est incestus?

Resp: Incestus est gravifsimum peccatum. Patet id ex sacris Scripturis, Namque Levit: Cap: 20. diversis incestuosorum gradibus, mortis pæna constituitur, quia rem nefariam operati sunt. Et Paulus I. Corinth. Cap: 5. incestuosum Satanæ tradidit in interitum carnis. Unde S. Augustinus libro de Adult: Conjug. inquit. *Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur vero ab incestu,* quia scili-

scilicet præter turpitudinem libidinis, incestuosus peccat contra reverentiam, quæ cognatis, affinibusque debetur. Est autem incestus alius alio gravior, & peccaminosior, scilicet quo gradus cognationis, aut affinitatis est propinquior, eo incestus gravius est peccatum. Unde incestus cum matre gravius est peccatum, quam cum filia, cum filia gravius quam cum sorore, uno verbo gravior est incestus, quo propinquior est gradus cognationis, aut affinitatis personæ cum qua incestus committitur. Præterea, gravior est incestus cum consangvinea, quam cum affine perpetratus, unde gravius peccat qui propriam sororem, quam sororem uxoris suæ carnaliter cognoscit, quia plus reverentiæ debemus consanguineis, quam affinibus, quæ carnali concubitu violatur.

Quæres 3tio: Quas incurrunt pœnas incestuosi?

Resp: Jlle qui incestum commisit peccando carnaliter cum consangvinea uxoris suæ, in primo aut secundo gradu, jam sine peccato mortali non potest ab uxore sua petere debitum conjugale, nisi prius dispensationem obtinuerit.

Benedictus autem 14. per suam Constitutionem, quæ incipit: *Sacramentum pœnitentiæ:* Sacerdoti ademit potestatem absolvendi suum complicem cujuscunque actus impudici, & absolutionem hujusmodi sub pæna Excommunicationis Romano Pontifici reservatæ, prohibuit. Unde qui complicem suum in quocunque libidinis peccato, Confessionem audit, absolvit, & istiusmodi absolutio nulla est, & absolvens incurrit Excommunicationem Papæ reservatam.

Quæres 4to: Quando peccatis luxuriæ sacrilegium committitur?

Resp: Tunc peccatis luxuriæ sacrilegium committitur, quando per actus libidinosos vel persona, vel locus sacer polluitur. Igitur *1mo:* ex ratione loci sacri committitur sacrilegium quando actus libidinis exterior, etsi occultus, veluti fornicatio, pollutio, tactus impudici exercentur in Ecclesia, cemeterio, capella, aut quovis alio loco ad cultum divinum authoritate Ecclesiastica deputato, atque destinato. *2do:* Ex ratione personæ sacræ, committitur sacrilegium, quando actibus libidinis sive internis, sive externis commaculatur persona voto castitatis Deo obstricta. Atque istiusmodi sacrilegium speciale est peccatum à ceteris luxuriæ peccatis specie distinctum, & ipsis gravius, quia per illud sanctitas loci ac

personæ

personæ Deo consecratæ læditur, reverentia loco sacro debita, votique strictiſsima obligatio violatur, & infringitur. Eo autem sacrilegii peccatum gravius est, quo fædior est luxuria, & quo locus, personaquè sacratior est. Quare gravius est sacrilegii peccatum per adulterium, incestum, sodomiam commiſsum, quam per simplicem fornicationem, gravius in Sacerdote, Religioso, quam in sæculari persona simplici voto castitatis obligata. Gravius si duæ personæ sacræ se invicem poluant, aut persona sacra, in loco sacro carnaliter peccet, quia tunc duplex sanctitas violatur.

Ut itaque rite à confeſsario detegatur sacrilegii reatus, gravitasque ipsius, interrogandus est pænitens voto castitatis ligatus, an se ipsum fædaverit cogitationibus, desideriis, aspectibus, tactibusque impudicis, an non idem præstiterit in persona alterius quæ pari voto ligaretur, an similia ab ea paſsus sit, an non ipse, aut complex ipsius duplici castitatis voto, obligationeque illum servandi teneatur. Certe si ad fideles omnes dixit Apostolus Ephes: Cap: 5. *Fornicatio, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*: majorem id considerationem habere debet apud eos qui specialiter Deo consecrati ſunt.

Quæres 5to: Quid sit mollities?

Resp: Mollities, seu pollutio est *voluntaria seminis humani effusio: extra carnalem concubitum*, sive illud foras effundatur, ut in masculis, sive intus diffluat, ut in fæminis.

Mollities est ex natura ſua peccatum mortale, quare Apostolus 1. Corinth. Cap: 6. inquit: *Neque adulteri, neque molles, regnum Dei poſsidebunt*: & Genesis Cap: 18. Onam qui suum semen in terram fundebat, rem detestabilem feciſse dicitur. Porro mollitiei malitia vix ignorari potest, unde qui peccata sua pluries confeſsus, crimen hoc reticuit, & causatur se id ex ignorantia feciſse, ad iterandas confeſsiones tenetur.

Hinc colligitur ne mortis quidem vitandæ causa licitum eſse vel minimam pollutionem sibi procurare, aut quidpiam sumere ea intentione ut ipsa sequatur, vel denique in somnis ceptæ positive cooperari, illamque continuare. Nam ipse actus pollutionis, etiam independenter à delectatione venerea, quæ ipsi communiter adjungitur, secundum se graviter illicitus est. Quod si pollutio prorsus involuntaria sit, scilicet neque in se, neque in causa volita, ut sepe fit in somno, vel quando ipsa provenit ex

causis

causis naturalibus, nullum peccatum in se continentibus, secluso consensu in delectationem veneream, quæ pollutionem comitatur, tunc pollutio peccatum non est; quia nihil peccatum eſse potest, nisi sit in se, vel in sua causa volitum. Pollutio tamen in somno contingens est peccatum mortale. *1mo*: Si ante directe vel indirecte procurata fuerit exg. per gravem exceſsum cibi, vel potus *2do*: Si post somnum in vigilia cum plena advertentia placuit, ob delectationem veneream, si tamen aliquis tempore fluentis seminis evigilans, ei ex ſubreptione, & inadvertentia, aut semidormienti pollutio placuerit, erit solum peccatum veniale, quia plena defuit advertentia, sine qua peccatum mortale eſse nequit. *3ti*: Si quis expergefactus promovet pollutionem addendo conatum, quia non simpliciter patitur pollutionem, ſed positive eam continuat.

Quando vero pollutio naturaliter fluere incipit, & sentitur, tenemur quovis tempore eam cohibere, atque per positivam displicentiam delectationem veneream in se comprimere, nam tunc non licet se habere ad illam indifferenter, ſed positive ei contraire neceſse est.

Quæres 6to: An, & quando est peccatum, ponere actionem ex qua sequitur pollutio, aut venerei motus?

Resp: *1mo*: Est mortale sine urgenti neceſsitate ponere actionem ex qua tamquam causa proxima sequitur pollutio, sive venerei motus inde excitantur, quamvis ipsi non intendantur. Quia cum graviter illicitum est pollutionem, venereosque motus ultro in se excitari, sibique eos procurare, graviter quoque illicitum est, sine urgente neceſsitate ponere causas illius, proxime eos excitantes, & efficientes, quare merito pollutio, motusque venerei censentur ei volita, qui illorum causam proximam volunarie & nulla urgente neceſsitate ponit. Hinc graviter pergit peccare, qui actionem ex qua sentit pollutionem profluere, motusque venereos suboriri continuat, eamque statim non deserit.

Causæ vero proximæ pollutionis, aut venereorum motuum, sunt omnes actiones turpes, veluti aspectus, tactus partium pudendarum, lectio, auditio rerum valde obscænarum, & ad libidinem allicientium, quamvis ex sola curiositate fiant, quia hæc ex se nata ſunt pollutionem, ac venereos excitare motus. Si tamen hæc fiant ex justa ac gravi neceſsitate, pollutio, aut motio venerea non erit peccatum, dummodo desit consensus, periculumque con-

sentien-

sentiendi, & positive etiam quantum fieri potest illis resistatur. Nam in talibus circumstantiis pollutio, delectatioque venerea, sentiri permittitur, nullatenus vero intenditur. Neque homo tenetur motus illos naturales impedire, cum justa causa postulat ut permittantur. Hinc aspectus, & tactus partium pudendarum alterius corporis, ob necessitatem medendi, non sunt peccatum, neque peccat Chirurgus exercens artem suam circa mulierem, etiamsi sequatur pollutio, & venerea sentiatur delectatio, modo absit pravus affectus, & periculum consentiendi in delectationem veneream non immineat,

2do: Non est mortale, ponere actionem, ex qua tamquam causa remota, & per accidens tantum sequitur pollutio, aut delectatio venerea, modo neutra intendatur, & absit periculum consensus. Quia cum istiusmodi motus naturaliter frequenter insurgant, é sola natura corrupta censentur oriri, neque causæ illæ remotæ reputantur veræ illorum esse efficientes causæ, ac proinde non possunt esse in illis voliti, nec per consequens imputari valent, sed præter, ac contra hominis voluntatem ex naturæ corruptione excitantur. Non sunt ergo peccata.

Causæ autem istiusmodi remotæ, ex quibus per accidens aliquando provenit pollutio, aut motus excitantur venerei, illæ sunt, quæ nec sunt per se turpes, nec turpitudinis speciem habent, sed per se vel honestæ sunt, vel indifferentes, unde ad libidinem excitandam ex natura sua nullatenus cooperantur, & tales sunt auditio confessionum, studium Theologiæ, Medicinæ, equitatio, calidorum esus. Hæc enim ex se licita sunt, & quamvis ex illis aliquando sequatur pollutio, aut motus venerei, præter intentionem patientis ex naturæ corruptione excitantur, ac permittuntur, quia ad hæc evitanda nemo tenetur opus honestum & utile relinquere.

Quod si istiusmodi remotæ causæ, ponuntur sine ulla justa ratione, ex quibus aliquando pollutio, aut motus venerei excitantur, dummodo non sint graves, desitque omne periculum illis consentiendi, erit peccatum veniale, quia sine ulla ratione præbere occasionem motuum inordinatorum, ab omni culpa vacare nequit. Si autem adesset probabile periculum consentiendi pravis illis motibus, ut si quis pluries in iis circumstantiis lapsus fuerit, tunc is ab actionibus etiam indifferentibus, aut quamtumvis honestis, quæ tales in ipso excitant inordinatos motus o-

omnino

mnino abstinere tenetur, quia non licet se probabili peccandi periculo exponere.

Quæres 7mo: Quid sit Sodomia, & Bestialitas?

Resp: Sodomia vel est coitus carnalis cum persona ejusdem sæxus, scilicet masculi cum masculo, aut feminæ cum femina, vel est coitus carnalis masculi cum femina ſed in vase indebito, & non naturali. Bestialitas autem est coitus carnalis cum bruto cujuscunque speciei, quod non solum masculis, ſed & feminis contingere solet.

Quæres 8vo: Qualia sunt peccata sodomia, & bestialitas?

Resp: Immania sunt crimina, ordini naturæ contraria. Unde Deus quinque civitates Sodomiæ scelere infectas, ultricibus flammis cœlo miſsis absumpsit. Genesis Cap: 19. Idemque scelus exhibetur ab Apostolo, ut cæcitatis, ac furoris causa, quare Rom: cap: 1. sic inquit: *Fæminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes*; & ideo ut idem superaddit Apostolus: *tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Attamen Sodomia, majus est crimen bestialitas, quia in priori non servatur debitus sexus, in posteriori autem, non servatur debita species, ſed diversæ ſecum commiscentur. Unde Levit: Cap: 20. præcepit Deus. *Qui cum jumento & peccore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite.* Circa hæc crimina, quædam à Confeſsariis ſunt observanda, & quidem 1. si persona conjugata Sodomiam committat, aut bestialitatem, debet circumstantiam hanc in Confeſsione aperire. Pari de causa exprimendum est, an personæ quæ Sodomiam, perpetrarunt, sint consanguineæ, affines, vel Deo sacræ, voto castitatis ligatæ. Si puellam à muliere turpiter tractari contingat, exprimenda est circumstantia labefactatæ ipsius virginitatis. 2do: Exprimi etiam debet in Sodomia qui agens fuerit, quis patiens, quia longe turpior est conditio agentis, quam patientis. Sed in bestialitate non est neceſse exprimere, cujus speciei fuerit bestia brutumque cum quo coierit.

Quæres: 9no: Quid de osculis tactibusque sentiendum est?

Resp: 1mo: Oscula, tactus, amplexus, ob triplicem finem fieri poſsunt: in signum amicitiæ, pacis, ac urbanitatis. 2do: Ob sensualitatem seu sensum delectationis illius organicæ, quæ in organo tactus, aut osculi percipitur,

&

& quam necefsario sentit, quisquis teneram, & delicatam carnem osculatur, aut tangit. *3tio*: Ob delectationem veneream, atquè libidinosam, hoc est: ex complacentia in re libidinosa ac venerea, unde evidens est, osculum, tactum, amplexum libidinosum illum efse, qui fit cum animo degustandi delectationem libidinosam, cum affectu cuiuscunquè actus luxuriæ, aut cum voluntaria, atquè affectuosa illius imaginatione, quamvis nulla sit voluntas illos perficiendi.

2do: Oscula, tactus, amplexus honesti, secundum regionis consvetudinem facti, causa amicitiæ, urbanitatis & pacis, licita sunt. Quia in his nulla apparet turpitudo, unde primævi quoquê fideles etiam diversi sæxus se invicem salutabant in osculo sancto pacis, atquè charitatis. In his tamen servandæ sunt leges decori & honestatis, & cavendum est ab omni scandalo. Nam quod Ecclesiastici, ac religiosi per oscula amicitiam, aut benevolentiam puellis, mulieribusquè etiam consangvineis testentur, nequè decens est, nequè caret periculo. Atquè istiusmodi oscula, amplexus, de se honesti, & iuxta morem Patriæ urbanitatis causa exhibiti, liciti sunt, dari, & recipi pofsunt, etiamsi aliquantum sentiant r motus sensualitatis exinde exurgentes, dummodo nequè intendantur, nequè subsit periculum illis afsentiendi, sed ipsis positive resistatur, & comprimantur.

Quodsi mulier cui osculum, aut amplexus de se honestus exhibetur, advertat eum á quo osculatur, aut amplectitur, libidinoso moveri affectu, si quidem nulli sint præsentes, debet cum commode id fieri potest, istiusmodi oscula, tactus, amplexusquè repellere, ac declinare, quia quisquè proximi peccatum avertere tenetur, si vero aliqui adsint præsentes, debet difsimulare, cum subest periculum, ne pravam adstantium animis de proximo ingerat suspicionem. Verum si præsentes tales sint coram quibus sine incommodo, & sine periculo scandali, pofsit se mulier subtrahere, osculum, amplexum, declinare, ad id obligatur, quia sine gravi incommodo peccatum proximi avertere potest, ergo id facere tenetur.

2do: Eadem oscula, tactus, amplexus de se honesti, si fiant ex mera levitate, joco, aliaquê simili causa, sunt nonnisi peccata venialia, modo absit omnis affectus libidinosus, & periculum gravis peccati tam in se, quam in alio, nec habita ratione constitutionis personarum, libidinosos motus excitent. Quia secluso tum libidinis affectu,

tum

tum ejusdem periculo, prædicti actus non sunt ex se mali, sed honesti, levitas autem, jocus, & similia non posſunt actui de se honesto addere turpitudinem, quæ ad mortale peccatum pertingat. Si tamen ista longiora sint, aut crebro fiant, maxime inter personas libidinis capaces, frequenter sunt peccata mortalia. Quia arguunt, & indicant affectum ad libidinem propensum, & excitant motus, delectationemquè veneream, inducuntquè morale periculum in illam consentiendi. Nam in carnis materia, quæ tam lubrica est, illa, quæ de se solum venialia eſsent, si repetantur, & diutius protrahantur, fiunt mortalia, curiositate, aut levitate, in libidinem degenerante.

3tio: Oscula quoquè, tactus, amplexus de se honesti, si fiant propter delectationem pure sensualem, licet non libidinosam, ſæpius peccata sunt mortalia, maxime si sint inter personas libidinis capaces, cum mora, & iteratione. Quia isti actus sic exerciti per se multum excitant motus carnis, delectationemquè veneream, quæ neceſsitate quadam physica oritur ex delectatione sensuali & organica, & considerata inordinata naturæ nostræ in carnis voluptates propensione, vix fieri potest ut ſensualis & organica, maximé diuturna, atquè repetita percipiatur delectatio, absquè venerea delectatione vel sine evidenti illius periculo. Solus ergo si attendatur horum actuum effectus, vix à peccato pravi immunes eſse poſsunt. Unde ab Alexandro VII. damnata est ista propositio. *Est probabilis opinio quæ dicit eſse tantum veniale, osculum habitum propter delectationem carnalem, & sensibilem., quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis:* quia scilicet perriculum delectationis venereæ ac pollutionis, vix deeſse & separari poſsunt â delectatione sensuali, & organica, maxime diuturna, ac repetita, quæ ex osculis, tactibus, amplexibus etiam honestis percipitur, ac proinde istiusmodi actus, quam frequentiſsime peccata mortalia sunt.

Verum tamen fieri aliquando potest, ut osculum, tactus, amplexus de se honesti & si fiant propter quamdam sensualitatem, & organicam complacentiam sint solum peccata venialia, si inquam fiant obiter, more solito, & non sint morosa, nequè multis repetantur vicibus, ac tandem spectata constitutione personarum, desit periculum venereæ delectationis. Sicut enim aspectus mulieris pulchræ, ob solam pulchritudinis complacentiam, cum omnis pravus deest affectus, periculumquè illius, peccatum solum

veni

veniale est, & venialiter solum peccat, qui comedit, vel bibit propter solam sensus delectationem, ita pariter qui obiter osculatur, manus amplectitur propter quamdam ſensualem complacentiam, cum omnis malus longe abest affectus, habitaquè ratione constitutionis personæ, considerata illius temperie, deest periculum venereæ delectationis, venialiter solum peccabit. Ex quibus manifestiſsime consequitur ab istiusmodi osculis, tactibus, amplexibus cavendum, & omnino abstinendum eſse, maxime Juvenibus utriusquè sæxus, quia vix vacant á periculo gravis peccati, ac proinde vix à gravi peccato immunes sunt.

4to: Oscula, tactus, amplexus libidinosi, seu qui fiunt propter delectationem veneream, & complacentiam libidinosam peccata sunt mortalia. Quia quælibet etsi modica sed voluntaria delectatio venerea ac complacentia libidinosa peccatum est mortale. Cum vero actus externi maxime ex fine æstimentur, igitur oscula, tactus, amplexus qui fiunt propter delectationem veneream, & complacentiam libidinosam, peccata mortalia sunt. Quemadmodum vero mortaliter peccat, qui dat oscula libidinosa, alium animo libidinoso complectitur, tangit, ita pariter graviter deliquit, qui hæc admittit, si sine gravi incommodo resistere, & ea declinare potest, quia voluntarie gravi alterius peccato cooperatur. Itaquè peccata mortalia sunt tactus partium pudendarum, aut illarum quæ pudendis proximæ sunt, sive ejusdem sive diversi sexus, etiamsi trans vestes, aut simulate fiant, mamillarum quoquè potiſsimum puellæ iam puberis, aut cuiuscunquè mulieris. Item mortale est propria pudenda sine neceſsitate & morose tangere. Et id verum est, etiamsi istiusmodi tactus ex curiositate, & levitate tantum fiant, quia semper ad libidinem graviter provocant, & ex affectu libidinoso fieri censentur. Quamquam tactus pudendorum proprii corporis, si ex levitate, & transeunter solum fiat, desitque animus libidinosus, illiusquè periculum, aliquando á peccato mortali immunis eſse potest, semper tamen serio cavendum est ab eo.

Sicut autem mortaliter peccant, qui tangunt alterius pudenda, pudendisquè proximas corporis partes, ita quoquè graviter delinquunt, qui in iis corporis sui membris extra casum medendi, curandiquè tangi, & attractari se permittunt, quia & alterius peccato cooperantur, & ipsi graviter delinquunt, cum in utroquè & tangen-

gen-

gente, & eo, qui sic tangitur, affectus libidinosus deeſſe nequit.

Quæres xomo: Quid de aspectibus impuris dicendum est?

Resp: Quæ de osculis, tactibus, dicta sunt, eadem de aspectibus statuenda sunt, quare aspectus libidinosi, seu nostri, seu personarum alterius ſexus, ſemper ſunt peccata mortalia, quia actus quicunquè cum deliberata libidine aut ejusdem percipiendæ periculo factus, nunquam vacat à mortali. Hinc peccata sunt mortalia aspectus pudendorum alterius sexus, item concubitus carnalis Viri cum femina, licetsi id fiat ex curiositate. Quia ad libidinem multum excitant, pollutionis delectationisquè venereæ periculum inducunt. Aspectus vero pudendorum ejusdem ſexus, aut proprii corporis, aut coitus animalium, si ex sola curiositate, & levitate fiant, & desit affectus libidinosus, periculumquè delectationis venereæ, aut pollutionis, sunt solum veniale peccatum. Potest tamen eſse mortale ratione periculi, spectata aspicientis fragilitate, quod non raro adest in juvenibus, unde ab his graviter deterrendi sunt. Semper vero, & in omnibus tales aspectus mortalia certo erunt peccata, si ex carnali voluptate, deliberate quæsita fiant.

Ut autem peccata libidinosa tactuum, osculorum, atquè aspectuum in Confeſsione, prout oportet declarentur, neceſse est, ut exprimantur status & conditio utriusquè personæ, an voto ligata, an consangvinea, affinis, an alteri desponsata, matrimonio juncta, quia istiusmodi actus turpes, specie diversam contrahunt malitiam, pro diversitate personarum, à quibus, & circa quas exercentur.

Verum tamen quæ hic de impuris tactibus, atquè aspectibus dicta sunt, locum non habent, dum hæc fiunt ex justa et gravi neceſsitate. Hinc Medici, Chirurgi, & alii similis sortis homines, dum pudenda alterius etiam sexus aspiciunt, tangunt, causa medendi, morbum recognoscendi contractant, non peccant dummodo desit pravus affectus, & periculum consentiendi venereæ delectationis motibus.

Quæres xxmo: Utrum peccant qui statuas, imaginesquè turpes conspiciendas exponunt?

Resp: Graviter peccant, qui statuas, imaginesquè turpes efficiunt, conspiciendas exponunt, sed & peccant, qui eas intuentur, quia ex tali aspectu semper imminet venereorum motuum, delectationis libidinosæ, & aliquando ipsius

us etiam pollutionis periculum. Hinc neganda est absolutio iis omnibus, qui prædictas statuas efficiunt, imagines pingunt, vendunt, retinent, nisi eas auferant, penitus deleverint, vel ita ad honestatem reduxerint, ut ad pristinum turpitudinis statum restitui non poſsint, quia non unius peccati, sed tot peccatorum sunt rei, quot obscænarum imaginum, atquè statuarum à se effectarum spectatores habebunt.

Quæres 12mo: An, & quo in gradu peccent mulieres, quæ nimio, & indecori utuntur ornatu?

Resp: Mulieres quæ inordinate vestiuntur plus vel minus peccant, prout plus, vel minus ab honestate & decore præscripto recedunt. Quare à gravi peccato non sunt immunes. *1mo*: quæ vestes ea forma confectas gestant, quæ libidinem commovent, & ad venerem excitant. *2do*: cum exquisite se ornant, ut in concupiscentiam sui alliciant. *3tio*: quæ suo ornatu inverecundo, ac immodesto occulos aliorum offendunt. Sæpiſsime namquè tali vestitu, maxime nuditate pectoris, scapularum, atquè mamillarum expositione, multis sunt gravis peccati causa. Vitiosum quoquè est, quod mulier utatur veste virili, aut è converso, præcipue quia hoc potest eſse causa lasciviæ, & sæpe pravos libidinis motus excitare solet, & tunc non vacat à gravi culpa.

Quæres 13tio: Quale peccatum est loqui, canere, audire, legere turpia, & obscœna?

Resp: Qui turpia, & obscæna canunt, loquuntur, audiunt, legunt, communiter mortaliter peccant. Et id docet Apostolus Eph: Cap: 5. ubi sic ait. *Fornicatio, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut securrilitas* & 1. Corinth: cap: 15. *Nolite seduci: corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Ex quibus aperte constat turpiloquium, & similia, qualia sunt cantilenæ impuræ, obscenarum rerum lectio, auditio, à peccato non vacare. Cum vero ibi semper adsit mortale peccatum, ubi quæritur, & percipitur libidinosa voluptas, aut illius prægustandæ occurrit periculum. Hæc autem vix deest, cum quis spontaneè turpia loquitur, canit, audit, legit. Quare enim ut plurimum legit, loquitur, canit, audit turpia, atquè obscæna, nisi quia hæc placent, mentem, & animum illius jucunde delectant, Igitur qui turpia canunt, loquuntur, audiunt, legunt, communiter graviter peccant.

Hic nonnulla notanda sunt *1mo*: cum ex verbis,

cantionibus, aut lectione etiam non graviter obscena, graves excitantur venerei motus, & subest periculum consensus libidinosæ delectationi, illico hæc deserenda, & ab iis recedendum est. *2do:* In misero eſse statu eos, qui æquivocis dictionibus aſsvescunt, obvia quæquè ad sensus impuros flectunt, cantilenis immunditiam spirantibus delectantur. *3tio*: qui impura coram se narrata interius non approbant, & tamen præbent aliis occasionem, ansamquè ea incipiendi, vel continuandi, & sic turpiloquiis authoritatem præstant, mortaliter delinquunt, quia exterior etiam rei mortaliter peccaminosæ approbatio, peccatum est mortale, & reipsa sua taciturnitate causa sunt istiusmodi turpiloquii, cantusquè obscæni.

Pariter qui turpia componunt, veluti Poeses, cantilenas, tractatus conscribunt de rebus obscænis, illi graviſsime peccant, quia multis, multorum peccatorum sunt causa, atquè occasio.

Ab his omnibus excipiendi sunt Confeſsarii, Theologi, Medici, Chirurgi, qui ex neceſsitate turpia quæquè ac obscena legere, audire, de iis loqui, ac scribere coguntur, ii enim hæc licite, & cum aliorum fructu faciunt.

Quæres 14to: Quid de Choreis ac spectaculis sentiendum sit?

Resp: Choreæ, saltationes poſsunt vacare à peccato, quia ex se indifferentes sunt, quare poſsunt bene, vel male fieri, vix tamen ab omni peccato immunes sunt. Choreæ siquidem ac saltationes fieri solent in frequenti virorum, ac feminarum concursu, quo conveniunt mulieres toto cultu ornatæ, ut eleganti sua forma, saltandi facilitate omnibus placeant, viri autem ut mulierum decore, colloquiis, saltatione, & illecebris occulos suos pascant. His vero innumeræ peccandi occasiones admiscentur. Vix ergo choreæ, ac saltationes à peccato immunes eſse poſsunt.

Idem dicendum est de Spectaculis & Comædiis. Aliquando enim Comædiæ ad morum correctionem ordinantur, nihilquè in iis apparet quod Christianos occulos offendat, virtutem lædat, sed & frequentius vitia spirant, mores depravant, præsentes scandalizant. Ergo iis adeſse non semper tutum est, & ſæpiſsime sine peccato ipsis adeſse nemo potest.

CA-

CAPUT QUINTUM

De septimo & octavo Decalogi præcepto.

Quæres: Quod est septimum & octavum Decalogi præceptum?

Resp: Septimum Decalogi præceptum est istud. *Non furtum facies.* Quod cum generale sit, ad omnes extenditur, eo igitur & divitibus prohibetur, ne aliena rapiant, ne pauperes, viduas, & orphanos opprimant, & pauperibus iniungitur ne divites defraudent, nequè bona eorum deprædentur.

Octavum vero præceptum his continetur verbis. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Huius vero præcepti duæ partes sunt, una prohibet ne falsum adversus proximum nostrum dicamus testimonium, imo etiam ne sinistre de ipso cogitemus, loquamur: altera præcipit, ut simulatione, falaciisquè sublatis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur. Quare octavo Dei præcepto adversantur mendacia quævis, diffamationes proximi, detractiones, contumeliæ, sed & internæ de illo præconceptæ opiniones, ac suspiciones.

ARTICULUS 1mus.

De furto, ejus gravitate, causisquè ab eo excusantibus.

Quæres 1mo: Quid, & quotuplex est furtum?

Resp: Furtum est, *occulta ablatio rei alienæ, rationabiliter invito domino.* Furtum ergo in his consistit. *1mo*: quod occulte res aliena auferatur, scilicet sine vi, & nesciente rei domino. *2do*: quod res auferatur domino rei rationabiliter invito, si enim dominus rei vel consentire merito judicetur, vel irrationabiliter non consentiat, non erit furtum. Sed est etiam veri nominis furtum, quando res occulte aufertur ab illius detentore seu legitimo posſesſore, qui licet illius rei dominus non sit, ipsam tamen legitime tenet, & posſidet.

Differt autem furtum à rapina. Rapina enim est: *violenta alienæ rei usurpatio, præsente scilicet domino, sed in-*

invito, ac reluctante facta, unde specialem furto addit iniuriam contra personam domini rei ablatæ commiſsam, quæ læditur, dum ei, quasi è manibus res sua violenter aufertur, unde fieri potest ut qui non peccat mortaliter in ratione furti; peccet mortaliter in ratione rapinæ, ut si rem levioris momenti per vim auferat à persona illustri. Rapinæ furtoquè affinis est injusta damnificatio, qualis est Domus alienæ eversio, segetum, combustio jumentorum occisio.

Dividitur autem furtum ratione temporis in *diurnum*, & *nocturnum*, ratione vero rei acceptæ in *simplex*, & *qualificatum*, quod vestitum est ſpecialibus circumstanciis, quæ illum secundum leges maiori pæna dignum faciunt, quale est *Sacrilegium*, dum res Sacra in loco etiam profano, vel res non Sacra in loco Sacro furto aufertur.

Quæres 2do: Furtum, quale est peccatum?

Resp: Furtum ex natura sua est peccatum mortale, quia à Regno Cælorum excludit, ut docet Apostolus 1. Corinth: Cap: 6. dicens: *Nolite errare, nequè fures, neque rapaces Regnum Dei poſsidebunt.* Unde fures gravibus etiam ab hominibus afficiuntur pænis, & aliquando ipsa plectuntur morte. Quamvis autem furtum ex natura sua peccatum sit mortale, fieri tamen potest, ut sit nonnisi veniale, scilicet ex parvitate rei furto ablatæ.

Quæres 3tio: Quæ requiritur quantitas, ut furtum, aut quævis damnificatio in bonis fortunæ peccatum sit mortale?

Resp: 1mo: Quantitas in furto, & quævis damnificatione ad peccatum mortale requisita debet eſse gravis vel absolute, vel relative, nam ablatio rei leviſsimæ exg. unius aſsis, per se non potest eſse peccatum mortale, quia est undequaquè levis proximi læsio. Quantitas autem absolute gravis ea est, quæ ſecundum se, & respectu omnium censetur eſse notabilis, & notabilem parit utilitatem, ideoquè cum ablatio ejus privet notabili utilitate, notabile domino, ac poſseſsori illius affert damnum unde gravis, & ad peccatum mortale sufficiens est. Quantitas vero gravis solum relative, sive respective ea est quæ est notabilis non in se considerata, sed relate ad facultatem, conditionem, statum, & indigentiam certarum personarum. Unde quantitas quædam respectu divitis levis, & modica, censetur eſse gravis, & notabilis respectu pauperis, ratione scilicet illius inopiæ

Et si vero furtum rei in se levis & modicæ per se non sit peccatum mortale, per accidens tamen mortale eſse potest. Et quidem *1mo:* ratione gravis damni ex furto rei levis ſubsecuti, aut notabilis lucri exinde ceſsantis, ut si quis furetur acum Sartori, qui cum non poſsit aliam habere, ideo *uno*, vel pluribus diebus operas suas perdit, tunc enim qui tale committit furtum, peccat mortaliter, nôn quidem ratione ipsius furti, quia non ſurripitur aliquid notabile, sed ratione injustæ damnificationis, nam per ablationem acus est causa cur Sartor grave damnum patiatur. *2do:* ratione gravis mæroris quem Dominus, sive poſseſsor concipit, dum ipsi aufertur res in se quidem levis, sed ad quam propensiſsimum habuit affectum, tunc igitur graviter peccat, qui istiusmodi furtum perpetrat, ſaltem contra charitatem, quæ vetat ne proximus injuste gravi mærore affligatur. Et hujusce-modi peccati gravitas multum augetur, si ex ablatione rei sibi dilectæ erumpat quis in blasphemias, maledicta, imprecationes, quia talium peccatorum causa, sive occasio furtum illud merito reputatur, iisquè malitia ipsius augêtur, & aggravatur.

2do: Quantitas vero absolute gravis, ideoquè mortale peccatum in quovis furto & quacunquè damnificatione sufficiens, & respectu omnium etiam divitum est ea, quæ exequat valorem ſex florenorum Polonicalium. Nam talis quantitas ſecundum se ſpectata ex communi ſensu est notabilis, & potest notabilem parere utilitatem, ac proinde ejus furtiva ablatio infert notabile damnum. Est autem mortale injuste grave proximo procreare damnum. Igitur cum talis quantitas in ordine ad usus humanos sit notabilis, eius iactura merito censetur eſse notabile damnum respectu cujuslibet etiam ditiſsimi, ac proinde est quantitas ad peccatum mortale in quovis furto, ac quavis damnificatione ſufficiens. Quantitas vero gravis respectiva, ſcilicet relata ad varias variarum personarum conditiones, diversa est, pro diversitate status, ac conditionis personarum quibus res furto aufertur, aut damnum irrogatur, adeo ut tanto minor quantitas ad peccatum mortale in furto, aut injusta damnificatione sufficere reputetur, quanto persona damnum paſsa pauperior, & magis egena fuerit, unde aliquando peccatum est mortale, si talis auferatur quantitas, quæ adæquat prætium diurni laboris, quod percipit opifex, aut operarius conductitius. In his ergo, ut res ex æquo dejudicetur,

cetur, bene pensandæ sunt omnes circumstantiæ, personæ injuriam, damnumque, pafsæ.

Quæres 4to: Utrum peccet mortaliter qui minima multoties furatur?

Resp: Qui sive uni, eidemquè, sive pluribus diversis, minima succefsive plura furatur, aut in pluribus minimis damnificat, dum ad eam notabilem pervenit quantitatem, quæ ad peccatum mortale sufficit, peccat mortaliter, quia in quantitate notabili alienum rapit, apud se injuste detinet, notabilem injuriam, damnumquè proximo irrogat. Ergo graviter peccat. Certe parva furta, sive minimæ damnificationes sæpius repetitæ, notabile nocumentum afferunt, quemadmodum enim ex parvis emolumentis, maximum coalescit bonum, ita etiam ex minimis nocumentis, maximum evenit damnum. Parvæ quoquè res furto sublatæ etiam distinctis ac diversis personi, dum in unum coacervantur, atquè moraliter secum uniuntur, magnum constituunt acervum, atquè notabilem efficiunt quantitatem, quæ cum semper aliena sit, illius injusta appropriatio, atquè iniqua detentio, peccatum mortale est.

Hinc peccant graviter *1mo*: famuli & ancillæ, si per plura furta levia, etiam circa esculenta, & poculenta, ad quantitatem gravem & notabilem in ablatis rebus perveniant, major tamen requiritur ad mortale quantitas in esculentis, & poculentis, quæ ipsimet consumunt, quam in iis quæ aliis extradunt, quia Domini magis in uno genere inviti sunt, quam in alio. Idem dicendum est de Liberis, qui Parentibus suis paucula itentidem suffurantur, licet & hi ut peccent mortaliter maior requiratur quantitas, quam in furto famulorum, aut extraneorum, quia Parentes erga proprios Liberos non ita sunt inviti, quemadmodum erga famulos, aut extraneos.

2do: Graviter peccant qui utuntur ponderibus, ac mensuris iniquis, quibus licet singulis leve dumtaxat afferant damnum, grave tamen communitati humanæquè societati nocumentum procreant. Quare id Moyses severe prohibuit Deut: cap. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor. Abominatur enim Deus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.*

3tio: Mortaliter quoquè delinquunt, qui pluribus leves corradunt summas, quæ junctæ notabilem constituunt fummam, quia conservare, ac retinere grandem alie-

nam

nam ſummam, licet pluribus debitam, peccatum mortale eſt.

Verum hic duo obſervanda ſunt. *1mo:* ut furta, damnificationes minores ſucceſsive factæ peccatum mortale conſtituant, neceſse eſt ut mortaliter continuentur, & in unum coaluiſse cenſeantur, quare qui ex aliena vite ſingulis annis aliquot racemos excerperet, non cenſeretur poſt plures annos unum mortale commiſiſse. *2do:* Ut furta, damnificationesquè minores peccatum mortale conſtituant, maior requiritur quantitas, quando ſucceſsive, & poſt notabile temporis intervallum, etiam uni fiunt, quam ſimul fierent, & major requiritur quantitas in pravis furtis, damnificationibusve quæ pluribus, quam quæ uni inferuntur, quia damnum inter plures diviſum, ex communi ſenſu minus eſse reputatur, & nocumentum per temporis intervalla illatum, non ita gravat.

Quæres 5to: Utrum bona per parva furta comparata reſtitui, atque modicæ damnificationes illatæ, compenſari debeant?

Reſp: Bona ſic comparata reſtitui, & illatæ damnificationes compenſari debent, & quidem ſub mortali, ſi ad notabilem quantitatem pervenerant, quia gravis proximo illata injuria compenſari, & notabile alienum bonum injuſte ablatum reſtitui ſub mortali debet. Unde Inocentius XI. damnavit ſequentem propoſitionem. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum per pauca furta, quantumcunquè ſit magna ſumma totalis.* Et hæc reſtitutio, ac compenſatio fieri debet, quam primum id eſse poteſt, quia alioqui injuſte alienum retineretur, & damnum illatum diutius prolongaretur. Modus autem reſtituendi, compenſandique is erit, ut quibus in minori pondere res vendita eſt, iiſdem quantum fieri poteſt, in maiori vendatur, vel pretium minuatur. Deinde quod furto ſublatum eſt, ſi ſingulis reſtitui, damnum illatum compenſari nequit, vel quia ignorantur, vel quia difficilior eſt reſtitutio, compenſatio, hoc ſive per Parochum loci, qui ſuorum indigentiam novit, ſive aliter in pauperes diſtribui debent, vel in alia opera bona converti.

Quæres 6to: Utrum furti rei ſint Liberi, Uxores, famuli, ac ancillæ, qui Parentum, Maritorum, atquè Dominorum ſuorum bona ſubripiunt?

Reſp: 1mo: Liberi, qui bona Parentum ſubripiunt, aut iniquè dilapidant, graviter peccant, & ad reſtituen-

dum.

dum obligantur. Liberi siquidem etsi jus habent ut à Parentibus alantur, non tamen jus habent in bona Parentum, nequè eorum administratio ipsis competit, unde cum bona Parentum ſubripiunt, aliena rapiunt, cumquè ipsa iniquè dilapidant, illorum usum injuste sibi appropiant. Peccant igitur graviter, & furti rei sunt, quare ad restitutionem tenentur veluti alienorum usurpatores, quam facere debent ex bonis propriis si habent, qualia sunt bona castrensia, vel quasi castrensia, si vero illa non habent, ac proinde si restitutionem facere nequeant, tenentur post Patris mortem ea in paritionem cum aliis fratribus deducere, nisi constet eosdem ex paternis bonis tantumdem pro se expendiſse, aut nisi Pater jam debitum illud condonaverit, sed videndum est an Pater condonare potuerit sine gravi aliorum Liberorum injuria.

Hinc etiam graviter peccant adolescentes, qui in ludum, & turpes exceſsus impendunt peccuniam à Parentibus sibi ad honestos usus conceſsam, qui proinde quotidie Parentibus suis fictias obtrudunt neceſsitates, ut plus pecuniæ ab iis ementiantur, quam contra eorum voluntatem non solum otiose, ſed & libidinose consumunt.

2do: Uxores etiam graviter peccant peccato furti, si sine Mariti consensu notabile quid accipiant, de bonis ipsius propriis, communibus aut dotalibus, quorum administratio ad maritum spectat, quia sic alienum accipiunt, & ſubripiunt id, cujus dominium, poſseſsio, & administratio ad maritum pertinet, ac proinde jus ipsius violant. Aliud est, *1mo*: si uxor aliquid accipiat ut faciat eleemosynas, aut donationes, quas similis conditionis feminæ facere consveverunt. *2do*: si quid ſumat ut mariti, aut familiæ damnum avertat. *3tio*: si in honestum sui ornatum, & decentem occupationem id expendat. *4to*: si Maritus prodigus, & decoctor sit, poterit uxor clanculum ea ſubripere, quæ sibi suisquè neceſsaria ſunt, quia in his omnibus Maritus non potest eſse rationabiliter invitus. *5to:* si Pater, Mater, Frater, Soror Uxoris, aut proles ex anteriori Matrimonio ſuscepta indigeant neceſsariis, ad vitam, statumquè, poterit eis ex bonis communibus & dotalibus ſuccurrere, quodsi maritus prorsus contradicat, debet illis ex bonis suis propriis subvenire. Quæ si non habeat, ex bonis communibus, & dotalibus, etiam invito & nesciente marito, potest & debet ipsis ea suppeditare, quæ ad vitam, statumque sunt neceſsaria.

Quia

Quia & ipsa illis indigentibus tenetur subvenire, & ipsi jus habent id ab ea exigendi.

Quod autem de Uxore bona communia subripiente dictum est, idem dicendum de Marito, qui etiam ad restituendum tenetur. *1mo*: Si bona uxoris paraphærnalia rapiat, hoc est illa bona, quæ Uxor nec attulit in dotem, nec per contractum Matrimonialem voluit eſse communia, sed sibi reservavit, quia Uxor talium bonorum habet plenum dominium & administrationem, nec proinde vir ullum jus habet de iis disponendi. *2do:* Si diſsipet dotem Uxore invita, aut ad consentiendum coacta, quia dotis proprietas penes Uxorem manet. *3tio:* Si Maritus magnam bonorum communium quantitatem prodige donet, aut consumat, Uxore totibus viribus reclamante, is & peccat, & ad restituendum obligatur, quia licet administratio bonorum communium ad maritum pertineat, quare ea locare, de iis contrahere potest, sed mediæ eorum partis proprietas ad Uxorem spectat. Aliud est de iis bonis quæ propria sunt ipsius Mariti, peccabit quidem illa consumendo, sed ad restitutionem non obligabitur. Bona autem communia sunt, quæ stante matrimonio ab utroquè conjugum, labore, industria, emptione, aliisque modis acquiruntur, aut quæ Conjuges contractu Matrimoniali adinvicem sibi inscribunt, voluntquè eſse communia.

3tio: Peccant peccato furti famuli, & ancillæ, qui Dominorum ſuorum bona vel ipsi dirripiunt, vel ab aliis dirripi sinunt, quia alienum ſubripiunt, & subripi permittunt, cum omne damnum Dominorum suorum impedire teneantur. Paſsim tamen excusantur cum subripiunt aliquid ad edendum vel bibendum, quod si à Domino peteretur, concederetur, & satis norunt Domini, res suas, eas præsertim quæ ad victum pertinent, non ita à famulis contrectari, ut nihil manibus eorum adhæreat. Graviter tamen peccant domestici qui hæc capiunt ad potationes, & commeſsationes, ad vendendum aliisve donandum. Item qui iis utuntur dapibus, liquoribus, quæ Dominus sibi reservata eſse voluit, aut quæ famulis communiter non conceduntur.

Quæres 7mo: Quæ excusant à furto?

Resp: 1mo: Neceſsitas extrema excusat á furto, quia in extrema neceſsitate omnia sunt communia, & rei Dominus non potest eſse rationabiliter invitus, quod homo, qui aliter vitam ſuam conservare nequit, alienum ad illam conservandam rapiat, cum propria non habeat.

Ne-

Nequé transacta extrema necessitate teneretur quis ea compensare, aut in æquivalenti restituere quæ abstulit, ac extrema necessitate durante consumpsit, quia res in extrema necessitate alteri ablata & consumpta, fuit communis. Si vero res in extrema necessitate ablata, ea transacta, adhuc extat, nec fuerit consumpta, exg: si extet equus quem subripuisti ut vitæ tuæ consuleres, tunc est restituenda, & equus statim reddendus, cum periculum evasisti.

2do: Necessitas vero gravis à furto non excusat, quia alioqui ianua innumeris furtis aperta foret, cum innumeri homines gravi laborent necessitate, & facile quisquè sibi persvadere potest se gravi constrictum esse necessitate, cum re ipsa ita non sit.

Sunt tamen aliquæ necessitates tam graves, ut moraliter æquivaleant necessitati extremæ vg. periculum gravissimi, ac diuturni morbi, aut longæ ac gravis servitutis, quibus in casibus, id licitum est in gravi necessitate, quod & in extrema.

Quæres 8vo: An excusetur à furto, qui rem suam sibi propria authoritate vindicat.

Resp: Quando res illa vere, liquido, & totaliter sua est, à furto immunis est, qui eam sibi propria authoritate vindicat, quia tunc alienum non rapit. Qod si res non esset certo tua,, tunc eam auferre non potes, quia in dubio melior est conditio possidentis. Ut vero rem certo suam, sua quis authoritate vindicare posit, oportet *1mo:* ut eam in judicio commode repetere non valeat. *2do:* Ab-it omne scandali periculum, sæpe enim contingit, ut qui tollit quod suum est, vel proximo tamquam injusto detentori infamiam procreat, vel sibi, tamquam injusto raptori labem aspergat. *3tio:* Ut proximus non exponatur periculo iterum faciendæ restitutionis, unde qui rem suam recuperavit, debet modo convenientiori qui esse potest, ostendere sibi nihil deberi. *4to:* Debet res illa actu esse debita, & quidem, ex justitia, si enim debita sit ex quadam gratitudine,charitate, aut etiam terminum reddendi habeat, tunc vel nullatenus sibi vindicari poterit, vel saltem ante terminum tolli nequit. His positis conditionibus, non peccat qui suum ab injusto detentore, propria authoritate tollit.

Quæres 9no: Utrum à furto excuset justa compensatio?

Resp: *1mo:* Non licet famulis, opificibus, operariis, officia-

officialibus aliquid ſubripere, eo prætextu quod stipendium justo minus accipiant, quia debitum quod hujusmodi homines prætendunt, certum & fundatum non est, cur enim alium Dominum, qui plus daret, non quæsiverunt, ſed oblatum & appromiſsum sibi stipendium acceptarunt. Ergo eo contenti eſse debent. Quare merito Innocentius XI· hanc damnavit propositionem: *Famuli, & famulæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant solario, quod acceperunt.* Certe famulis, opificibus, atque operarii, non plus ex justitia à Domino debetur, nisi solarium de quo cum Domino convenerunt, etiamsi sit infimum, unde Math. Cap: 20. uni ex operariis plus exigenti quam conventione constitutum erat, dixit Pater-familias: *Non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum.* Cum ergo occulte aliqua Dominis subripiunt, eo quod putent stipendium, de quo convenerunt, eſse justo minus, contra justitiam peccant, & ad restitutionem tenentur.

Quæres 1omo: Nonne aliquando licitæ sunt occultæ compensationes?

Resp: Concurrentibus certis conditionibus, occultæ compensationes aliquando licitæ ſunt. Quia cuique jure naturali licet indemnem se servare, sine alterius injuria. Porro qui utitur occulta compensatione, se tantum indemnem servat, neque alteri injuriam facit, cum id solum accipere ſupponitur, quod ei stricte debetur. Sane si pauper famulu, cui à Domino debentur centum floreni, & quos ab ipso obtinere nequit, præ manibus suis habeat ipsius florenos quinquaginta, quis eum peccati arguet, aut ad restituendum obligabit, si illos apud se retineat.

Porro conditiones requisitæ ut occulta compensatio licita sit, eædem ſunt, quas modo requirebamus ut quis privata ſua authoritate rem ſuam ab alio tuto repetere possit, scilicet oportet. 1mo: Ut debitum hic & nunc ex justitia persolvere, ac reddere quis teneatur, cujus compensatio occulte quæritur. 2do: Ut non poſsit debitum alia via obtineri, videlicet petitione, vel per judicem, saltem sine gravi detrimento, vel incommodo. Sed præterea neceſse est ut occulta compensatio fiat sine injuria tertii, qualis eſset, si in compensationem acciperetur res alteri commodata, oppignorata, vel apud eum deposita, locata.

Cum autem rariſsime omnes istæ conditiones concurrant, & rariſsime licita eſse potest occulta compensatio, unde nunquam à confeſsariis permittenda maxime

famulis

famulis qui vix unquam eo contenti ſunt, quod à Dominis accipiunt. Quamvis autem quis illicita compensatione usus sit, non tamen obligatur ad restitutionem, nisi quando per illum injuste alteri damnum illatum est.

ARTICULUS 2dus

De mendatio, & injusta proximi diffamatione.

Quæres 1mo: Quid, & quotuplex est mendacium?

Resp: Mendacium est locutio, aut exterior indigitatio gestu quodam facta contra mentem, animo proximum fallendi, ac decipiendi. Quare ille mentitur, qui aliud mente retinet, & aliud verbis, gestuque significat, mentiri siquidem est contra mentem loqui, atque agere, semper autem mendacium fieri censetur ad fallendum ac decipiendum alios, unde qui ita aperte quidpiam falsum narraret, ut illud falsum eſse quilibet facile percipiat, nugari potius quam mentiri reputaretur.

Triplex autem est mendacium, *perniciosum* quod alteri nocet, ut cum falsum quis alteri crimen imputat, *jocosum* quod fit animo alios oblectandi, quibus falsum quidpiam narratur, & *officiosum* cum falsum narratur ad ſubveniendum uni, sine damno alterius.

Quæres 2do. Mendacium quale est peccatum?

Resp: Omne mendacium est peccatum, quia 1. Joan: Cap: 2. *Omne mendacium ex veritate non est*, quod autem ex veritate non est, natura ſua malum est, quia repugnat Deo, qui est summa veritas. Quare Deus illud prohibuit Levit: Cap: 23. *Mendacium fugies* utique quia malum est, quare fideles admonet Paulus Ephes: Cap: 4. *Deponentes mendacium loquimini veritatem.*

Est tamen mendacium jocosum, ac officiosum nonnisi peccatum veniale, perniciosum vero aliquando est peccatum grave, & mortale. Quia mendacium jocosum, & officiosum quamvis veritati adversetur, sed neque justitiam, neque multum charitatem lædit, mendacium vero perniciosum, si grave damnum afferat proximo, graviter & charitatem & justitiam lædit, unde est peccatum grave.

Ex his colligitur nullum eſse caſum in quo mentiri liceat, unde peccat qui mentitur etiam ad tuendam suam, aut alterius vitam. Eo autem mendaciam est gravius pecca-

peccatum, quo gravius per illud non solum veritas, ſed & charitas, ac justitia læditur. Mendacio autem affines ac proximæ sunt simulatio, hypocrisis, adulatio, & jactantia, quia vel mendacia ipsa ſunt, vel mendacium in se continent.

Quæres 3tio: Quid sit simulatio, hypocrisis, adulatio atque jactantia?

Resp: Simulatio est fictio, qua quis per aliqua signa aliud indicat, quam quod in mente habet, ut dum quis intus odio ardet, exterius autem amicitiam exhibet. Simulatio sic accepta semper est peccatum, quia reipsa est mendacium facti, ſed est aliquando etiam mortale quando scilicet proximus inique in re gravi decipitur. Hypocrisis est species simulationis, qua quis factis verbisquè exterius fingit sanctitatem, pietatemque simulat, quam reipsa non habet. Grave est peccatum quando quis pietatem simulat ab pravum finem exg. ut falsam doctrinam diſseminet, ut Ecclesiasticam aſsequatur dignitatem cujus indignus est. Unde toties à Christo repetitum est illud: *Væ vobis hypocritæ* & Isaiæ Cap: 9. dictum est: *Omnis hypocrita est nequam.*

Adulatio est, quando quis erga proximum excedit in laudando, aut in complacendo. Semper est peccatum, quia nihil est, quod tam facile corrumpat mentes hominum, quam iniqua adulatio. Non est tamen peccatum mortale nisi cum quis alterius collaudat scelera, aut alicui adulatur ideo, ut ei fraudulenter noceat, aut eum ad aliquod grave peccatum adducat.

Jactantia est cum quis se exterius verbis, ut factis effert ſupra id, quod reipsa non est. Hæc peccatum est, quia plura sæpius adjuncta habet mendacia, non tamen semper est mortale, ſed communiter nonnisi veniale.

Quæres 4to: Licetne aliquando uti amphibologia, sive æquivocatione, aut restrictione?

Resp: Amphibologia est sermo æquivocus varios ac diversos habens sensus, igitur amphibologia sive æquivoca locutio est, quando quis in alio sensu loquitur, & in alio ab audientibus intelligi vult. Æquivocationis autem sensus à proferente intentus aliquando potest ex circumstantiis, aut exterioribus indiciis cognosci, aliquando sensus illius á loquente intentus nullatenus deprehendi valet. Restrictio autem est sermo cujus verba exterius prolata sensum exprimunt menti loquentis prorsus contrarium. Duplex est, alia pure mentalis cujus sensus à loquente intentus

nulla-

nullatenus detegi, neque percipi potest, alia non pure mentalis, cum sermo exterius prolatus, tales habet adjunctas circumstantias, ut ex illis facile audientes sensum reipsa â loquente intentum percipere, & cognoscere posſunt.

Nunquam autem licet uti restrictione pure mentali aut amphibologia, sive æquivocatione, quando ex circumstantiis aut quibusvis exterioribus indiciis, sensus â loquente intentus, dignosci ac percipi nequit. Quia tunc istiusmodi locutiones, ac sermones ſunt dolosi ac deceptivi, neque alio fine usurpantur, quam ad decipiendum, atque seducendum alios, ac proinde ſunt illiciti, proximum siquidem decipere, ac seducere illicitum est. Sunt igitur veri nominis mendacia, quoniam qui istiusmodi utitur locutionibus aliud cogitat, aliumque in mente verborum quæ profert ſensum retinet, qui nullo modo detegi ab audientibus potest, & alium illis exteriori locutione ingerit, aliterque ab ipsis ea vult intelligi, quam ipse illa interius accipiat. Ergo & contra suam mentem loquitur, & ad decipiendum proximum loquitur. Igitur istiusmodi locutiones & veri nominis mendacia ſunt, ac propterea prorsus illicita. Et certe si istiusmodi æquivocæ cum amphibologia atque pure mentali restrictione locutiones, licitæ forent, omnibus dolis, ac deceptionibus pateret aditus, nunquam certo constare posſet de mente ac voluntate hominum, rueret fides, & authoritas humani testimonii, ideoque & commercium inter homines eſse non posſet, ac proinde & ipsa corrueret humana societas. Quæ cum absurdiſsima sint, manifeste consequitur, amphibologias, æquivocationes, atque pure mentales restrictiones prorsus eſse illicitas, & peccaminosas. Unde Innocentius xɪ. hanc damnavit propositionem. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus*: & istam aliam: *Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, suos familiares tuendos, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio, censeatur tunc expediens, & studiosa.*

Sed & restrictionibus non pure mentalibus aut amphibologia, ſeu æquivocatione licetsi sensus loquentis in illis intentus, ex circumstantiis, & exterioribus indiciis dignosci possit, non licet uti, & peccaminosa sunt *amo:* quando ex inten-

intentione decipiendi proximum usurpantur, ſeu ut ei falsa ingeratur opinio, quia decipere proximum, eum in errorem quoquomodo inducere, per se malum est. Unde S. Augustinus Enchir: Cap: 22. inquit: *Verbis uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.* 2do: Quoties adest obligatio clare, & sine ulla ambiguitate veritatem confitendi, illamque manifestandi, ut cum ille qui interrogat & inquirit, jus habet inquirendi & sciendi veritatem, veluti Superior, Judex, tunc siquidem adest obligatio clare & sine ulla ambiguitate veritatem manifestandi, ac propterea in tali casu amphibologia, æquivocatione, aut aliqua restrictione mentali ut, minime licitum est. 3tio: Cum nulla occurrit justa ac gravis causa veritatem occultandi, quia tunc cuilibet respondere, & cum quolibet loqui tenemur secundum regulas ingenuæ sinceritatis, & Christianæ simplicitatis. quibus semper amphibologiæ, æquivocationes, atque mentales restrictiones contrariantur, cum semper artificiosam contineant fallaciam. Verum si adsit obligatio, vel gravis justaque causa veritatem occultandi, neque alia via ſuppetit eam occultandi nisi per amphibologiam, aut restrictionem, atque sola intendatur veritatis occultatio non autem proximi deceptio, in talibus circumstantiis, licitum est uti amphibologia, æquivocatione aut restrictione, dummodo non sit pure mentalis, ac proinde ex indiciis exterioribus facile poſsit dignosci verus loquentis sensus ab eo intentus. Quia tunc non affirmatur falsum, ſed verum aſseritu, quamvis obscurius expreſsum, ita tamen ut ex circumstantiis, & indiciis extrinsecis deprehendi facile poſsit, ac proinde tales locutiones non ſunt deceptivæ, nam tunc verba ut conjuncta exterioribus signis, & circumstantiis ſensum denotant, & exprimunt totius sermonis, mentemque loquentis indigitant, unde per se nullam continent fallaciam, neque deceptionem, quare iis in præcensitis circumstantiis, atque casibus uti licitum est.

Quæres 5to: An ergo, & quando veritatem occultare liceat?

Resp: Veritatem aliquando occultare licitum est. Quemadmodum enim vituperio dignus est; qui falsum loquitur, ne amicum prodat, ita dignus est laude, qui ut amicum servet, veri quidpiam reticet, quapropter diversa omnino ſunt mentiri & veritatem reticere, unum semper peccatum est, aliud aliquando licitum, & virtuosum

est.

est. Unde S. Augustinus in Psalmum 5. scribens, sic ait; *Aliud est mentiri, aliud verum occultare.*

Jam vero veritatem occultare oportet, quando ex ejus manifestatione gravior, quam ex ipsius reticentia sequeretur Dei, proximi, aut sui injuria. Quia æquitas exigit ut homo nec Deo, nec sibi, neque proximo gratis noceat. Hinc occultanda est veritas cœlestis quando prævidetur ab auditoribus deridenda, juxta id Christi Math: Cap: 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis Margaritas vestras ante porcos.* Occultare etiam veritatem debet, qui eam detegendo gratis sibi noceret, aut etiam proximo iujuriam per id irrogaret, illum exg. inique denigrando, vel commiſsum sibi ſecretum prodendo, quod sine cujusquam læsione servare potest. Manifestanda autem est veritas quoties id exigit rectus ordo, ut cum eam manifestari præcipiunt civiles aut Ecclesiastici Superiores, absque ullo ſuæ potestatis abusu, vel juridice quis interrogatur, aut demum id neceſsarium est ad amovendam occultam contra innocentem machinationem.

Quæres 6to: Quotupliciter soleat proximus injuste diffamari?

Resp: Dupliciter solet proximus inique diffamari, exterius scilicet, quod fit detractione, calumnia, & interius sinistre de eo ſuspicando, aut temere de eo judicando.

Quæres 7mo: Quid sit detractio, & calumnia?

Resp: Detractio est alienæ famæ injusta, & occulta læsio, imminutio, seu denigratio. Calumnia vero est falsi criminis impositio, quando mendaciter alicui crimen attribuitur. Contumelia autem est alieni honoris injusta & aperta læsio. Differt itaque detractio á contumelia, & contumelia gravius est peccatum, quam detractio, hæc enim peccat contra absentem, contumelia contra præsentem, & præter læsionem honoris, ignominia ipsum afficit. Detractio autem octo modis fieri potest, videlicet, falsum aliquid imponendo, verum crimen amplificando, occultum detegendo, quod recte ab alio gestum est, sinistre interpretando, dotes quasdam, aut bona opera alicui abnegando, sive illa imminuendo, debitas laudes cuipiam denegando iis in circumstantiis in quibus silentium pro vituperio reputatur, vel etiam ita frigide laudando, ut facile alii sentiant, eum, qui laudatur, parum laudis dignum reputari.

Quæres 8vo: Quale peccatum est detractio, calumnia?

Resp: Detractio pariter & calumnia atque contumelia na-

lia ex natura ſua grave est peccatum, quia in fama & honore proximum inique lædit, ſpoliando ipsum bono, quod divitiis longe præstat, juxta id Proverbiorum Cap; 22. *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*, charitati ergo pariter & justitiæ adversatur, unde Rom. Cap: 1. detractores, & contumeliosi dicuntur digni eſse morte. Et hæc intelligenda ſunt de ea etiam detractione, quæ ex loquacitate & animi levitate oritur, desitque intentio proximum lædendi, & quamvis coram uno tantum fiat, atque sub secreto, nam & talis detractio est vere injusta, atque proximo injuriosa. Verum tamen detractio, calumnia, quæ fit per libellum, scripturam, longe gravius est peccatum, quam quæ fit voce, quia illa ad plures propagatur, longius diffunditur, & vix aboletur, unde qui istiusmodi male famosos conscribunt, divulgant libros, maxime de aliqua communitate, Ordine, aut de certis quibusdam personis, graviſsime peccant,

Irrisio pariter, quæ species contumeliæ est, mortalis est, quoties fit ex eo animo graviter alium confundendi, vel exprobratur grave illius peccatum aut defectus infamans, vel quando derisus graviter contristatur, aut contemnitur, nam tunc gravis ei irrogatur injuria. Unde S. Thomas 2. 2dæ quæst: 75. art: 2. sic inquit: *Aliquem illudere, vel irridere, est eum omnino parvi pendere, & eum tam vilem æstimare, ut de ejus malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum. Et sic derisio est peccatum mortale, & tanto gravius, quanto maior reverentia debetur personæ, quæ illuditur.* Mortalis quidem ex natura sua est detractio, ſed venialis eſse potest 1mo: ob defectum ſufficientis advertentiæ. 2do: Ob materiæ levitatem, ut si de aliquo levis narretur imperfectio, quamquam fieri potest, ut qui plures alterius defectus licet divisim leves narrat, peccat mortaliter, quia tot revelando defectus, graviter bonam ejus existimationem lædere potest.

Ad dignoscendam vero detractionis, aut calumniæ sive contumeliæ gravitatem, hæc statui ſolet regula, ut censeantur eſse peccatum mortale, quoties graviter læditur fama ac honor proximi, toties è contra ſunt peccatum veniale, quoties nonnisi leviter minuitur alterius fama, honor ipsius modice læditur. Hæc tamen regula ſuas habet exceptiones, unde 1mo: exprobratio levis etiam defectus est mortalis, si fiat ex intentione graviter nocendi, aut in iis circumstantiis, in quibus prævidetur gravem proximo dolorem, ac merorem allatura. 2do: Id, quod re-

spectu unius hominis leve est, grave eſse respectu alterius personæ. Quare qui de puero, aut vili famulo dicit, quod sæpe mentiatur, plus justo bibat, potest eſse peccatum veniale, secus si hæc dixerit de Episcopo, de Superiore, coram ejus inferioribus, de Parocho, quia talium personarum fama, multum inde minuitur & ab authoritate sibi debita excidunt. *3tio:* Ad detractionem etiam gravem satis eſse, si de proximo ea dicantur, quæ licet nullam ex parte ejus culpam ſupponunt, ipsum tamen aliorum contemptui exponunt. Hinc graviter peccant, qui naturales corporis, & animi defectus, occultam alicujus ignobilitatem manifestant, aut per modum convitii exprobrant, cum ab omnibus pro nobili habeatur, per hoc enim vilior redditur. *4to:* Eos etiam mortaliter peccare, qui licet generalibus utantur verbis, magni tamen sceleris suspicionem, & ideam in audientibus excitant, & tales ſunt ii, qui dicunt de tali homine se aliquid scire, quod de eo nemo facile ſuspicari potest, aut se de eo quædam dicturum, nisi illa silentio præmere charitas juberet, talis siquidem ambiguus detrahendi modus, plus nocere solet, quam si singulares alicujus defectus exprimerentur.

Quæres 9no: Quid sentiendum de iis, qui detrahunt in communi, nemine in particulari designato?

Resp: Qui sic detrahit, peccat mortaliter, si detractio gravis in totam communitatem cadat, ut si de aliquo Ordine Religioso, aut quadam communitate dicas nullum ibi eſse ordinem, nullam disciplinam, omnes aut pene omnes ludo incumbere, ebrietate, gulæ indulgere, vel si de pago, civitate aſseratur, ibi plena eſse adulteriis, scortationibus, quia non magis licet totius communitatis famam lædere, quam privatorum, & ablata fama communitati, ipsa etiam privatorum fama tollitur. Veruntamen graviter non peccat, qui ita dicit in aliqua urbe nefarios homines reperiri, ut ſuspicio nec quemquam privatum, nec ipsam communitatem afficiat, quia hinc nec privati, nec ipsa communitas graviter læditur,

Quæres 10mo: Quando licet alterius occultum crimen revelare?

Resp. Licitum est alterius occultum revelare crimen quando id justa, ac gravis exigit causa, quia quod gravi exigente causa fit, juste fit, & ille cujus occultum revelatur crimen, dum id justa & gravis expostulat causa, rationabiliter invitus eſse nequit, unde illud sine peccato fieri poterit. Hinc non peccat 1mo: qui alterius occul-

tum

tum crimen revelat, quando id necefsarium est ad avertendum grave damnum sive communitati, sive etiam alicui privato innocenti impendens, sive spirituale, sive temporale, nam bonum commune, aut etiam privatum innocentis, præferri debet bono privato nocentis, & rei, & charitas obligat ad impediendum damnum communitatis, vel privati innocentis cum impediri potest, & nocens atque reus tunc famæ fuæ jacturam pati debet. Idem, ob eandem rationem licitum est, quando criminis revelatio à quopiam perpetrati, necefsaria est ád avertendum proprium nostrum grave injustum damnum temporale, aut spirituale. Hinc quando agitur de officio, aut beneficio Ecclesiastico conferendo, de matrimonio contrahendo, de statu religioso fuscipiendo, potes & debes occulta impedimenta, incapacitatem, vitia alterius, unde aliquod grave damnum merito timetur, detegere illis, ad quos ea scire fpectat. Sic licet quoque monere amicum, ne in famulum fuscipiat hominem furacem, ut vitet consortium hominis quem certo nosti moribus efse corruptum. Licite quoque talis criminis occulti revelatio fieri potest, quando ipsa necefsaria est ad bonum spirituale delinquentis, veluti si fiat Superiori, Parentibus, Tutori, fervato tamen quantum fieri potest ordine fraternæ correctionis, quia bonum animæ plus valet quam bonum famæ. 2do. Non peccant, qui ut auxilium, aut consilium obtineant, illatæ injuriæ reparationem consequantur, occultam alterius nequitiam exponunt, quia tunc injurians non potest efse rationabiliter invitus, quod ipsius nequitia detegatur, & læsus jus habet, consilium, auxilium necefsarium in acceptis injuriis ab aliis quærere. 3tio Si quis fictis dotibus, aut virtutibus, simulata peritia, capacitate, famam sibi comparavit, licet talem simulationem, ac fictionem detegere, & aliis manifestare, quando sic comparata fama, acceptioque vergit in aliorum damnum, ac nocumentum, ut si quis simulet se efse peritum Medicum, Advocatum, Artificem, cum talis reipsa non sit. Quia talis non habet jus famam fuam in errore fundatam, & graviter aliis nocentem retinendi. Sed in his omnibus sedulo cavendum est. *1mo*: Ne leves, & infundatæ conjecturæ pro seriis criminis probationibus habeantur. *2do*: Ne plus detegatur, quam ad avertendum malum necefse est. *3tio*: Ne detegatur crimen, cum alia via damnum impediri potest, ex. g. correctione fraterna. *4to*; Ne pluribus crimen dètegatur, cum fufficit ut aperiatur paucis.

Quæres xxmo: An, & quando detractio exigit reparationem?

Resp: Certum est detractorem ad famæ reparationem teneri, quia qui damnum causavit, illud reparare tenetur. Porro hæc obligatio urget. *1mo*: Quamvis quis nonnisi ex ignorantia detraxerit, puta is occultum alterius crimen revelaverit, quia illud publicum eſse putabat, aut si illud de uno dictum, existimaverit narratum fuiſse de alio, ac de isto aliis narraverit, quia justitia quemlibet obligat ad impediendum, ne ex actione etiam inculpabili alteri damnum procreetur. Hinc si diffamatus aliquid percipiat damni, postquam detractor errorem suum agnovit, is jam ad ejus restitutionem tenetur, quia qui causam damni à se etiam inculpabiliter positam, non removet, censetur damnum ab illa proveniens velle, secus autem si damnum illud alteri contingat, antequam errorem ſuum cognoverit, quia tunc voluntaria illius causa censeri nequit. Quod si quis verum crimen de uno narrando, alii hoc de alio dici putent, & de illo ulterius divulgent, tunc ipse ad restitutionem famæ & damni inde obvenientis non tenebitur, quia vera illius damni causa non fuit, ſed mala aliorum intelligentia, cujus ille occasio, non causa extitit. Aliud eſset, si malam hanc ex sermone ſuo intelligentiam ſecuturam prævidere potuiſset, quia tunc damna inde orta, in causa voluntaria ipsi forent. Cum vero errorem resciverit, tenetur illum emendare, & retractare, alioqui ad damna, quæ ex eo proximus pati potest, resarcienda, obligabitur.

2do: Hæc reparandæ famæ obligatio urget etiam cum propriæ famæ periculo, quia in pari casu, potior est conditio innocentis, imo hæc restitutio alienæ famæ urgeret cum periculo propriæ vitæ, si ex infamia immineret nocenti periculum vitæ, quia damna quæ tunc patitur infamatus, æquivalent, aut præstant damno infamatoris.

3tio: Fama restitui debet quam primum fieri poterit, & efficaciter. Quia fama injuste ablata, injuste detineri pergit cum non restituitur, damnumque ex læsione famæ proveniens augetur. Ergo quam primum fieri potest, & fama restitui, & damnum compensari debet. Damnum etiam, quod nonnisi inefficaciter reparari intenditur, reipsa non reparatur, & in se permanet. Porro cum fama tollatur vel per impositionem criminis falsi, vel per revelationem occulti, ſed veri delicti, aliter, & aliter in utroque casu gerere se debet detractor. In primo quidem casu

casu, aperte, & exprefse retractare debet id, quod dixit. Quia cum necefse sit, ut amborum, infamati nimirum, & detractoris, alteruter infamis remaneat, præstat ut in pari jure, melior sit innocentis, quam nocentis conditio. Unde Confefsarius infamatori absolutionem denegare debet, donec falso impositum alteri crimen revocaverit, nisi certo moraliter constet reparationem hanc criminis faciendam efse quam primum poterit. In secundo autem casu, cum scilicet diffamatio facta fuerit per revelationem veri, fed occulti criminis, longe major est difficultas, & tunc tamen omnia tentanda funt media ad reparandam proximi famam, quæ si non fuccedant, humiliter petenda est condonatio ab eo, qui in fama & honore læsus fuit.

4to: Restitui debet fama coram iis omnibus, coram quibus ablata fuit. Fama enim aufertur vel coram iis, quibus ipse detractor proximi crimen immediate manifestat, vel coram iis, quibus primi, & immediati auditores, id quod à detractore acceperunt, retulerunt. Porro coram iis omnibus ablata fama restitui à detractore debet. Est enim vera, & culpabilis causa ablatæ proximo coram illis omnibus famæ, facile enim prævidere potuit & debuit, dicta sua à primis auditoribus ulterius divulganda efse. Cum vero aliquando impofsibile sit, ut detractor cognoscat, ad quos pervolaverit infamatio, efficere serio debet, ut ipsius retractatio, quantum fieri potest; publica fiat, ut scilicet qui crimen didicerunt, criminis reparationem non ignorent.

Quæres 12mo: An crimen, quod in uno loco publicum est, liceat in alio loco, ubi occultum est, propalare?

Resp: 1mo. Qui juridice per publicam fententiam in uno loco infamatum, infamat in alio, ubi crimen ejus ignoratur, non peccat contra justitiam, quia reus per fententiam Judicis damnatus, ac infamatus, omni in fuam famam privatur jure, & quidem pro omni loco. Graviter tamen contra charitatem peccare potest, si absquè justa causa sic à Judice infamatum, in alio loco infamat, ubi crimen ejus ignoratur, & ubi moraliter loquendo ignotum mansurum erat, lædit siquidem primum charitatis principium, quod vetat, ne quis alteri faciat, quod sibi fieri nollet. Quis autem vellet ut sibi auferatur fama in eo loco, ubi eam sine fraude pofsidet. Si tamen Medicus, Chirurgus, in uno loco diffamati, in alio bono nomine, quod ibi retinent, abutantur, ut incautos decipiant, licitum erit ostendere eos in tali loco diffamatos, & ab officio

cio amotos fuiſse propter perniciem, quam inferebant. Quod si ſententia adversus reum à Judice in uno loco publicata, brevi erat in alio loco publicanda, sive per communem rumorem divulganda, is qui prima criminis fert nuntia, graviter non peccabit, quia sive paulo citius, sive paulo tardius fama alicuius destruatur, parvi momenti est, nisi ex illa anticipationes gravia infamati in bonis temporalibus contingerent damna.

2do: Si crimen sola facti, ac rumoris publicitate alicubi notorium sit, & revelatur in eo loco quo rumor publicus illud perlaturus non erat, peccatum est mortale contra charitatem, & justitiam, quia iniuste famam proximo adimit in loco, in quo eam integram servare poterat. Et certe an non iniquiſsimum est, ut cum quis amiſsa in uno loco fama, in alium se transfert, ut ibi pie vivat, de crimine quod forte imprudens commisit, turpiter infamatur, atquê sic vel infamis, vel exul vivere cogatur.

3tio: Si crimen in aliquo loco satis publicum, iis loci huius incolis narretur, quibus ignotum fuit, saltem grave hic non erit peccatum, quia tunc crimen non est occultum, sed manifestum, & moraliter impoſsibile est, ut quod coram multis factum est, multis iam innotuit, ad ceterorum notitiam non perveniat. Graviter tamen peccaret, qui crimen in aliqua particulari Communitate, Collegio, Monasterio notum, extra illud efferret, ac divulgaret, quia extra efferri, & divulgari, nisi iniquiſsime, nequit, cum per hoc ipsius etiam Communitatis fama multum lædatur. Hac de causa pariter peccant, qui filiorum familias, aut domesticorum peccata extra familiam divulgant, quia hæc in familia nota sunt, sed extra familiam occulta, ac proinde nonnisi injustè revelari poſsunt.

4to: Peccat præterea mortaliter contra charitatem, & contra justitiam, qui infamatum de uno crimine, infamat de alio occulto, quod isti annexum non est, quia sic infamia augetur. Quare inique agit, qui scienti mulierem in adulterium cum Titio prolapsam eſse, narrat eandem similis cum Caio criminis ream extitiſse. Si tamen crimen unum cum alio omnino connexum sit, & prius iam publicum evasit, istud narrare non est peccatum, ut si de homine ebrietati dedito, quod palam est, narret aliquis ipsum cum uxore sua rixari, curam fa-

miliæ

miliæ domesticæ non gerere, quod ebriosis commune est.

Tandem mortaliter peccat, qui crimen olim communi rumore publicum, sed oblivione, vel conversatione ſancta deletum, nescientibus narrat, aliisve in memoriam revocat, quia infamiam oblivione sepultam resuscitat, bonam famam sancta conversatione recuperatam adimit, graviter ergo contra charitatem, & contra justitiam peccat.

Quæres 13tio: Quinam, præter detrahentem, ad famam restituendam obligantur?

Resp: Præter ipsum detrahentem, quem ad famæ restitutionem primario obligari indubitatum est, qui detrahentem audit, hortando, vel ad detrahendum incitando, significando istiusmodi sermonem sibi placere, item interrogando ut stimulos detrahenti addat, peccat contra charitatem, & justitiam, unde idem restituendi contrahit onus, ac ipse detractor. Quia talis inducit alium ad detrahendum, iniquæ actioni illius cooperatur. Ergo non minus peccat quam ipse detrahens, imo quandoquê magis, unde S. Bernardus ait: *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum sit damnabilius, non facile dixerim.* Quod si audiens, qui alias non tenetur ex officio ad obsistendum detractori, quamvis interius de detractione gaudeat, exterius tamen non significat eam sibi placere, non tenetur ad restituendum, quia non est damni causa, peccant tamen contra charitatem, quia & de malo proximi gaudet, & illud non avertit, cum avertere poſsit. Eodem modo peccat, qui quam novit calumniæ falsitatem non aperit quantum potest, imo si silentium ipsius æquivaleat tacitæ affirmationi criminis, quod proximo imponitur, peccat etiam contra iustitiam, quia tacite approbat, quod non negat.

Superiores quoque, quales ſunt Patres, Domini, Prælati, Regularium præpositi, si communitatem, aut aliquod ejus membrum vel ab externis, vel à suis subditis infamari audierint & non obstent; peccant contra justitiam & in locum detractoris restituere tenentur. Quia tales ex officio, ac proinde ex justitia detractori obsistere, communitatis suæ, ac sibi subiectorum famam tueri obligantur, quodsi non præstant, graviter etiam contra justitiam peccant.

Quæres 14to: Utrum ille peccat, qui nec lætatur ex audita detractione, neque eam ex curiositate audit, sed

sed ex aliquo detractori displicendi metu, mutus manet, & tacet.

Resp: Talis aliquando graviter contra charitatem peccat, quia infamiam proximi, quod grande malum est, non avertit, cum sine notabili suo damno, illud avertere potest. Certe quandoque tenetur homo, cum aliquo etiam gravi suo incommodo, detractori obsistere, si id necefse sit ad avertendum gravifsimum, & irreparabile proximi damnum, cui detrahitur. Verum detractoribus resistendi obligatio, tunc tantummodo incumbit, cum prudenter judicatur, resistentiam utilem fore, unde cavendum sæpius est, ne detractor potius ad detrahendum inflammetur, quam coerceatur. Quod si quis aperte resistere detractori nequeat, vel discedendum est, vel sermo alio est convertendus, vel tristioris vultus specie ostendendum est, iniquitatis participem se efse nolle. Positiva autem & exprefsa detractoribus resistendi obligatio, maxime quæ sit sub mortali detractionem impediendi, rara est inter æquales, rarifsima in inferiore erga superiorem, quia audiens præsumere potest id publicum efse, quod narratur, & narrans sæpius justam habet causam id, quod revelat, manifestandi. Attamen licetsi istiusmodi rationes non omnino sint convincentes, certum nihilominus est, si cui non placeat detractio, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam ex quadam verecundia omittat detrahentem impedire, peccat quidem, sed multo minus quam detrahens, & plerumque venialiter tantum.

Quæres 15to: An audita lecta, referens sine afseveratione peccet?

Resp: Jlli graviter peccant contra charitatem, & contra justitiam, qui lecta, vel audita sine causa referunt coram iis, quos sive ex levitate, sive ex malitia probabile est iis fidem efse adhibituros. Quia licet forte nolint ea ab illis credi quæ referunt, inique tamen se gerunt, ut qui prævidere debeant homines sic efse affectos, ut de proximo male potius quam bene opinentur, quare qui hac utuntur loquendi formula. *Dictum est mihi; non tamen credo Petrum heri se inebriafse*, pefsime famæ proximi nocent, tales siquidem indiscretæ locutiones tetram semper ingerunt suspicionem, ob summam hominum ad male de aliis opinandum proclivitatem.

Peccant pariter qui libellos male famosos de aliis conscriptos legunt, in quibus vera & falsa narrantur crimina, plus enim id est quam detrahentem auscultari.

Quæ-

Quæres 16to: Quæ causæ à restituenda fama excusant?

Resp: Multa excusant à restituenda ablata proximo fama. Et quidem *1mo:* Impotentia sive physica, sive moralis, quia ad impoſsibile nemo tenetur. Unde qui famam alterius reparare nequit, sine suo longe graviori nocumento, & præsertim sine periculo vitæ, ad id non tenetur, nisi infamia læsus eidem expositus sit damno. *2do:* Inutilitas, exg: cum quis revelavit occultum crimen, quod postea factum est notorium, aut etiam alium denigrare conatus quidem est, sed id præstare non potuit, quia dictis ejus nemo credidit, aut nonnisi ad breve tempus crediderunt, posterius vero detractorem contempserunt. *3tio:* Si detractio vetus sit, & infamia in oblivionem abiiſse prudenter judicetur, tunc enim satius est silentium servare, quam calumniam de se ſemper periculosam suscitare, ſollicite inquirendo an adhuc vivat in mentibus eorum, qui eam audierunt. Si tamen probabiliter conjici poſsit, memoriam ejus non tam extinctam eſse, quam sopitam, efficiendum erit, ut retractetur.

Quæres 17mo: Utrum liceat illatam infamiam repellere?

Resp: Mortaliter peccat, qui ut famam suam tueatur, falsum suo adversario crimen impingit. Quare damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat.* Pariter & ille peccat, qui ut illatam sibi infamiam compenset, infamatoris sui occultum crimen manifestat, hæc enim agendi ratio, aliud nihil est, quam ipsa vindicta. Quia tamen quisquè jus habet propriam tuendi famam, contra injustum illius læsorem, licet ea infamatoris detegere, unde testimonium authoritasquè ejus labefactari poſsit. Quare non peccat, qui probat illum eſse mendacem, aut perjurum, nisi tamen alibi, atquè alio modo poſsit suam innocentiam probare. Docet tamen S. Thomas 2. 2dæ quæst: 72. Art: 3. quod quidem tenemur habere animum paratum ad calumnias perferendas, si id neceſsarium, & expediens fuerit, quandoquè tamen opportet, ut calumniam illatam repellamus, maxime propter duo: primo propter bonum eius qui calumniam intulit, ut ejus audacia reprimatur, unde Proverb: Cap: 26. dicitur. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Secundo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur per

illatas

illatas calumnias. Modis itaquè iustis, ac decentibus calumniam repellere licitum, & aliquando conveniens est.

Quæres 18vo: An in materia restitutionis ablatæ famæ detur compensatio, ita ut qui de alio detraxit, immunis sit á restitutione famæ, cum alter vicissim de ipso detraxit?

Resp: Duo, qui seipsos mutuo denigraverunt, possunt sibi mutuo remittere omnem restituendi obligationem, nisi tamen eorum infamia in aliorum detrimentum vergat. Et hæc mutua condonatio facile supponitur, cum infamia fuit æqualis. Quare si duo in eodem constituti gradu, sese infamaverunt, non teneatur unus alterius famam restituere, si is æque reus, ita male affectus sit, ut idem ex parte sua facere nolit, & probabilius compensatio hic valet, quia ex jure paria crimina compensatione mutua delentur, & fama inter bona temporalia numeratur, quemadmodum ergo in ceteris bonis temporalibus, si alter nolit tibi reddere, quod debet, nequè tu, quod ei debes ipsi restituere teneris, ita pariter si tibi alter ablatam famam restituere nolit, nequè tu illi resarcire obligaris. Si vero detractores diversæ conditionis sint, aut alter, ut minorem à se infamiam averteret, alterum graviori modo læserat, tunc compensatio locum non habebit, sed qui plus læsit, tenetur ad restitutionem in excesu infamiæ alteri illato, alioqui æqualitas non esset.

ARTICULUS 5tius

De interna proximi diffamatione.

Quæres 1mo: Quot modis interius apud nos possit proximus diffamari?

Resp: Tribus potissimum modis, suspicione, dubio, & judicio temerario.

Dubitatio, est hæsitatio animi non magis in unam partem declinantis, quam in aliam. *Suspicio* est propensio ad assentiendum uni potius parti, quam alteri, ita tamen, ut mens nondum plene assentiatur, quia licet videat aliquam veri speciem in una parte, non autem in altera, nihil tamen percipit, quod plenum exigat mentis judicium. *Opinio* est verus mentis assensus, sed non ita firmus, ut excludat formidinem errandi. *Judicium* est assen-

aſsensus fixus, & firmus, adeoquè omnem errandi excludit formidinem.

Porro dubitatio, suspicio, opinio, judicium, temeraria erunt, si nitantur indiciis, quæ non ſufficiunt ad fundandum prudens dubium, suspicionem, opinionem vel judicium. Unde temerarie suspicatur, aut judicat, qui ultra progreditur, quam permittat gravitas motivorum, quibus ad suspicandum, aut judicandum permovetur.

Levia porro censeri debent indicia, ac motiva, quæ habita ratione facti, personæ, loci, temporis, ceterarumque circumstantiarum non sufficiunt, ut vir prudens moveatur ad sic dubitandum, suspicandum, opinandumque, aut judicandum de proximo. Contra vero gravia reputari debent, quæ virum prudentem moverent, ad sic suspicandum, vel judicandum. Unde si videas hominem qui nocte, & clanculum alienas ædes perforat, aut per fenestras ascendit, habes ſufficiens motivum judicandi eum furtum, aut mali quidpiam meditari, secus si hæc ab eo plena luce, & coram omnibus fieri videas. Quare minora ſufficiunt indicia ut imputes ebrietatem ei, qui ebrietatis consvetudinem habet, quam alteri, qui ab ea alienus est. Sic etiam si persona quæ alterius actionem refert, sit proba, nec asveta de aliis detrahere, aut incerta pro certis spargere, aliunde vero nihil sit inter utramquè odii, indicium grave est, commiſsum fuiſse id, quod refertur, si referatur de vulgari quopiam, qui id operari idoneus sit. Sed si ille de quo delictum narratur, sit etiam persona notæ probitátis, iam viri etiam honesti testimonium non sufficit, ut judices ipsum hoc crimen admisiſse, imo nec poteris opinari, sed forte solum poteris subdubitare, dicendo intra se: forte fecit, quia alioqui talis non aſsereret, forte etiam non fecit, quia vir est notæ probitatis. Motiva siquidem quæ ad efformandum judicium non sufficiunt, satis eſse poſsunt ad opinionem concipiendam, & quæ ad opinionem, aut suspicionem efformandam satis non sunt, poſsunt satis eſse ad habendum dubium.

Hinc colligitur famam, rumoremquè de alicuius crimine sparsum, quandoquè à temeritate judicii, aut suspicionis excusare, aliquando non excusabit quidem, si authorem habeat fide dignum, & qui nihil nisi undequaquè verum referre consvevit, secus si nullo certo nitatur authore, aut nonnisi è levi homine proceſserit, qui fidem non meretur.

Quae-

Quæres 2do: Judicium temerarium estne peccatum, & quale?

Resp: Judicium temerarium toties est peccatum mortale, quoties est notabiliter temerarium, & in materia gravi. Siquidem unusquisquè ex proximis nostris jus habet ne reputetur malus, donec sufficienter probetur efse talis, hoc vero jus proximì læditur per judicium temerarium, quia per illud proximus reputatur malus, priusquam sufficienter constet ipsum efse talem. Certe sicut graviter nocet proximo, qui eum sine causa apud alium infamat, sic & graviter eidem nocet, qui illum apud semetipsum sine ratione, ac sufficienti motivo denigrat. Unde Lucæ Cap: 6. inquit Christus. *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* Igitur qui grave, & graviter temerarium contra proximum ferunt judicium, graviter peccant, quia graviter condemnabuntur.

Porro ut judicium temerarium sit peccatum mortale, necefse est *1mo*: ut sit notabiliter temerarium. Est autem notabiliter temerarium, quando motiva, quibus ipsum innititur, multum distant ab iis indiciis, ac rationibus, quæ necefsaria forent viro prudenti, & cordato, ut idem conciperet judicium. Si vero motiva istiusmodi judicii parum distant ab iis quæ ad illud efformandum fufficientia forent, tunc hoc judicium etsi ex parte temerarium, nonnisi veniale erit peccatum, quia levis est temeritas. Unde & fieri potest, ut falsum de proximo efformetur judicium, & tamen illud non sit temerarium, nec proinde peccatum, si gravia sic judicandi aderant motiva, licet in se fallibilia. Sic judicare potes hominem ebrietati deditum, sua hodie sicut & semper culpa ebrium efse, etsi fieri poterat ut alterius dolo inebriatus fuerit. Unde S. Thomas Doctor quodl: 12. Art: 34 inquit. *Judicium de personis licet quandoquè sit falsum, non tamen semper est peccatum, nisi quando omnino est temerarium. 2do*: Necefse est, ut sit vere voluntarium. Unde si quis temerariè judicet, ex sola mentis levitate, atquè velocitate, absque deliberato voluntatis consensu, nullum erit peccatum, tunc enim non tam erit judicium, quam repentina pertransiens cogitatio, & interrogatus quispiam, an certo credat de proximo id, quod de eo cogitavit, sæpius responderet se nequè illud de ipso credere, nequè credere velle. Hinc Confefsarius non statim mortalis peccati reos existimabittot homines, qui verentur ne temere de proximo judi-

judicaverint, sed considerabit statum & dispositiones pænitentis. Si pænitens timoratæ sit conscientiæ, & credat se non fuiſse consensurum temerariæ cogitationi, si, cum hæc irruit, advertiſset ipsam eſse temerariam, regulariter non erit metuendum de mortali, etsi diu perduraverit cogitatio. Si vero pænitens sit parum de sua salute sollicitus, sed aliorum vitam carpere solet, & in eam inquirere, ut multæ faciunt, etiam devotæ mulierculæ, in dubio an temerariæ cogitationi consenserit, semper scrupulus habendus est de mortali. Quodsi cuipiam suum de alio sensum patefecerit, iam peccavit dupliciter, quia sic consensum suum cogitationi temerariæ præstitum firmavit, & imprudenti hac sua agendi ratione, malam ideam de proximo aliis inseruit.

ztio: Debet eſse in materia gravi. Gravis autem censetur eſse materia omne peccatum mortale, quia quisquis hujus censetur eſse reus, gravis ei affigitur labes, atque enormis macula. Attamen etiam peccatum veniale, si per judicium temerarium attribuatur alicui personæ, & per hoc multum ei detrahitur de æstimatione, quæ ipsi ratione status, ac conditionis debetur, mortale erit, ut si Sacerdotem, Parochum, Episcopum, Prælatum Religiosum, judices sæpius mentiri, vanitati, ludis studere. Quia & gravis eſse potest materia id, quod licet in se non sit peccatum, graviter tamen lædit honorem, atque si pervulgatum eſset, non leviter dehonestaret, ut si virum honestum judices eſse spurium, vel à Judæis progenitum, aut fatuum eſse censeas, illumque ideo contemnas, honore indignum reputes. Quia si hæc exterius declararentur, gravem detractionem continerent. Ergo etiam cum per judicium temerarium alicui affiguntur, graviter famam proximi lædunt, eumquè apud nos notabiliter deturpant.

Cum vero fama proximo detracta restitui debeat, qui alium temere judicando apud semetipsum eum denigravit, debet hæc interius retractare, & quæ sibi deinceps circa eundem suborientur dubia, meliorem in partem interpretari.

Quæres ztio: Utrum etiam peccat, qui temerarias de proximo concipit opiniones?

Resp: Qui temerarias de proximo concipit opiniones, sensusquè malos, licet minus peccat, quam qui temerariè judicat, attamen & ille mortaliter peccat. Quia licet si opinio minus firmum sit judicium, sensum tamen homi-

minis denotat. Ergo cum graviter peccet, quisquis in materia gravi temerarie de proximo judicat, graviter etiam peccat, qui male de proximo sine fundamento opinatur. Quare qui ex errore intellectûs, aut ex levi motivo grave quidpiam de proximo suspicatur, vel subdubitat, mortaliter peccat. Quia istiusmodi dubia, suspiciones de proximo in corde conceptæ, graviter proximo sunt injuriosæ. Ergo qui eas sciens & volens fovet, & in corde suo retinet, graviter erga proximum injuriosus est. Igitur graviter peccat. Et tales suspiciones, atquè dubia, licetsi non proveniant ex speciali aliqua erga personam, forte etiam ignotam malevolentia, sed tamen communiter oriuntur ex generali illa malignitate, qua omnes motivo quodam impetu aliorum mores inquirimus, & carpimus, & hoc ideo, ut si mali sumus, alios nobis pares esse gratulemur, si bonos nos reputamus, pharisaice lætemur quod non simus sicut cæteri hominum.

Verum tamen magis peccat, qui ex malo erga proximum affectu, grave de eo malum deliberate ex levibus motivis suspicatur. Quia tunc & ipsæ tales temerariæ suspiciones graviter sunt proximo injuriosæ, & malus erga proximum affectus non levem in se pravitatem continet. Siquidem & proximus jus habet, ne de ejus probitate levi de causa dubites, improbum illum esse sine fundamento suspiceris, & charitas proximo debita postulat, ut secluso omni malevolo animo, sincere eum diligamus. Qui ergo malevolo erga proximum animo, grave de eo malum ex levibus causis suspicatur, aut de ipsius probitate volens & sciens dubitat, & duplici capite graviter peccat, scilicet & ratione pravi erga proximum affectus, & ratione sinistrarum suspicionum, atquè dubiorum, quæ maligne in corde suo de ipso fovet, & retinet.

Sed non peccat, qui de proximo malum suspicatur ob causas ac motiva sufficientia. Quia sicut licet judicare, ac reputare malum esse proximum, cum adsunt sufficientes sic judicandi ac æstimandi rationes, atque motiva, ita pariter licitum est ipsum suspicari esse malum, quando id gravia ostendunt indicia, adsuntque sufficientes rationes id evincentes, Namque rectæ rationi, & prudentiæ humanæ consentaneum est, ut malum esse censeatur, quidquid sufficienter constat esse malum, & malum esse suspicetur, quidquid mali gravem ingerit ideam.

Quæres 4to: Quomodo dubia, quæ proximum concernunt, interpretanda sunt?

Resp:

Resp: 1mo: Quoties agitur de præcavendo nostri, aliorumve damno, licitum est dubia proximum concernentia in pejorem partem interpretari, non quidem judicando positive, aut malum de proximo suspicando, ſed exterius ita se gerendo, quasi is, cum quo agimus, reipsa talis eſset, qualem eum nobis subortum dubium exhibet, tametsi talis minime eſse credatur. Quia sic agendo proximo nullam inferimus injuriam, cum de eo nihil mali, neque positive judicemus, neque suspicemur, & nobis atque nostris optime consulimus, invigilando ne aliquod detrimentum, damnumque obveniat. Et vero sic nos decet omnem erga proximum implere justitiam, ut non deficiamus à charitate, & in cura quam nobis nostrisque debemus, ab his autem deficeret, qui ignotæ, aut dubiæ fidei viro se, ſua, ſuosque sine prævio examine, & seria indagatione committeret, unde illud tritum: diffidentia Mater est securitatis. Hinc cum videt conjugatus, juvenem cum uxore, vel filia ſua sermones miscere, haud quidem judicabit illius mores eſse corruptos, poterit tamen interrumpere, & impedire colloquium. Patres quoque qui in filiis, Domini, qui in servis, Superiores, qui in sibi ſubjectis dubia nequitiæ signa detegunt, etsi intus nihil mali debent ſuspicari, cum illis tamen ex quadam mali ſuppositione agere poſsunt, & debent, non quidem puniendo, ſed monendo, verisimilitudinem mali objiciendo, quædam etiam interdicendo.

2do: Ubi non agitur de præcavendo nostri, eorumve, qui ad nos pertinent, damno, dubia de proximis in meliorem partem ſunt interpretanda. Et id evincit ista Christi regula: *Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quilibet autem rationabiliter vult, ut actiones ſuæ quæ non apparent malæ, bene accipiantur, & nemo est, qui pro malo haberi velit propter actionem quæ tam in bonam, quam in malam partem verti potest. Quemadmodum ergo ipsi volumus ut actiones nostræ dubiæ non in pejorem, sed in meliorem partem ab alijs accipiantur, ita pariter & nos dubias aliorum actiones non in deteriorem ſed in meliorem, partem interpretari tenemur, & ita fieri Christus nobis præcepit dicens: *Nolite judicare, ut non judicemini:* in quæ verba hæc scribit Augustinus libro 2. de Serm: Domini in monte Cap: 18. *Nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Verum non semper neceſse est, ut dubia de proximo suborta

posi-

positive in meliorem partem interpretemur, positive illum judicando eſse bonum, & probum, ſed ſufficit illa in meliorem partem interpretari negative, de proximo neque male judicando aut ſuspicando, quia in casu rationabilis dubii, nulla adest ſufficiens ratio, ut proximum positive judicemus bonum, aut malum eſse, ergo tunc negative se habere oportet, neque bonum, neque malum illum reputando. Certe non semper tenemur positive eum judicare eſse probum, qui nulla probitatis dedit indicia, ergo magis non tenemur illum positive reputare bonum, qui jam dubia mali dederat signa, quare tali occurrente dubio, non est cur caput nobis frangamus, ut prorumpamus in formalem actum judicii, quo absolute judicemus talem hominem eſse bonum, ſed ſufficit ut non reputemus illum eſse malum. Attamen in civilis vitæ usu, ubi non exigitur cautela ad evitandum damnum, tum interno animi affectu, tum externo agendi modo, ita proximum oportet tractare, ac si revera eſset probus, & pro tali à nobis positive reputaretur, præstando ipsi consveta honoris, & urbanitatis officia, perinde, ac si nullum eſset de illius probitate dubium. Namque illis proximum privare propter dubiam, ac prorsus incertam rationem, iniquum, ac injuriosum eſset.

ARTICULUS 4tus

De judiciali proximi diffamatione.

Quæres 1mo: Quot modis in judicio proximus diffamari potest?

Resp: Tribus præcipue modis in judicio proximus diffamari solet, accusatione videlicet, denuntiatione, atque testificatione, ac tandem & seipsum infammat qui crimen ſuum in judicio confitetur.

Differunt autem inter se accusatio, denuntiatio, & testificatio. Est enim *Accusatio* patrati ab alio criminis apud Judicem delatio, ad publicam pænam ab accusato luendam. *Denuntiatio* est delatio criminis ab alio patrati, præcipue ad emendationem nocentis facta, unde fit non Judici ad puniendum, ſed Superiori tamquam Patri ad emendandum, dicitur proinde Evangelica, quia à Christo in Evangelio præscripta est. Math. Cap: 18. *Si peccave-*

caverit in te frater tuus, vade & corripe eum, quodsi non audierit, dic Ecclesiæ. Testificatio seu testimonium est aſsertio, qua quis testatur se rem talem vidiſse, vel audiſse.

Quæres 2do: Quinam accusare, sive denuntiare obligantur?

Resp: Accusare, sive denuntiare tenentur, qui ad hoc publica authoritate deputati ſunt, quales ſunt Instigatores, Fiscales, Custodes, qui proinde ex officio tenentur deferre criminosos, ac propterea ad damna ex omissione delationis provenientia, resarcienda obligantur. Alii vero privati accusare, seu denuntiare tenentur, quando crimen est noxium Communitati exg. falsæ monetæ fabricatio, publicum latrocinium. Nam quilibet tenetur etiam cum proprio incommodo, malum communitatis, quantum fieri potest, avertere. Præterea cum id neceſsarium est, ad avertendum grave damnum innocentis, nam charitas urget ad impediendum grave malum innocentis, dum sine gravi nostro incommodo id efficere poſsumus, licetsi inde immineat malum nocenti & reo, quia innocens præferri debet ei, qui voluntarie nocens & reus est. Unde etiam Eccles. Cap: 4. dicitur: *Libera eum, qui injuriam patitur, de manu superbi.* Nec tunc, quando crimen continuandum ulterius putatur, vel adhuc in futurum imminet, præmitti debet secreta monitio, nisi certo constet per eam malum impeditum iri. Nam in re tanti momenti eligi debet id, quod tutius est bono communitatis, vel bono innocentis, facile enim poſset talis reus privatim monitus pænitentiam simulare, & occulte exequi quod statuerat. Quodsi crimine perpetrato jam ultra non immineat damnum & spes certa affulgeat, ut privatis monitionibus reus emendandus sit, atque ad debitam satisfactionem inducendus, non licet eum accusare vel denuntiare non præmiſsa secreta monitione, quia tunc sine justa causa infamaretur proximus. Idem dicendum quando agitur de injuriis personalibus, aut de iis, quæ non admodum interest Reipublice judicialiter punire, & secretæ etiam monitionis via utilis fore merito præsumitur, aut tandem denuntiatio plus parere potest scandali, quam pæna infligenda allatura sit boni. In his enim & aliis similibus circumstantiis monitio secreta accusationi, sive denuntiationi præmittenda est. Qui tamen crimen probare nequeunt. non tenentur acausare, quia ut inquit: S Thomas quæst. 18. art: 1. *ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere.* Sed tunc debet eos admone-

monere, qui malum impendens avertere poſsunt, & si hæc monitio ſufficiat ad impediendum malum, non licet eum nominare, quia neminem licet sine necesſitate infammare.

Quæres 3tio: An, & quando quis tenetur testificari?

Resp: 1mo: Testimonium ferre tenemur *1mo*: cum id necesſarium est ad avertendum grave malum impendens publicum vel privatum innocenti imminens, quamvis id à nobis non requiratur. Quia tunc charitas urget ad liberandum proximum ab imminenti injusto damno, atque ad illud ab eo amovendum. Unde Psal: 81. dicitur *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Bonum etiam commune exigit, ut impendens malum publicum avertamus. In his ergo circumstantiis, quoniam malefactorem bono communi sive privato noxium denuntiare obligamur, contra ipsum etiam testificari tenemur. Quare fieri potest, ut quis testimonium ferre teneatur etiam non vocatus, neque citatus, quia fieri potest, ut nisi quis se sponte in testem offerat, periclitetur bonum commune, vel grave malum innocenti immineat, cum ergo quisque & bono communi ſuccurrere, & malum proximi avertere teneatur, tunc etiam sponte se in testem offerre tenebitur.

2do: Testis legitime citatus, & interrogatus, testimonium ferre tenetur. Quia legitimæ authoritati, justa præcipienti, atque exigenti, parendum est. Bonum etiam commune exigit, ut testis vocatus, & legitime interrogatus, testimonium ferat, alioquin enim & crimina sæpius manerent impunita, & illata innocentibus damna non resarcirentur. Porro testis legitime censetur eſse citatus, sive interrogatus, quando secundum juris formam, & ipsius præscriptum citatur, aut interrogatur, & tunc testimonium ferre obligatur. Unde inquit S. Thomas Doctor quæst: 70. art: 3. *testificari est de necesſitate salutis, supposita idoneitate testis, & ordine Juris.* Si vero non secundum juris formam quispiam in testem citetur, vel non secundum ipsius præscriptum interrogetur, non censetur legitime eſse vocatus, aut interrogatus, & tunc ad ferendum testimonium non obligatur, nisi in iis casibus, in quibus etiam non vocatus, neque citatus, testimonium ferre stringitur.

3tio: Qui ergo ad testificandum juridice citatus, non comparet, vel si comparet, dolose efficit ne interrogetur, peccat, & tenetur ad resarciendum damnum, quodcunque ex ipsius silentio obvenerit. Idem dicendum est de eo,

eo, qui fugit, vel abscondit se ne citetur. Quia testis legitime citatus, quasi ex officio, ac proinde ex justitia tenetur ad revelandam veritatem quare, si tacet, dolose nocet parti, quæ legum adminiculo auxilium ejus implorat. Pariter & ille qui fugit, aut se abscondit ne citetur, per fraudem & dolum efficit, ne proximus ejus secundum leges juvetur ipsius testimonio. Qui tamen bona fide, è loco, ubi ferendum esset testimonium, alio proficisceretur, ad sua perficienda negotia, nihil de ferendo testimonio cogitans, neque ad illud legitime vocatus, ad nihil tenetur. Sed & ille à restituendo liber est, qui se ultro ad testificandum non offert, quia etsi sæpissime quis ad id ex charitate teneatur, non tamen tenetur ex justitia, unde etsi peccet, ad restituendum non tenetur.

Quæres 4to: Qui à ferendo testimonio eximuntur?

Resp: Testis etiam citatus & interrogatus non tenetur testimonium ferre. *1mo:* Si notitiam rei accepit sub secreto, causa petendi consilii, vel auxilii sibi commissi, quales sunt Advocatus, Medicus, Chirurgus, Obstetrix, aut si factum cognovit litteras alterius aperiendo, taliter siquidem etiam acquisita scientia secreti obligationi subjecta esse censetur. Namque naturalis est obligatio servandi commissum sibi secretum, maxime petendi consilii, auxilii causa, alioqui à petendo consilio omnes averterentur, unde multorum desperatio, & innumera mala sequi possent. Nisi tamen testimonium necessarium foret ad avertendum imminens grave communitatis malum, vel privato innocenti impendens damnum, quia tunc secretum aperire necesse est, cum jam non obliget, utpote de re illicita, cujus vinculum esse nequit. *2do:* Si testimonium exigatur adversus illos, contra quos ferre testimonium non tenetur exg. contra Patrem, Matrem, Uxorem, filios, fratres, Sorores, contra tales siquidem à ferendo testimonio leges eximunt illos, qui alioqui testificare possent, quia bonum commuitatis exigit, ut conservetur pax, & vitentur odia, ac dissensiones in familiis, tale quoque testimonium deponi non posset sine gravi testificantis damno. *3tio:* Quando ex depositione testimonii, sive ipsi testificanti, sive ei conjunctis imminet grave damnum, nisi bonum publicum illud exigat, aut nisi alterius privatum etiam damnum impediendum sit, quod longe prævalet testificantis damno, ita ut secundum leges prudentiæ, & christianæ charitatis, teneatur illud in gratiam proximi subire. In his tamen semper excipiuntur

crimina, quæ communitati grave afferrent damnum, nisi revelentur.

Quæres 5to: Quinam falsi testimonii rei sunt?

Resp: Falsi testimonii reî ſunt non solum illi, quî falsum pro vero allegant, ſed & ii, qui incertum, ac dubium pro certo affirmant, isti siquidem mendaciter testantur, aliter namque rem aſserunt, ac in se est, & ab eis mente concipitur, falsum itaque proferunt testimonium contra proximum suum. Et hoc est gravifsimum crimen octavo Decalogi præcepto graviter prohibitum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Unde Prover. Cap: 21. dicitur: *Testis mendax peribit.* Atque istiusmodi falsi testes ad compensationem omnium damnorum, quæ ex illorum iniqua testificatione provenire poterant, strictifsime obligantur, quia illorum vera ſunt causa. Tenentur præterea falsum testimonium quod deposuerunt, revocare, illudque retractare, & qui alium induxit ad falsum ferendùm testimonium, debet eum præmonere, ut illud revocet, quod si id facere noluerit, ipse hoc facere, & veritatem totam aperire obligatur, alioqui omnia damna quæ ex dilatione istiusmodi retractionis deinceps proximo obvenient, ipsi imputabuntur, & ad refusionem illorum tenebitur. Falsum testimonium retractandum est, etiam cum pari damno, ac est illud, quod patitur ille contra quem false quis testificatus est, imo etiam cum periculo propriæ vitæ, si accusatus de ea periclitetur, quia in pari periculo melior semper est conditio innocentis. Verum & ille qui bona fide & ex errore, quamvis inculpabili, falsum testificatus est, cognito errore, testimonium retractare omnino tenetur. Quia quilibet satagere debet, ne ex actione ſua alteri damnum contingat, & falsum testimonium cognito errore retractare, est in eo voluntarie perseverare, ac proinde est scienter se constituere alieni damni autorem, quod iniquum est. Sed præterea, postquam errorem suum compererit, tenetur eum admonere qui ex ipsius errore lucrum reportaverat, ut restituat rem inique partam.

Quæres 6to: Utrum liceat quempiam inducere ad testificandum id, quod reipsa verum est, ſed ab eo nescitur?

Resp: Id non licere. Nemo enim ab alio id petere potest, quod is sine gravi peccato præstare nequit. Porro non potest quispiam aſserere ut verum id, cujus veritas ipsi comperta non est, id enim reipsa mendacium efset, ad illud ergo alium inducere nefas est. Pariter non licet alium

alium inducere ad aſserendum id eſse verum, quod etsi in se falsum sit, illud tamen ex errore verum eſse credit, quia id est inducere alium ad testificandum falsum, quod in se malum est, & quamvis ille, qui sic falsum ex errore testificatur, ratione ſuæ erroneæ conscientiæ non peccet, tamen is, qui eum ad perpetrandum mendacium pertrahit, reipsa peccat.

Quæres 7mo: Quid sentiendum est de iis, qui falsa conficiunt instrumenta?

Resp: Qui falsa conficiunt instrumenta, aut vera adulterant documenta, & graviter peccant, & ad restituendum obligantur, si per ea judicium verum pervertant, & alienum rapiant. Et quamvis ista fiant absque injuria tertii, aut etiam ad propulsandam manifestam injuriam, attamen grave inducunt peccatum, quia hæc faciens fidem publicam decipit, & in re gravi mentitur. Unde Scripturas publicas adulterare, amiſsis, ac deperditis veris instrumentis, alia similia ſupponere, & obtrudere, nunquam licet, etiamsi propterea quis causa gravis momenti cadat, quia mentiri sive verbo, sive facto, nunquam licitum est, & fraus, atque dolus nulli unquam patrocinari debent.

Quæres 8vo: Accusatus, sive reus, utrum semper teneatur Judici interroganti respondere, & verum confiteri?

Resp: Accusatus, sive reus à legitimo Judice, & juxta formam juris interrogatus respondere, & verum confiteri tenetur, etiamsi morte plectendus sit. Quia legitimæ potestati, quæ ſua non abutitur authoritate, omnino parendum est, maxime cum id bonum commune neceſsario expostulat. Cum vero legitimus Judex secundum juris formam reum, ſontemque interrogat, vult, & præcipit ut ei respondeat, & verum fateatur. Ergo ad id in conscientia ſub gravi culpa obligatur. Pervertere siquidem ordinem judicii, gravis est materia, societati humanæ summe noxium. Jam vero si liceret accusato, atque reo Judicis interrogata mendaciis, fraudibus, eludere, veritatem reticere, judiciorum ordo perverteretur, cum maximo communitatis detrimento, crimina manerent impunita. Igitur reus legitime à Judice interrogatus, ſub gravi peccato tenetur respondere, & crimen fateri etiamsi morte plectendus sit, quia alioqui in graviſsima materia, justum & grave transgrederetur præceptum. Unde reus legitime & juxta juris normam interrogatus, sacramentaliter à Confeſsario absolvi nequit, nisi serio proponat veritatem

tem confiteri, quia alias veritatem negando, aut reticendo, est & efse pergit in statu peccati mortalis. Verum antequam Confefsarius præcipiat reo, ut crimen suum, de quo à Judice interrogatur, fateatur, diligenter scrutari debet an omnia secundum juris formam procedant, ne forte vel res imponat obligationem confitendi criminis, cum eo non stringitur, vel eum ab illa absolvat cum ipsa tenetur.

Quod si vero reus, accusatusquè, contra juris ordinem interrogatur, etiam à legitimo judice, respondere non tenetur, neque fuum crimen fateri cogitur. Quia Judex nihil potest nisi secundum juris ordinem. Ergo cum juris ordinem non servat, non magis reus ei obsequi tenetur, quam cuivis alio privato. Potest itaquè tunc interrogata judicis eludere, sed absquè mendacio & fallaciis.

Quæres ѳno: Utrum reus, criminis sui complices patefacere teneatur?

Resp: Reus si à Judice iuxtà juris ordinem interrogetur de criminis sociis, illos manifestare tenetur, quia tunc Judici legitime quærenti obtemperandum est. Sed præterea reus criminis sui complices manifestare tenetur, quando crimen ipsius vel tale est, ut sine sociis perpetrari nequeat, & bonum commune exigit ut detegantur, atquè puniantur, vel tale quod in communem vergit perniciem, veluti falsatio monetæ, publicum latrocinium, & similia. Charitas quoque aliquando exigit ut socii criminis detegantur, cum scilicet avertendum est malum non solum bono communi, sed etiam privato contrarium, & innocenti imminens. Quare etiam in privatis criminibus complices detegere necefse est, dum de illis à reo inquiritur, & civili societati interest, ut detegantur & coerceantur.

Quæres ϰômô: An reus fugere pofsit?

Resp: Reo etiam juste condemnato, fugere licet ad vitandam mortem aut membri alicuius mutilationem, quia summa à natura nobis indita est inclinatio ad sui conservationem. Et licetsi custos carceris grave al quod damnum pati debet, adhuc licet fuga mortem declinare, quia amor vitæ tunc prævalet. Quod si ex fuga rei, longe majus custodi carceris immineret malum, quam quod reus vitare intendit, tunc reo non liceret fugere. Non licet tamen juste ad mortem damnato, scalam, funes, aliaquê instrumenta ad fugiendum subministrare, aut consilium, auxilium ad fugam capefsendam præbere, quia jure, quo gaudet

gaudet reus ad mortem damnatus vitam suam conservandi, cæteri jure eo non gaudent. Licetsi ergo reus ad vitandam mortem, & conservandam vitam suam posſit ipse fugere, non tamen licet cæteris ipsi ad fugam capeſsendam consilium, auxilium præbere, viam ostendere, instrumenta ad perfringendum carcerem subministrare. Quare etiam qui in his deprehenduntur, graviter puniuntur, quod nemo injustum eſse dixerit. Reus autem juste damnatus ad carcerem, non valde molestum, aut ad exilium, sive etiam minores quasdam pænas, latæ sententiæ parere tenetur. Quodsi carcer eſse deberet perpetuus, & nimis asper, fugere licitum eſset.

CAPUT SEXTUM

De nono, & decimo Decalogi præcepto.

Quæres 1mo: Quod est nonum, & decimum Decalogi præceptum?

Resp: Nonum Decalogi præceptum his conceptum est verbis: *Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum.* Decimum vero sic se habet. *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam.* Etsi vero anterius Deus iam prohibuerat adulterium, & furtum, non tamen ſuperflua reputari debent hæc duo postrema præcepta, quibus & prava etiam coercentnr desideria.

Quæres 2do. Quæ prohibentur nono Decalogi præcepto?

Resp: Nono Decalogi præcepto duo prohibentur. 1mo: Ne turpibus concupiscentiæ motibus aſsentiamur, ac proinde interdicitur quodvis desiderium, atquè complacentia rei malæ. 2do: Ne quis alterius appetat Uxorem etiam licite habendam. Unde contra nonum præceptum graviter peccat. 1mo: qui turpibus concupiscentiæ motibus, ac desideriis voluntarie consentit. Quare præcipit Apostolus Petrus Epist: 1. Cap: 2. ut abstineamus *à carnalibus desideriis quæ militant adversus animam* & Paulus ad Rom: Cap: 6. idem vetat dicens: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscen-*

scentiis eius. Atque istiusmodi carnis desideria, peccata sunt, etiamsi desit omne propositum, conatus, aut quævis voluntas illa perficiendi. Imo sola voluntaria, ac deliberata in re quacunque mala complacentia peccatum est. Unde Oseæ Cap: 9. dicitur. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Quare etiam graviter peccat, qui cum plena advertentia immoratur cogitationibus malis, maxime de voluptatibus carnis cum oblectatione aliqua, illam non reprimendo, nequè istiusmodi cogitationes à se amovendo, tales siquidem *perversæ cogitationes separant à Deo* quemadmodum dicitur Sap: *Cap: 1.*

2do: Peccat graviter qui alienam uxorem voluntarie concupiscit ad eam polluendam. Hoc enim directe & expreſse prohibitum est nono Dei præcepto. *Non concupisces uxorem proximi tui*, Unde Christus Math: Cap: 5. sic inquit. *Audistis quia dictum est antiquis. Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mechatus est eam in corde suo.*

3tio: Tandem peccat gravìter, qui alienam Uxorem legitimo etiam interveniente matrimonio fruendam exoptat. Et id siquidem etiam nono Dei præcepto prohibitum est. *Non concupisces Uxorem proximi tui*, quodsi vero Judæis vetitum fuerat ne alienas concupiscerent Uxores, quas interveniente divortio facilius ducere poterant, nunc gravius id est interdictum, & gravius erit peccatum cum in lege nova mulierem, etiamsi à viro repudiata sit, alteri in matrimonium ducere non liceat. Pariter & ille graviter peccat, qui mulierem alteri desponsatam in uxorem expetit, quia contra Dei præceptum rem iam alteri debitam, & obligatam concupiscit.

Quæres 3tio: Decimo præcepto Decalogi quæ prohibita sunt?

Resp: Decimo præcepto Decalogi prohibita sunt *1mo:* ne alienum appetamus bonum, ut injuste poſsidendum. *2do:* ne illud appetamus quamvis juste, sed cum damno & incommodo proximi poſsidendum. Unde toties in Sacris Scripturis reprobata est alieni boni cupiditas S. Apostolus Petrus Epist: 1. cap: 4. sic inquit. *Nemo vestrum patiatur ut fur, aut alienorum appetitor*, & Paulus 1. Theſs: Cap: 4. ait. *Nullius aliquid desideretis.* Hinc contra hoc præceptum delinquunt *1mo:* qui sic interius dispositi sunt, ut in venditationibus, emptionibus, permutatio-

tionibus, proximi ætate, simplicitate ad aliena corradenda abuti velint. 2do: Qui debita sua vel ita ad rigorem exigunt, vel exigere deferunt, donec eo creverint, ut iam solvi nequeant, nisi vendita substantia, domo exg: villa, cui inhiabat creditor avarus. 3tio: qui ludis etiam licitis immoderate abutuntur lucri gratia, ut aliorum marsupia evacuent. 4to: qui servos, ancillas, aliosquê, qui vel mercede conducti, vel amore, observantiaquê impulsi, aliis operam præstant, spe, pollicitationibus corrumpunt, ut illos deserant, quibus se addixerunt. 5to: maxime autem contra hoc Divinum præceptum peccant, qui alienæ substantiæ, fortunæquè inhiantes illius posseſsores variis affligunt molestiis, diversas etiam iniquas juris prætensiones excogitant, multiplici modo illas divexant, ut tandem eos ad venditionem adigant. Hi certe cum iniqua alieni boni cupiditate rapiantur, gravisſime peccant.

Non tamen peccant, qui aliena bona, cum ipsis necesſaria sint, appetunt, sed & justo emptionis exg. aut donationis titulo posſidenda, & posſidenda sine damno ac incommodo proximi, ac proinde sine ipsius detrimento, atquè gravamine obtinenda exoptant, tunc siquidem neque justitia, nequè charitas proximo debita læditur.

TRA-

TRACTATUS
DE
PRÆCEPTIS ECCLESIÆ

Quæres: Quot sunt Ecclesiæ præcepta?

Resp: Quinque sunt Ecclesiæ præcepta. *1mum*: Dies festas ab Ecclesia constitutas observare. *2dum:* Diebus Dominicis, & Festivis Missæ Sacrificio devote interesse. *3tium*: Jejunia, & abstinentiæ dies ab Ecclesia ordinatos custodire. *4tum:* Semel in anno circa Festum Paschæ proprio parocho peccata sua confiteri, & ab eo sacra Communione refici. *5tum*: Decimas, ubi sunt constitutæ, fideliter persolvere.

CAPUT PRIMUM

De primo & secundo Ecclesiæ præcepto.

ARTICULUS 1mus.

De Festorum dierum observatione.

Quæres 1mo: Utrum præter diem Dominicam, alios dies festos potuerit Ecclesia instituere?

Resp: Sine ullo dubio id Ecclesia facere potuit, & reipsa fecit multos dies festos instituendo. Et vero non minor est Ecclesiæ Christi potestas, quam olim fuerit potestas Sinagogæ Judæorum. Hæc autem præter festa ab ipso Deo per Moysem constituta, alios dies festos instituit, quod manifeste patet, ex Judith Cap: 16. Esthèr: Cap: 9. 1. Machab: Cap: 4. Potest ergo Ecclesia Christi, præter diem Dominicum à Deo insinuatum, & in diem Sabbathi commutatum, alias dies festas præcipere, & instituere. Quare à primis Religionis Christianæ initiis, non solum Ecclesia data sibi à Christo potestate, diem Sabbathi, in diem Dominicam commutavit, sed & alia be-

ne multa festa Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecosten, tum etiam festa in honorem B. V. Mariæ, SS. Apostolorum, ac Martyrum instituit, quia ipsius iussu fideles universi semper celebrabant, & observabant.

Quæres 2do: Utrum festa ab Ecclesia instituta pari religione, ac dies Dominica observanda sunt?

Resp: Festa ab Ecclesia instituta pari Religione ac dies Dominici sunt observanda, quia Ecclesiœ omnimoda debetur obedientia, ac subiectio, cum igitur Ecclesia præcipiat eodem modo observare dies festos à se constitutos, ac necesse est observare dies Dominicas, pari ergo religione tum dies Dominici, tum festa ab Ecclesia constituta observanda sunt. Unde quæcunque diebus Dominicis prohibita, aut imperata sunt, hæc etiam ceteris diebus festivis prohibita, & imperata esse censentur.

Quæres 3tio: Quis sit festorum numerus?

Resp: Olim Festorum maior erat numerus, sed per Breve Pii VI. Papæ magna ex parte imminutus est, modo ergo sequentia nonnisi observantur festa, videlicet: Circumcisionis, Epiphaniæ, & Ascensionis Domini, Paschæ & Pentecosten, SSmi Corporis Xti ac tandem Nativitatis Domini, quinque festa B. V. Mariæ. Purificationis, Anuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, atque Conceptionis, festa OO. Sanctorum, Apostolorum Petri & Pauli, atque S. Stephani Protomartyris. His additur festum S. Patroni principalis, & alicubi S. Casimirus 4. Martii alibi S. Stanislaus Episcopus & Martyr 8. Maii colitur, & in Curonia S. Joseph Sponsus B. V. Mariæ 19. Martii.

Quæres 4to: Quæ diebus festivis facienda, & quæ vitanda sunt?

Resp: Diebus festivis, quemadmodum, & Dominicis, non solum Missæ Sacrificium devote, & integre audiendum est, sed etiam aliis Divinis officiis, quæ in Ecclesia peraguntur adesse oportet, & Sacramenta suscipienda sunt, præterea vacandum est piis orationibus, ac bonis operibus, virtutumque exercitiis incumbendum, totus siquidem dies festus & cultui, ac servitio Divino consecrari debet, & saluti animæ impendi. Quare pessime festa transigunt, qui brevi contenti Missa, reliquum festi tempus in otio, vanis occupationibus aut etiam illicitis lusibus, potationibus, comessationibusque consumunt. Vitanda ergo sunt diebus festivis non solum opera servilia, ac laboriosa sed & illa omnia, quæ à cultu & Divino servitio avocant, qualia sunt venatio, piscatio, maxime vero Chartarum

lusus,

lusus, Choreæ, atquè saltationes. Sed præterea diebus festivis, præcipue cavenda sunt opera Diaboli, quodlibet studiose fugiendo peccatum, his enim vel maxime dies festi profanantur, & temporum corruptela, atquè hominum pravitate factum est, ut ex festis diebus, in quibus Christiani crebrius, & liberius peccant, plus Diabolus emolumenti capiat, quam Deus gloriæ percipiat.

Quæres 5to: Quis sit potior, & utilior modus festa colendi?

Resp: Optimus colendi festa modus est, si Mysteria quæ iis diebus festive celebrantur, & pia meditatione recolantur, & fervidis orationibus, atquè Christianarum virtutum exercitiis honorentur. Festa siquidem, quibus Mysteria religionis nostræ recoluntur & honorantur, non alio fine instituta fuerunt ab Ecclesia, nisi ut & jugis eorum memoria conservaretur apud Fideles, & religiose pro eorum dignitate colantur. Festa vero in honorem B V. Mariæ, & aliorum Sanctorum tunc religiose, & fructuose celebrantur, dum eorum merita ita recolimus, ut ad illorum sequenda vestigia incitemur, nequè imitari pigeat, quod celebrare delectat. Sed & Sanctorum in eorum solemnitatibus, ardenti devotione exposcenda sunt suffragia, atque humiliter exorandi, ut pro nobis intercedant in Cælis, cum illorum memoriam agimus in terris.

ARTICULUS 2dus

De Sacrificii Missæ devota auditione.

Quæres 1mo: Utrum fideles ad Sacrificii Missæ auditionem diebus Dominicis, festisquè stricte teneantur?

Resp: Diebus Dominicis ac festis, omnes fideles usum rationis adepti, ad Sacrificii Missæ auditionem stricte obligantur, quia id mandat Ecclesia. Unde ubique inter præcipua Ecclesiæ præcepta hoc annumeratur, & innumera fere Concilia hanc omnibus fidelibus obligationem imposuerunt, ut diebus Dominicis festisque Missæ Sacrificio devote intersint, illudquè integre audiant. Certe diebus Dominicis festisquè ex mente sensuque Ecclesiæ Divinis laudibus, Divinoque cultui vacandum est. Porro Missæ sacrificium maximam cultus Divini partem continet. Ergo ut rite festa, diesquè Dominici observentur, quilibet fidelis rationis usum adeptus Missæ Sacrifi-

tio intereſse debet. Quare qui vel semel sine gravi, & justa causa, Miſsæ Sacrificium die festo aut Dominica audire neglexerit, mortaliter peccat, quia in re gravi præceptum Ecclesiæ transgreditur.

Quæres 2do: Quæ Miſsa audienda est diebus festivis, & Dominicis?

Resp: Ex mente & sensu Ecclesiæ diebus festivis & Dominicis, maxime Miſsa parochialis audienda est, quia illa pro populo offertur, ergo convenientiſsimum est, ut ei populus aſsistat, & per manus Sacerdotis hoc Divinum Sacrificium pro se Deo offerat. Certe aliquam ineſse Fidelibus obligationem, ut Parochialem suam frequentent Ecclesiam, atquè in ea diebus Dominicis festisque Divinis intersint officiis, nemo dubitare potest, namquè Concilium Trident: Seſs: 22. id expreſse insinuat, & inculcat his verbis Episcopos alloquens. *Moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedant.* & Seſs: 24. Cap: 4. sic inquit. *Moneat Episcopus populum diligènter, teneri unumquemque parochiæ suæ intereſse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Unde Alexander VII. sequentem damnavit propositionem. *Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ intereſse tenetur, nec ad annuam Confeſsionem, nec ad Miſsas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei.* Igitur ex mente & sensu Ecclesiæ, fideles diebus Dominicis, festisque, maxime Miſsæ Parochiali intereſse debent. Verum tamen satisfaciunt fideles præcepto Ecclesiæ de audienda Miſsa, dum illam diebus Dominicis, festisquè in Ecclesiis Regularium audiunt, ut patet ex bene multis Romanorum Pontificum Constitutionibus, maxime Leonis X. Pauli III. & Clementis VIII. Quare fideles non sunt stringendi, ut omnino diebus Dominicis, festisquè Miſsam audiant in Ecclesia Parochiali.

Quæres 3tio: Utrum fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ de audienda diebus Dominicis ac festivis Miſsa, illam audiendo in Oratoriis & Capellis?

Resp: Oratoria alia ſunt publica, alia privata. Oratoria publica illa ſunt, quæ authoritate Episcopi ſunt erecta, ad Dei cultum perpetuo destinata, & quæ habent portam, atquè aditum è publicaria, sive è loco omnibus patente, atque ab hominum domibus, sive habitationibus separata, sive disjuncta ſunt. Nihil autem obest publicitatì Oratorii, quamvis habeat aditum ex atrio Palatii vel Prædii, aut per hortum sive ædes habitantium, dummodo ab

illis

illis separatum sit, & authoritate Episcopi ad cultum divinum perpetuo destinatum. Oratoria privata ſunt illa, quæ intra domesticos parietes, ædesque Nobilium pro celebrandis Miſsis ex Indulto Romani Pontificis, vel Episcopi ſub certis clausulis, eriguntur, ac proinde neque ad illa publicus patet aditus, neque perpetuo ad cultum Divinum deputantur. Igitur qui diebus Dominicis festisque Miſsas audiunt in Oratoriis Capellisque publicis, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ. Pariter qui Miſsas audiunt in Oratoriis, & Capellis Episcoporum, quæ in Domibus eorum habitationis erecta ſunt, ac demum qui diebus Dominicis ac festis Miſsas audiunt, in Oratoriis, ac Capellis Regularium, quæ in eorum Monasteriis constituta ſunt, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ de audienda Miſsa. Sed qui diebus Dominicis, festisque Miſsas audiunt in Oratoriis privatis Laicorum, non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, nisi illi, in quorum gratiam Indultum conceſsum est. Quare illud attente legendum est, & insertæ clausulæ considerandæ.

Quæres 4to: Qui ergo vi Indulti in Oratoriis privatis poſsunt Miſsam audire, & præcepto Ecclesiæ satisfacere?

Resp: Sequentes, *1mo:* ii, quibus Indultum conceditur, & ad quos dirigitur, qui proinde propriis nominibus recensentur. His principaliter Indultum conceſsum eſse intelligitur. Hi ergo imprimis in Oratoriis privatis, quæ pro ipsis conceſsa ſunt, Miſsam diebus festis, & Dominicis audire, & præcepto Ecclesiæ satisfacere poſsunt, atque nonnisi in eorum præsentia Miſsa in prædictis Oratoriis celebrari potest, ac propterea in absentia eorum, quibus Indultum conceſsum est, etiamsi aliqui ex familia illorum præsentes sint Miſsa celebrari nequit & id manifestum est ex Constitutione Benedicti XIV. quæ incipit. *Cum duo*: Quodsi vel unus eorum adsit, quibus Indultum pro Oratorio conceſsum est, Miſsa celebrari potest, si vero nullus ipsorum præsens fuerit, Miſsa celebrari nequit, quia Indultum istiusmodi non est locale, sed personale.

2do: præsentibus illis pro quibus Indultum concessum est, in Oratoriis privatis Miſsam audire, & præcepto Ecclesiæ satisfacere poſsunt illi, qui ſunt de Familia ipsorum, dummodo simul habitent cum iis, quibus conceſsum est Indultum, nec non Hospitio apud ipsos commorantes, sic enim communiter in Indulto exprimi solet: *In tua, & Familiæ tuæ, nec non Hospitum tuorum præsentia*

sentia. Porro per familiam intelliguntur Pater, Mater, filii, filiæque, ac Nepotes, omnes denique cognati, & affines illius, cui concefsum est Indultum. Nomine vero Hospitum illi veniunt, qui domi, ubi existit Oratorium, commorantur tamquam extranei, ab eo, cui competit Indultum, commorandi causa ad tempus recepti, atque ex hac temporanea commoratione sunt ibi commensales. Famuli autem, ac famulæ, qui Servitiis Domini, & custodiæ domus non funt necefsarii, ab obligatione audiendæ in Ecclesia Missæ, non eximuntur, unde tales, in privato Domini sui Oratorio Mifsam audientes non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, exprefse namque in istiusmodi Indultis hæc apponitur clausula: *Volumus autem quod familiares servitiis tuis tempore dictæ Mifsæ actu non necefsarii, ab obligatione audiendi Mifsam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.* Quare ii folum Famuli, famulæque Mifsam diebus Dominicis, ac Festis in privato Oratorio audire, & præcepto Ecclesiæ satisfacere pofsunt, qui servitiis Domini, cui concefsum est Indultum, Domusque custodiæ necefsarii funt. Necefsitas autem servitii, non debet efse physica, & tempus tantummodo Mifsæ respiciens, namque, qui Indultum habet, Mifsam audiendo nullo indiget servitio, fed moralis, totum tempus antemeridianum complectens, considerando ipsam quoque decentiam status illorum, quibus Indultum concefsum est, ne soli, sine comitatu & famulatu remaneant, ipsaque Domus à domesticis sine debita custodia relinquatur.

Porro dum conceditur Indultum pro Oratorio privato, ut in illo Mifsa celebrari pofsit, semper excipiuntur festa sollemniora, quæ etiam in Indulto exprimuntur, qualia funt festa Nativitatis D. N. J. Christi, Epiphaniæ, Pachatis, Pentecostes. Annunciationis, & Afsumptionis B. V. Mariæ atque festum SS. Petri & Pauli Apostolorum. His itaquæ sollemnitatibus excipi solitis, Mifsas in Oratoriis privatis celebrare non licet, & qui eas celebrare præsumpserit, non solum ipse celebrans peccat, fed & audientes præcepto Ecclesiæ non satisfaciunt.

Quæres 5to: Qualiter audienda est Mifsa, ut præcepto Ecclesiæ satisfiat?

Resp: Ut præcepto Ecclesiæ satisfiat, Mifsa audienda est integre, & devote, ad hoc autem necefsaria est præsentia Physica, & moralis. Et quidam *1mo:* necefsaria est præsentia Physica & moralis, scilicet ut Mifsæ Sacrificio simus præsentes corpore & Spiritu, quia nimirum

Mifsam

Missam humano, ac religioso modo audire tenemur, quod fieri nequit nisi & corpore & spiritu eidem præsentes simus, animo scilicet pie ad res Divinas, & ad ea quæ in Missa geruntur attento. Quare Missam non audiunt, qui per tempus Missæ dormiunt, litteras legunt, confabulantur, peccata sua confitentur, aut quidpiam faciunt, in quod totam suam attentionem defigunt, quia ii omnes materialiter solum atque nonnisi corpore Missæ sacrificio præsentes sunt, sed non spiritu, nihil quidquam ad ea attendentes quæ in Missa geruntur, nequè proinde censeri possunt Missam audire, ad quam nullatenus advertunt. Sed vere Missam audire censentur cæci ac surdi, quia eo ipso quod corpore Missæ sacrificio præsentes sunt, & devoto animo ipsi assistunt, moraliter illud audire censentur. pariter qui post Templi columnam, vel in loco eidem conjuncto, aut è Domo Templo contigua per fenestras Missam audiunt, eiquè attendunt, aut etiam extra Ecclesiam totius multitudinis incapacem, consistunt, modo tamen ad multitudinem Missæ assistentium moraliter pertinere censeantur, ii omnes cum Missæ sacrificio præsentes esse judicentur, si pio animi affectu ad Deum elevati, ad res Divinas attendant, Missam audire censentur. Neque etiam Missæ auditionem impedit, si quis pauculo tempore Campanulas pulset, vinum ad sacrificium, aquamque inquirat, ignem, ac thus ad thuribulum præparet, quia hæc & aliquo modo ad Missam ordinantur, & ad Sacra attentionem non tollunt.

2do: Missa audienda est integre, hoc est: tota ab ipso principio usquè ad finem. Hinc præcepto Ecclesiæ de audienda Missa non satis faciunt illi, qui etiam tertiam illius partem non audierint, qui Missam à principio usque ad Epistolam inclusive omiserint, & hi communiter peccati mortalis arguuntur, venialis autem peccati rei sunt, qui culpabiliter, vel initium Missæ usque ad Epistolam ommittunt, vel statim peracta communione recedunt, neque ad finem Missæ perseverant. Verum qui ad Missam in ipsius progressu accedit, etiam peracta iam consecratione, reliquum audire tenetur, si aliam integram audire nequeat.

Sed Missa eadem integre audiri debet, quare præcepto Ecclesiæ non satisfacit qui audita una Missa à Consecratione ad finem, aliam audiret ab Introitu usque ad Consecrationem, unde proscripta est ab Innocentio XI. sequens propositio. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro,*

cro, qui duas ejus partes imo quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

3tio: Missa audienda est devote, atquè religiose. Missæ siquidem sacrificium, est actus Religionis nostræ præstantissimus, ergo devote, atque cum summa Religione persolvendus est. Ut autem Missæ sacrificium devote, & religiose audiatur, requiritur & exterior devota corporis compositio, & pius animi affectus in Deum resque Divinas, quia Missæ auditio fieri debet per modum continuæ orationis. Unde præcepto Ecclesiæ non satisfaciunt, qui tempore Missæ colloquuntur, quaquaversum circumspiciunt, vana, & inutilia mente recogitant, tamquam inanimes trunci stant, vel sedent, neque os in orationem aperiunt, neque cor ad Deum elevant, homines nonnisi circumspiciunt, atque considerant, & non alio fine ad Ecclesiam veniunt, nisi ut videant, & ab aliis videantur.

Quæres 6to: Utrum peccent qui distracte Missam audiunt?

Resp: Indevote Missam audire, idem est, ac illam prorsus non audire, qui autem vanis ac inutilibus cogitationibus culpabiliter distracti Missæ intersunt, procul dubio eam non audiunt devote, igitur peccant eo modo ac si eam non audirent, & quemadmodum tertiam, quartamve Missæ partem omittere á gravi non vacat culpa, ita quoque per tertiam, aut quartam Missæ partem voluntarie distrahi grave reputatur peccatum. Porro voluntarie distrahi censentur qui cum ad missam veniunt, mentem habent terrenis negotiis, profanisque cogitationibus onustam, neque interim ut par est mentem & cor suum sursum elevare, interius se colligere, devotionem in se excitare, minime curant, & licetsi advertant mentem suam alio abire, illam ad Divina revocare non curant.

Quæres 7mo. Quis sit potior audiendæ Missæ modus?

Resp: Jlle audiendæ Missæ cæteris omnibus prestare videtur modus, quando tacite sequimur Sacerdotis actiones, iisque & mentis attentionem, & nostras adiungimus orationes ipsis correspondentes, quas in vulgaribus etiam libris reperire facile est. Sed & illi culpandi non sunt, qui vocales preces, quas sciunt devote percurrunt, dummodo identidem ad ea mentem, & attentionem suam convertant, quæ in Missa à Sacerdote peraguntur.

Quæres 8vo: Quæ requiruntur animi dispositiones, ut Missæ Sacrificium cum fructu audiatur?

Resp: Ad fructuose audiendum Misſæ sacrificium, non solum piæ devotionis requiruntur affectus, sed & congrue fidei, ac pænitentiæ necesſariæ dispositiones. Ita docet Concilium Trident: Sesſ: 22. Cap: 2. ubi sic habet. *Sacrificium illud vere propitiatorium est, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Quare qui Misſæ intersunt, obfirmatam in malo retinentes voluntatem, cum actuali ad peccatum cui afsveti sunt affectu, sine ullo de peccatis dolore, vel saltem aliquo resipiscentiæ desiderio, nullum spiritualem referunt fructum. Certe oblatio sacrificii quæ in Misſa peragitur, quædam est præstantisſimæ orationis, atque satisfactionis Deo pro offensis illi irrogatis, species. At in peccatum, & irrisionem vertitur illius oratio, & satisfactio qui Deum, quem orat, ac quasi placare intendit, offendere ac lædere in animo habet, atque hoc pacto magis ipsum ad iracundiam quam ad indulgentiam provocat. Neque tamen ab audienda Misſa deterrendi sunt peccatores etiam obdurati, sed satagendum est ut spiritum pænitentiæ induant, & corde contriti cum vero resipiscentiæ desiderio, ac sincero emendationis proposito Divinis intersint Mysteriis, inde enim multa salutis subsidia haurire posſunt.

Quæres 9no: Quæ ab audienda Misſa excusant?

Resp: Tria sunt quæ ab audienda diebus festivis ac Dominicis diebus Misſa, excusant, videlicet impotentia, charitas, & Justitia. Et quidem *1mo.* ab audienda Misſa excusat impotentia, quæ vel Physica est, & absolute vinci nequit, vel moralis, quæ vinci quidem potest, sed non sine gravi difficultate, quia & ad impossibilia nemo tenetur, & Matris Ecclesiæ præcepta cum gravi incommodo non obligant. Quia tamen hic Ecclesiæ præcepto, annexum est Divinum ac naturale mandatum de consecrando certo aliquo die Divinis laudibus, proinde qui diebus festivis, ac Dominicis Misſæ interesſe nequit, tenetur id oratione, pia lectione, aliisque devotionis, ac pietatis actibus compensare, præclare hac de re loquitur Augustinus Serm: 369 *Qui ad Ecclesiam venire non posſit, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo reddere pensum servitutis.*

Hinc audire Misſam non tenentur. *1mo*: In carcere detenti, in mari navigantes, gravi infirmitate in lecto de-

decumbentes, langvidi qui à morbo convalescentes recidivam merito timent. *2do*: Qui domum, vel gregem ob furum, latronum, vel hostium incursus deserere non posſunt. Sed viæ difficultas, imbrium inundantia, etsi aliquando fæminam, ac senem posſint ab audienda Misſa excusare, non continuo sanum & robustum virum excusabunt. Jlli quoque qui privilegium habent ut in Capella eorum domestica, sive Oratorio Misſa celebretur, dum aliquo modo impediti, Ecclesiam adire nequeunt, coram se in Capella, Misſam celebrari curare debent.

2do: Ab audienda Misſa eximit charitas, quia præceptum charitatis, quod juris naturalis, & Divini est, præponderat præcepto Ecclesiæ. Hinc qui curam infirmi agunt, Misſam omittere posſunt, si ex absentia eorum grave periculum, & incommodum infirmo immineat, neque tamen necesſe est, ut morbus notabiliter augeri timeatur, si infirmus deseratur, sed ſufficit quod inde multum anxietatis pati debeat. In dubio autem utrum periculosum sit ægrum deserere, non est deserendus, & in dubio an ex infirmitate convalescens Misſam audire posſit, Misſa omittenda est.

3tio: A Misſa audienda excusat justitia, seu id quod ex Officio ac justitia quis facere tenetur, & quod Misſæ auditionem impedit. Hinc nec miles suam stationem, neque Dux suos Milites deserere potest, ut Misſam audiat. Idem quandoque dicendum est de nutricibus, quas sæpius non decet infantes ad Ecclesiam deferre. De Pastoribus quoque qui nonnunquam nullatenus à pecoribus recedere posſunt, sed aliquando posſunt in stabulis pecora continere ut Misſam audiant. Tandem famuli, qui omnino ad servitium ſunt necesſarii, aliquando à Misſæ auditione excusantur, sed identidem Misſæ, Divinisque officiis interesſe tenentur.

CAPUT SECUNDUM

De tertio, & quarto Ecclesiæ præcepto.

ARTICULUS 1mus

De observatione Jeiuniorum.

Quæres 1mo: Præceptum Ecclesiæ de observandis Jejuniis utrum graviter obliget?

Resp: Præceptum jeiunii ita graviter obligat, ut qui illud etiam sine contemptu transgreditur, peccet mortaliter. Quia lex quælibet justa in materia gravi, graviter obligat. Porro lex jejuniorum ab Ecclesia instituta, justa est, & in materia gravi constituta. Ergo sub gravi obligat. Unde S. Leo Serm. 3. de jeiunio, docet impium eſse, negligere jejunium ab Ecclesia præscriptum, quare merito proscripta est ab Alexandro VIII. sequens propositio. *Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat.*

Et non solum graviter illi peccant, qui jejunium ipsi frangunt, ſed & illi, qui diebus jejuniorum ministrant cibos prohibitos, quales sunt vel maxime Caupones, quia gravi aliorum peccato cooperantur. Verum si Caupones cibos vetitos sine gravi suo damno negare non poſsint, ut si perditi homines minentur, vulnera, plagas, concuſsiones, nisi Carnes die jejunii iis ministrentur, aut etiam si violatio jejunii averti nequit sine longe majori malo, ut si merito timeri debeant blasphemiæ, imprecationes, in his, ac similibus circumstantiis Caupones, qui diebus jejunii vetitos præbent cibos coarguendi non sunt.

Quæres 2do: In quo consistit jejunium?

Resp: Jejunium in duobus præcipue consistit, in quantitate scilicet, & qualitate. Qualitas consistit in delectu ciborum, quia diebus jejuniorum à quibusdam cibis abstinendum est. Quantitas vero in eo reponitur, ut semel in die, & quidem tempore constituto refectio sumatur.

Quæ-

Quæres 3tio: A quibus cibis abstinendum est diebus jejunii?

Resp: Diebus jejuniorum abstinendum est *1mo:* à Carnibus cujuscunque generis sive avium, sive pecorum, aut quorumcunque animalium. Et non solum abstinendum est ab ipsis carnibus, ſed & ab iis quæ carnis ſubstantiam continent, quale est jusculum, aut quid simile ex carnibus expreſsum. Pisces vero, & nonnulla animalia, atque aves aquaticæ, quæ ad pisces pertinere censentur, quales sunt ranæ, testudines, galinæ aquaticæ diebus jejuniorum manducari poſsunt. *2d*: Præterea diebus jejuniorum abstinendum est ab ovis & lacticiniis, lacte videlicet butyro, caseo & omnibus ferculis quæ his conditæ sunt. Hæc siquidem omnia diebus jejuniorum prohibita sunt ut constat ex S. Gregorio, cujus verba referuntur Cap: 6. dist: 4. *Par est, ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam carnis trahunt originem jejunemus, à lacte videlicet, caseo, & ovis*, unde Alexander VII. damnavit sequentem propositionem. *Non est evidens, quod consvetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.* Hic autem ſequentia notanda ſunt. *1mo:* in esu Carnium, & lacticiniorum diebus jejuniorum contingente dari parvitatem materiæ, ratione cujus, qui die jejunii carnes, aut lacticinia comedit, non nisi venialiter peccat, quia per talem modicæ carnis, aut lactis comestionem non multum derogatur fini, quem Ecclesia intendit in Jejuniis instituendis. Res autem omni ex parte levis, sub gravi prohiberi nequit. Igitur qui modicam carnis aut lactis die jejunii comederit quantitatem nonnisi venialiter peccabit. Sed quæ censeri debeat modica carnis, aut lactis quantitas, ut ejus die jejunii comestio nonnisi peccatum sit veniale, difficile est determinare, quare caute in his procedendum est, neque in modico gulæ indulgendum. *2do*: In quibusdam nostrorum Regionum Provinciis veluti in Livonia, Curonia, & in tota Pruſsia lacticinia diebus jejuniorum permittuntur, ubique autem in Vigilia Pentecosten, & Feria 4ta, ac Sabbato 4tuor Temporum quæ Festum Pentecosten subsequuntur, esus lacticiniorum licitus est, idque ex antiquiſsima quæ hucusque viget consvetudine.

Quæres 4to: Quæ præterea servanda sunt ut jejunium secundum Ecclesiæ præceptum observetur?

Resp: Ut jejunium secundum Ecclesiæ præceptum ob-

observetur, non solum servanda est qualitas, quæ in abstinentia â cibis prohibitis consistit, ſed & quantitas stricte custodiri debet, quæ in eo consistit, ut die jejunii una nonnisi circa meridiem plena sumatur refectio. Hinc peccat graviter qui die jejunii plures sumit refectiones, & hoc verum est, etiamsi plura parva frusta ſumat, per hæc enim, cum ad notabilem cibi quantitatem pervenerit, graviter peccat. Unde ab Alexandro VII. damnata est hæc laxior propositio. *In die jejunii qui sæpius modicum quid commederit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Unica ergo refectione die jejunii quilibet contentus eſse debet, extra quam si quidpiam ſumatur, quod vere nutrit, peccatum est. Nutritiva vero sunt etiam poma, pira, aliique arborum fructus, varii quoque generis uvæ, ac racemi, caffæi, chocolatæ sumptio. Sed medicinæ ſumptio, licetsi aliquid habeat nutritivi, jejunio non adversatur. Neque etiam illi jejunium violare censendi ſunt, qui mane parum caffæi cum lacte ſumunt, aut pauxillum panis cum haustu vini, vel cerevisiæ, quia aliter sine gravi incommodo, functiones, ac munera ſua obire nequeunt.

Quæres 5to? Utrum potus frangat jejunium?

Rsp: Diebus jejuniorum licitum est potum ſumere ad refrigerationem corporis, ad gravem sitim comprimendam, aut ad ciborum digestionem, ac proinde potus, qui licet si aliquo modo refocillet; & nonnihil nutriat, tamen quoniam non aſsumitur ad nutritionem, sed ad ciborum nonnisi digestionem non frangit jejunium. Potus autem qui ex se multum nutrit, qualis est exg. cerevisia craſsa, vinum generosum, mulsum, reipsa frangit jejunium, & qui istiusmodi potu, in notabili utitur quantitate violati jejunii reus est. Sine dubio igitur graviter peccant etiam contra legem jejunii, qui variis liquoribus ventrem implent, iisque se ingurgitant, quibus nonnunquam plus quam cibis exsaturantur, & licet à peccato ebrietatis liberi aliquando sint attamen peccati gulæ rei efficiuntur, quo & legem jejunii transgrediuntur.

Quæres 6to: An liceat tempus refectionis quæ semel in die jejunii permittitur anticipare?

Resp: Pro ſumenda refectione, quæ unica nonnisi die jejunii permittitur, tempus circa meridiem est ab Ecclesia determinatum, videlicet vel paulo ante meridiem, vel etiam brevi post, quapropter illud anticipare non licet, quia

quia præscriptum Ecclesiæ violaretur. Unde S. Thomas in 4. dist: 15 quæst: 3. Art: 4. sic inquit. *Ille jejunium solvit, qui Ecclesiæ determinationem non servat, unde cum Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.* Etsi vero non intendat Ecclesia arctare fideles ad ſubtilem temporis inspectionem, pro certo tamen tenendum est, eos mortaliter peccare, qui una, aut duabus horis refectionem anticipant, quia in re gravi Ecclesiæ præscriptum transgrediuntur, & notabiliter temporis determinationem antevertunt. Neque etiam licet mane ientaculum, ſumere, refectione plena ad vesperam dilata, quia diebus jejuniorum præscripto Ecclesiæ ante meridiem, quidpiam in cibum ſumere vetitum est Verum nulla est culpa ordinarium refectionis tempus anticipare, immutare, cum id justa exigit causa, qualis est iter, quod neceſsitas exigit, vel pietas expostulat, aut etiam notabilis corporis infirmitas, quæ aggravat.

Quæres 7mo: Utrum hæc refectio dividi poſsit?

Resp: Hæc refectio plena, quam unam nonnisi die jejunii permittit Ecclesia debet eſse continua, quare dividi in plures nequit, quia non eſset una, sed pluries repetita. Unde qui refectionem tanto dividit temporis intervallo, ut moraliter loquendo jam non sit una refectio, ſed plures, frangeret jejunium. Quotum autem requiratur temporis intervallum, ut quis divisa refectione graviter peccet, definiri nequit. Qui per horæ unius ſpatium refectionem divisit, mortale peccatum timere debet.

Sed & nimis diu refectionem protrahere non licet, nam hoc eſset equivalenter duplicem refectionem sumere, idem enim est ad nutriendum corpus, sumere novam refectionem, sive diu eandem continuare. Nec refert quod non semper tunc edatur, ſed fiat confabulatio, quia interim stomachus concoquit ſumptos cibos, qui ſufficiebant pro integra refectione, & alii substituuntur. Sunt tamen justæ causæ, & sæpius occurrunt, propter quas refectionem dividere licitum sit, plus vel minus pro ratione negotii id exigentis. Sic non culpatur Parochus, qui medio prandio monitus, ut infanti, vel ſeni jam morituro, baptismum, aut unctionem extremam ministraret, refectionem interrumpit. Idem dicendum tum de eo qui ut á suo debitore mox proficisci coacto pecuniam recipiat, á quo vix alias eam recipere poſsit, a prandio surgit, illudque interumpit, tum etiam de mercatore, qui mensam dimit-

tit,

tit, ut aliquid notabile vendat, alias forte non venditurus. Ii enim omnes cum justam habeant causam refectionem dividendi, in ea dividenda non peccant.

Quæres 8vo: Præter unam plenam refectionem, num Ecclesia diebus jejunii permittat circa vesperam aliquid in cibum sumere?

Resp: Permittit modicam cænulam, quæ communiter *Collatio* vocitatur. De quantitate vero ipsius id universum dici potest, eam modicam efse debere, ne cænula convertatur in cænam, certam mensuram eorum quæ tunc sumi pofsunt determinare difficile est, siquidem nec pro omnibus, nec ubique eadem efse potest, sed alia, & alia fecundum diversitatem complexionis, laboris, & regionum, quæ quia & aliæ aliis frigidiores sunt, aliæ etiam aliis plus cibo indigent. In nostris autem Regionibus ex antiquifsima consvetudine per Quadragesimam feriis tertiis, & quintis paulo plus licet pro cænula fumere, quam aliis diebus, Dominicis vero plena refectio pro cæna fumi potest, quia diebus Dominicis per Quadragesimam jejunium quoad quantitatem non tenet.

Non licet autem cænulam circa meridiem fumere, & plenam refectionem ad vesperam differre, quia consvetudo cænulam permittens, hoc habet, ut fub noctem fumatur, nisi legitima subsit causa, ut si quis ob negotia circa meridiem prandere non pofsit, proficiscendi occurrat necefsitas, hospites venturi fperentur, aut aliter, stomacho videlicet vacuo dormire quis nullatenus pofsit. Si autem istiusmodi defuerint causæ, erit quidem in hac temporis immutatione peccatum, sed nonnisi veniale, quia non violatur jejunium quoad fubstantiam, fed folum tempus commestionis ab Ecclesia permifsæ immutatur.

Quæres 9no Qui obligantur ad observandum jejunium?

Resp: Ad fervandum jejunium omnes obligantur Christiani, qui competentem ad jejunandum habent ætatem, quia lex Ecclesiæ jejunia præcipiens est universalis, ad omnes, qui competentem ad jejunandum habent ætatem, extenditur, nemo ab ea excipitur, & his omnibus jejunium utile, & necefsarium est, nam omnes egent pænitentia, cum non sit homo, qui non peccet, omnes indigent mortificatione carnis, & castigatione corporis ut fubijciatur Spiritui, & Deo satisfiat pro peccatis. His vero de causis instituta sunt ab Ecclesia jejunia. Omnes ergo ad illa obser-

servanda tenentur, qui competentem ad jejunandam habent ætatem.

Porro si qualitas jejunii ſpectetur, ætas competens ad illam in jejunando ſervandam est ætas ſeptem annorum, quicunque ergo ſeptennium compleverunt, tenentur diebus jejuniorum à carnibus, & lacticiniis abstinere, quæ si comederint, peccant, & qui ipsa eis apponunt, ac subministrant, peccant, nisi infirmitas, aut notabilis debilitas excusent. Sed ad quantitatem in jejunando observandam ætas conveniens, est ætas viginti unius annorum, qui itaquè vigesimum primum ætatis suæ annum compleverunt, jejunium non solum quoad qualitatem, sed etiam quoad quantitatem servare obligantur. Cæterum qui ante vigesimum primum ætatis annum satis vegeti sunt, & robusti, convenientiſsimum est, ut quantitatem in jejunando ſervare aſsvescant, licetsi enim ab Ecclesiastica lege hoc in puncto ſervanda liberi sint, attamen per ciborum abstinentiam ebullientes concupiscentiæ motus refrænare tenentur.

Quæres xomo: Quæ à jejunando excusant?

Resp: Tres præcipue causæ à jejunando excusant, videlicet, impotentia, neceſsitas, & pietas. Et quidem *xmo*: à Jejunando excusat impotentia. Sed impotentia alia oritur ab ætate, alia à morbo, infirmitate, & langvore. Ratione ætatis, à qualitate jejunii eximuntur infantes ſeptennio minores, à quantitate autem qui necdum vigesimum primum annum compleverunt. Quod vero attinet senes, non est pro iis certum tempus constitutum, quo à lege jejunii sint liberi, eo quod alii tardius, alii citius viribus deficiant. Quare senes non excusantur á jejunando, nisi quando in iis ita vires corporis deficiunt, ut pluribus indigeant refectionibus aut cibo validiore, alioqui grave valetudinis paſsuri detrimentum. Unde S. Antoninus 2. parte tit: 6. cap: 1. sic inquit. *Senes, si sunt multum debiles, eo modo poſsunt excusari, sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantum non excusantur, si sunt fortes ad ferendum jejunium, nec est determinata ætas ab aliquo usque ad quos annos quis teneatur adjejunium.* Ratione vero morbi, infirmitatis, à jejunando excusantur non tantum ægroti in lecto decumbentes, sed etiam langvidi, valetudinarii, & qui à morbo adhuc sunt debiles, quando sine valetudinis læsione jejunare nequeunt. His annumerandi sunt illi, qui tam infirma sunt complexione, ut vacuo stomacho, capitis dolo-

dolorem aut vertiginem patiantur, vel noctes ducant insomnes. In his autem Medici eruditi, & Deum timentis judicio inhærendum est. Oritur etiam impotentia ex conditione personarum, unde à jejunando excusantur pauperes qui frustatim eleemosynas emendicant, cum non posſint simul habere, quod eis ad unam plenam ſufficiat refectionem, aut nihil fere recipiunt nisi panem, quemadmodum in villis, qui ad tolerandum jejunium non adeo ſufficit. Sed si pauperes poſsunt habere tantum, quantum ad unam plenam refectionem sufficit, à jejunii stricta observatione non eximuntur. Pariter à jejunando eximuntur mulieres gravidæ, atque nutrices, quia non solum sibi, sed infantibus quos vel nutriunt, vel in utero gestant cibum sumere debent, nec proinde illis una refectio ſufficit. Verum tamen Pauperes, Nutrices, ac mulieres gravidæ licetsi ad servandam jejunii quantitatem non obligentur, unde ad unam servandam refectionem non omnino tenentur, sed ad servandam jejunii qualitatem stringuntur, quare à carnibus, & lacticiniis abstinere debent. Si tamen Mulieres gravidæ avido nimis in cibos vetitos ferantur appetitu, ut si ipsis denegentur, periculum sit abortus, non debent illis denegari.

2do: A jejunando excusat neceſsitas, cum quis ad opus quoddam obligatus manet, sive ut inde vivat, sive ut ſuum, vel alterius damnum evitet, sive ad tuendam animæ, corporisquè salutem, & cum illo opere jejunium conjungi nequit. Ex hac ratione excusantur à jejunando illi & soli artifices, qui opera talia perficiunt, quæ hic & nunc neceſsaria ſunt, quibus adeo defatigantur, ut simul cum jejunio laborare nequeant. Tales ſunt fabriferarii, lapicidæ, lignarii, foſsores, agricolæ, aurigæ, cursores, ſed non excusantur barbitonsores, pictores, typographi, qui torcular non tractant, ſed solum characteres ordinant, nentes, vestimenta conficientes, & alii omnes, qui ea faciunt opera, quibus non adeo debilitantur corporis vires, ut jejunio impares reddantur. De sutoribus, textoribus, aurificibus, aliisque ejusdem generis, prudentiæ Confeſsarii reliquendum est, ut attento labore, qui non est ſemper idem, attenta etiam qualitate complexionis personarum, eos vel à jejunio exemptos pronuntiet, vel ad illud obliget. Qui multum student, & alios docent, non eximuntur à jejunio, iis tamen paulo major cænula permitti potest, quia studio multum defatigantur.

Quicunque autem opera laboriosa exercent, veluti agri-

agricolæ, opifices à jejunando eximuntur. 1mo: Etiamsi hac die ad vitam sustentandam istiusmodi opera non omnino sint necessaria, quia nimirum pauperes non sunt, si ex officio, & arte quam exercent vivant, quia & pro futuro laborare, & labore suo lucrari debent, neque tenentur cessare ab exercitio suæ artis, ac professionis ut jejunent. Verum tamen si artifices aut laborem differre, aut eum diminuere possint absque detrimento status sui, quia satis divites sunt, & minore labore lucrari possunt sufficientia sibi, & familiæ, id facere tenentur, ut jejunare possint. 2do: Licetsi die jejunii opera illa intermittant, quia festum cum die jejunii concurrit, si grave incommodum jejunando sentirent, ob laborem præcedentis diei, aut etiam hodie jejunando, redderentur inhabiles ad laborem subsequentis diei, alias diei quo non laborant, jejunare tenentur. Attendenda igitur est natura laboris cui vacant artifices, agricolæ, qualitas quoque eorum complexionis, ea enim aliquando esse potest laboris magnitudo, & diuturnitas, ut à jejunio immunes censeri debeant, non solum ii, qui eo defuncti sunt diebus præteritis, sed & ii quibus idem labor proxime imminet, cui, si jejunent, impares erunt. Sed & hic advertendum est, quod qui ruri laborant, cum adeo vilibus utantur alimentis, ut quoddam perpetuum observent jejunium non multum stringendi sunt ad jejunandum iis etiam diebus quibus nonnunquam á labore cessant. *3tio:* Tandem à jejunio excusans causa est pietas, seu opus quodpiam sanctum, pium & quod melius est jejunio, sed cum jejunio conjungi nequit, qualia sunt opera misericordiæ corporalia, & spiritualia, ac etiam opera religionis, & devotionis, quæ qui jejunando non possit exercere, nec in tempus aliud commode differre, & exercentur ex officio, obedientia, aut charitate proximi. Quia, ut ait S. Thomas 2da 2o. quæst: 247. art: 4. *Non videtur fuisse jntentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas,* atque præstantiora opera. Hinc à jejunando liberi sunt, qui confessionibus, aliisque piis functionibus, die tota, vel magna diei parte vacant, unde viribus multum exhaustis, jejunium ferre nimis difficile illis est. Idem dicendum est de iis, qui infirmo sive in spiritualibus, sive in corporalibus inservientes, tota nocte, aut majori ipsius parte vigilias agunt, magnæque defatigationi, & pluribus molestiis subjacent.

Quæres 22mo: Quid de itinerantibus sentiendum est?

Resp:

Resp: Itinerantes à jejunando excusantur, ſed hac triplici conditione *1mo:* Si iter commode differri nequit, aut dies jejunii hominem in via præoccupat. *2do:* Si iter adeo defatiget, ut simul cum jejunio itenerari non poſsit. *3tio:* Si proinde iter eo modo fiat, qui reipsa multum defatigat. Quare qui pedibus, equo moroso, curru non pensili, gradu præcipite, atque per multos dies iter conficiunt, per quod nimis defatigantur, atque extenuantur, à jejunando excusantur. Jlli vero, qui aut iter breve, leve atque cum omnimoda commoditate sine gravi defatigatione conficiunt, aut etiam iter jejunii die sine necefsitate arripiunt, à jejunando non excusantur. Unde Alexander 7. istam damnavit propositionem: *Excusantur absolute á præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter neceſsarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

Quæres 12mo: Allatæ non jejunandi causæ an à toto eximunt jejunio, scilicet quo ad quantitatem, & qualitatem, vel solum à parte?

Resp: Allatæ causæ, quam plurimum à quantitate nonnisi jejunii eximunt, propter illas siquidem plures in die jejunii ad confortandas vires sumi poterunt omnino necefsariæ refectiones, sed non eximunt à servanda qualitate jejunii. Certe agricolæ, artifices, pauperes, atque varii generis operarii, itinerantes denique, ac nonnunquam debiles, propter languorem, defatigationem, & exhaustas vires, poſsunt aliquoties in die jejunii cibum sumere, sed non omnino indigent ut carnibus, aut lacticiniis utantur, quare ab iis abstinere obligantur. Sed causa ex languore, morbo, atque infirmitate petita sæpius etiam eximit ab observanda qualitate jejunii, quia frequenter morbus, ac infirmitas exigit ut sive carnes, sive lacticinia infirmo, ac langvido permittantur. Aliquando etiam gravis, ac diuturnus labor exigere poſsunt ut vel lacticinia, vel carnes quæque die jejunii concedantur. Semper vero graviores requiruntur causæ, atque rationes ut quis eximatur ab observanda qualitate jejunii, quam ut liber sit á custodienda illius quantitate.

Quæres 13tio: Quando petenda est dispensatio ab observatione jejunii, & à quo illa concedi potest?

Resp: Quamvis adsint justæ causæ non jejunandi, semper petenda est dispensatio. Quia rectus ordo disciplinæ Ecclesiasticæ id postulat, maxime ut vitetur periculum, ne quis sibi blandiendo, seipsum decipiat, quisque enim faci-

facile sibi persvadere poterit, se habere justam non jejunandi causam, etsi reipsa nullam habeat. Sola autem difficultas jejunandi, non potest esse justa causa ut quis à jejunio dispensetur, cum pauci sint, ex iis præcipue, qui jejunare non consveverunt, cui jejunium facile ferant, neque jejunium institutum est, ut corpus delectet, & hominem recreet, sed ut ipsum affligat. In casu vero inopinato, quando evidens adest necessitas, dispensatio necessaria non est, maxime cum gravis defatigatio cibum exposcit, aut difficilis sit ad Superiorem recursus pro obtinenda dispensatione.

Dispensatio in quovis Jejunio ab Episcopo côncedi potest. In dubio an adsit sufficiens dispensandi causa, dispensatio concedenda est, quia periculum est, ne pleniorem expectando causam, inanis & tardior reddatur dispensatio. Quo autem amplior est dispensatio, eo gravior requiritur causa, unde facilius secunda permittitur refectio, quam usus Lacticiniorum, citius conceduntur Lacticia, quam carnes.

Jam vero dispensatio tantum valet, quantum sonat. Unde cui permittuntur Lacticinia, non potest manducare carnes, qui dispensatus pro quadragesima, si non potest jejunare singulis diebus, potest tamen aliquibus, illis jejunium observare tenetur, qui dispensatus est, ut manducet carnes, unica refectione contentus esse debet, neque in cænula carnibus uti valet.

Quæres 14to: Præter Jejuniorum dies, utrum sint aliqui abstinentiæ dies ab Ecclesia constituti?

Resp: Præter Jejuniorum dies, sunt alii abstinentiæ dies ab Ecclesia constituti, videlicet singulis per annum Hebdomadibus feria Sexta, & Sabbatum, triduum Rogationum, & in quibusdam Diæcesibus dies S. Marci Evangelistæ. Jam vero feriis Sextis observatur abstinentia à Carnibus, & Lacticiniis, diebus vero Sabbati, & triduo Rogationum, atque die S. Marci Evangelistæ, tantummodo abstinentia à carnibus servatur.

ARTICULUS 2dus

De annua Confessione, & Paschali Communione.

Quæres 1mo: Ubi, & quando annua Confessio, & Paschalis Communio ab Ecclesia præcepta est?

Resp:

Resp: In Concilio Lateranensi 4to ſub Innocentio 3. Anno 1215. habito, annua Confeſsio, & Paschalis communio præcepta fuit, sequenti decreto: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti, suscipiens ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. Si quis autem alieno Sarcerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote.* Quod etiam á Concilio Tridentino Seſs: 14. Cap: 5. fuit confirmatum. In hoc itaque Decreto, annua Confeſsio, & Communio præcepta est, sed pro annua communione tempus Paschale præfixum est, pro annua vero Confeſsione tempus non est determinatum, unde quisquis confeſsus fuerat intra annum à die prima Januarii, usque ad ultimam xbris, satisfaciebat huic Decreto. Sed quia Concilium Tridentinum, morem Quadragesimæ tempore peccata sua confitendi maxime laudavit, ideo mos invaluit, ut Paschali tempore & annua persolvatur Confeſsio, & sacra Communio percipiatur, quod etiam à multis Conciliis constitutum est.

Quæres 2do: Qui obligantur ad annuam Confeſsionem, & Paschalem Communionem?

Resp: Ad annuam Confeſsionem obligantur quicunque ad annos discretionis pervenerunt, & est capax peccati, quod non est ex sola ætate diiudicandum, sed multo plus ex ingenii gradu, & discretione boni, ac mali, quæ in aliis maior est anno sexto, quam in aliquibus anno octavo. Porro spiritum discretionis ii communiter habere censentur, qui cognoscunt vg. quid sit mentiri, parentibus non obedire, irasci, & qui de inhonestis actionibus erubescere consveverant. Quare qui puerorum, puellarumque excipiunt Confeſsiones, cavere debent, ne illis absolutionem sacramentalem tribuant, in quibus neque idoneam absolutionis materiam, neque eam rationis ſufficientiam advertunt, quæ citra omne dubium ipsos hujus Sacramenti capaces constituat, ideoque explorandum est, an actus fidei, spei, & charitatis noverint, an illa quæ ſunt neceſsaria neceſsitate medii sciant, & intelligant, & ubi prudens occurrit de illorum ſufficienti dispositione, atque habilitate dubium, absolutio sacramentalis differenda est & interim instruendi, & disponendi ſunt, ut cum

fra-

fructu salutari Pænitentiæ Sacramentum percipere valeant.

Jam vero ad Paschalem communionem digne percipiendam, ii omnes tenentur, qui tantum habent usum rationis, ut juxta Apostolum Corpus Domini dijudicare poſsint, quod aliis circa annum ætatis decimum, aliis circa annum nonnisi decimum quartum obvenire solet. Quare non continuo Eucharistiæ capaces judicandi ſunt, qui ad Pænitentiam habiles reputantur, plus enim judicii, & discretionis requiritur ad sacram Communionem digne percipiendam, quam ad Sacramentum pænitentiæ fructuose recipiendum.

Quæres 3tio: Quo tempore annua Confeſsio est persolvenda, & sacra Communio percipienda?

Resp: Circa festum Paschæ, hoc autem alibi durat longius, alibi brevius. Namque in nonnullis Diæcesibus tempus annuæ Confeſsionis & Communionis durat à Dominica Paſsionis, usque ad Dominicam 2dam post Pascha, alibi à Dominica 4ta Quadragesimæ ad Dominicam 3tiam post Pascha, alibi per totam Quadragesimam, totumque tempus Paschale, usque ad festum SSmæ Trinitatis. Porro unusquisque Diæcesis ſuæ statutum sequi tenetur, & intra præfixum tempus Confeſsionem persolvere, & communionem percipere debet. Infirmis quoque & ægris intra hoc tempus Sacramentum Eucharistiæ est deferendum, ut præcepto Ecclesiæ statuto tempore satisfaciant, & hoc verum est, etiamsi paulo ante constitutum tempus in infirmitate communionem sumpserit, si infirmus denuo jejunus præfixo tempore communicare poſset ad id obligatur, quodsi eo tempore jejunus communicare non poſset, jam ad iteratam communionem neque teneretur, neque illi non jejuno dari poſset.

Semper autem confeſsarius rationabili de causa potest annuam communionem ultra constitutum pro illa percipienda tempus differre, ut si exg. judicet neceſsariam eſse alicui confeſsionem generalem, ad quam longiore opus est tempore, si pænitens probandus est, an concubinam ejecturus sit, ab occasione proxima receſsurus. Quin ipsa etiam confeſsio aliquando differri potest, ut pænitenti ſufficientis examinis, inchoandæ pænitentiæ congruum concedatur tempus, atque interim aliqua haberi poſsint sinceræ emendationis indicia.

Quæres 4to: An qui constituto tempore confeſsionem non

non persolvit aut communionem non percepit, quam primum hæc adimplere teneatur?

Resp: Ita est. Quia duo ab Ecclesia præcepta ſunt, videlicet: ut semel saltem in anno peccata confiteamur, atque ad sacram communionem accedamus, & ut hæc statuto tempore, nimirum circa Pascha adimpleamus, unum ab alio omnino distinctum est, & unum sine alio stat, & immobile manet. Qui ergo tempore præfixo confeſsus non est, aut ad Sacram Communionem non acceſsit, adhuc ad annuam confeſsionem, communionemque obligatur, quare hæc, quam primum poterit, adimplere tenetur, & toties peccat, quoties habita opportunitate, illa non perfecit, quia continenter violat legem Ecclesiæ, qua obligatus erat statuto tempore, peccata sua confiteri, & ad sacram communionem accedere, quæ obligatio, elapso constituto tempore, non ceſsat, ſed continuo crescit, atque augetur, donec ei satisfactum fuerit.

Quæres 5to Qui prævidet statuto tempore se non poſse confiteri, vel Communionem sumere, an tenetur illud prævenire?

Resp: Qui prævidet, se neque tempore constituto, neque deinceps in decursu anni poſse confiteri, vel ad sacram communionem accedere, tenetur illud prævenire. Quia obligatio annuæ Confeſsionis, ac Communionis per totum annum durat, & tempus præfixum est, quatenus ulterius non differatur. Ergo qui ab initio anni prævidet se non poſse confiteri, aut Eucharistiam recipere neque constituto tempore, neque deinceps in decursu anni, illud tempus prævenire tenetur, & ab initio etiam anni data opportunitate confiteri peccata ſua, & ad sacram communionem accedere. Pariter qui prævidet se nonnisi diu quamvis in decursu ejusdem anni post elapsum tempus, quod annuæ confeſsioni, communionique præfixum est, poſse confiteri, & ad communionem accedere, longe melius faciet, si illud tempus præveniat, quia ut ait S. Antoninus: prævenire diligentiæ est, tardare negligentiæ. Sed qui timendo ne forte non poſsit tempore præfixo confiteri, vel ad Eucharistiam accedere, confeſsionem, communionemque anticipavit, adveniente statuto tempore denuo, cum potest confiteri, & communionem sumere tenetur, ut plene Ecclesiæ præcepto satisfaciat.

Quæres 6to: Qualis Confeſsio, ac communio requiritur, ut præcepto Ecclesiæ satisfiat?

Resp: Requiritur confeſsio valida, & communio digne ſusce-

ſuscepta. Unde per communionem sacrilegam, per confeſsionem invalidam, præcepto Ecclesiæ annuam Confessionem, Communionemque injugentis non potest satisfieri. Quare Innocentius XI. sequentem damnavit propositionem: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem*, & hanc alteram Alexander 7. proscripsit, *Qui facit confeſsionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Itaque qui nulliter confessus est, aut indigne sacram communionem recepit, tenetur quam primum denuo rite peccata ſua confiteri, & digne sacram Eucharistiam percipere. Certe Ecclesia salutarem semel in anno faciendam confeſsionem atque percipiendam communionem mandat. Nulliter autem ac invalide facta confeſsio, sacrilege percepta communio salutaris non est, ſed animæ perniciosa. Per illam ergo præcepto Ecclesiæ satisfieri nequit.

Quæres 7mo: Quali Sacerdoti, hæc annua Confeſsio facienda est?

Resp: Olim ex Decreto Concilii Lateranensis, annua confeſsio facienda erat proprio Sacerdoti, per proprium autem Sacerdotem ille intelligitur, cujus spirituali jurisdictioni ſubjacet confitens, quales ſunt Parochi & in Nosocomiis Præpositi, sive Capellani. Verum nunc annua Confeſsio cuicunque Sacerdoti sive sæculari, sive Regulari qui ad audiendas Christi fidelium confeſsiones fuerit ab Episcopo approbatus, fieri potest, quod evincitur ex bene multis Romanorum Pontificum Constitutionibus, maxime ex Bulla Clementis 8vi quæ incipit: *Significatum fuit nobis*, id tamen fieri debet cum scitu, & licentia proprii Parochi, in qua concedenda Parochus difficilis eſse non debet.

Quæres 8vo: Ubi communio Paschalis sumenda est?

Resp: Communio Paschalis sumenda est in propria Parochia. Et id in Conciliis constitutum est, patetque ex variis libris Ritualibus. Qui ergo extra propriam Parochiam vult Paschalem communionem ſuscipere, ad id licentiam, facultatemque proprii Parochi habere debet, alias qui sine scitu & consensu proprii Parochi, in aliena Ecclesia Eucharistiam ſumit, præcepto Ecclesiæ communionem Paschalem præscribenti non satisfacit. Qui in duabus, aut pluribus Parochiis domicilium habent, iis liberum est sive in hac sive in illa Paschalem communionem percipere. Si quis tamen multo diutius in uno, quam in alio loco commoraretur, ad communionem Paschalem præferenda est illa Parochia, in qua longiore degit mora. Advenæ etiam & Pere-

Peregrini, quando in propria Parochia, in qua scilicet stabile domicilium habent, communionem Paschalem percipere nequeunt, eam in illa Parochia, recipere tenentur, in qua actu degunt, quia Advenæ, Peregrini quoad Sacramenta illius Parochi jurisdictioni subijciuntur, in cujus Parochia actu degunt. Pariter Vagabundi, qui nullibi stabile habent domicilium, in ea Parochia communionem Paschalem sumere debent, in qua actu commorantur, quia cum in nulla Parochia stabiliter persistant, propria illorum Parochia illa eſse censetur, in qua actu commorantur. Famuli autem, domestici, & continui commensales in Monasteriis Regularium degentes, poſsunt communionem Paschalem recipere ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis.

CAPUT TERTIUM

De quinto Ecclesiæ præcepto.

Quæres 1mo: Quod est quintum Ecclesiæ præceptum?

Resp: Quintum Ecclesiæ præceptum est, ut Decimæ, ubi constitutæ ſunt, aliique reditus Ecclesiastici, fideliter, iis quibus debentur, persolvantur, & reddantur. Est autem *Decima* portio ex decem una, unde juxta vim nominis est Decima pars omnium fructuum & proventuum Deo, ejusque Ministris persolvenda.

Decimæ communiter ſunt prædiales, quæ solvuntur ex omnibus terræ fructibus, agrorum, pratorum, vinearum, hortorum, aliæ autem ſunt Veteres, seu antiquæ, & aliæ Novales. Antiquæ & veteres petuntur ex terris jam antiquitus excultis. Novales exiguntur ex agris quæ noviter excoli cæperunt, & de quibus non extat memoria, quod aliquando excolebantur.

Ad Decimas accedunt & illarum rationem habere videntur ii reditus, qui annuatim puro grano, atque etiam parata pecunia Ecclesiis, ac Monasteriis Regularium persolvuntur. & lingva vulgari *Sypki*, *Annuaty*, vocitantur quæ maxime in Lithvania & Ruſsia vigent.

Quæres 2do: Quo jure Decimæ Ecclesiæ Ministris debentur?

Resp:

Resp: Congruum stipendium Ministris Ecclesiæ omni jure, naturali, scilicet divino, & Ecclesiastico debetur, quia iis qui fidelibus obsequium præstant, congruum stipendium debetur. Porro Ecclesiæ Ministri fidelibus suum præstant obsequium, eos, quæ salutis ſunt, edocendo, Sacramenta administrando, ac tandem pias præces pro ipsis fundendo. Si ergo Decimæ locum habeant stipendii, quod Ministris Ecclesiæ debetur, illæ omni jure præceptæ ſunt. Atque ea justitiæ lex, ita omnium gentium corda penetravit, ut ipsi Ethnici ſuis Sacerdotibus, quæcunque neceſsaria semper ſuppeditaverint. Etsi vero apud Orientales Decimarum pensitatio ignota fuerit, ſed illarum vices tenebat cujusdam tributi solutio, quod etiam legibus Imperialibus Ecclesiæ Ministris adjudicatum fuit. Certe ex Christi edicto Math. Cap. 10. *Dignus est Operarius mercede sua.* Unde Apostolus 1. Corinth: Cap: 9. ait. *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Merito itaque Cap: 14. de Decim: dicitur. *Decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino institutæ sunt.* Sed etiam Decimæ prout nunc persolvuntur, legibus Ecclesiasticis, atque Civilibus præceptæ sunt, ut patet ex innumeris Conciliis, & statutis Regum, atque Principum. Mos tamen solvendi Decimas sæviente Ethnicorum Principum persecutione minime invaluit, & nonnisi extincta persecutione, atque reddita Ecclesiæ pace sensim sine sensu introductus est. Refrigescente siquidem Fidelium erga suos Pastores munificentia, senserunt Ecclesiæ Patres neceſse eſse ut Ministri Altaris & gregis Christi Pastores certos, statutosque haberent redditus, unde ad imitationem Judæorum Decimas primum svadere cæperunt, quæ deinceps Imperatorum, Regum, ac Principum Edictis imperatæ ſunt.

Non ubique tamen Decimæ vigent, in Lithvania, Samogitia, in aliquibus nonnisi locis persolvuntur, ubi fundatione, Ecclesiarum erectione, dotatione, prœscriptæ ſunt.

Quæres 3tio: Quibus Decimæ persolvi debeant?

Resp: Iis persolvi debent Decimæ, aliique Ecclesiastici redditus, quibus lege & statuto, usu & consvetudine, tandem fundatione, & legali inscriptione debentur. Obligatio siquidem solvendi Decimas, aliosque Ecclesiæ proventus fundatur in lege, consvetudine, & inscripto jure, cui ergo inscripti & aſsecurati ſunt, cui ex lege & consvetudine debentur, illi fideliter persolvendi ſunt.

Quæres 4to: Ex quibus Decimæ solvendæ sunt?

Resp: Hac etiam in re lex, consvetudo, & inscriptio, sive fundatio attendi, & pro regula servire debet, neque plus exigi potest, quam lex præscribit, usus invexit, fundatio atque inscriptio sonat. Quare in nonnullis locis etiam ex Hortis, & Oleribus Decimæ persolvuntur. Et ubique ex novalibus, seu agris recenter excultis Decimæ dantur, at quando agri etiam antiqui non excoluntur, sed sterilescunt, Decimæ non redduntur.

Quæres 5to: Quomodo Decimæ persolvendæ sunt?

Resp: Decimæ ita solvendæ sunt, quemadmodum lege; consvetudine, præscripto constitutum est. Hinc alicubi Decimæ persolvuntur in specie, scilicet manipularis, alibi vero in certa granorum, aut pecuniæ quantitate. Atque de modo decimandi permifsum est Rectoribus Ecclesiarum compositiones cum Decimatoribus facere, quæ tamen sine scitu Episcopi fieri nequeunt, & sine ejus approbatione durare non pofsunt. Hæc vero quæ mox dicta sunt sive de modo decimandi, sive de rebus ex quibus Decimæ, ubi vigent, solvi, ac reddi debeant, aliis quoque reditibus ac proventibus Ecclesiis, ac Monasteriis constitutis pro regula inserviunt, unde *Annuaty Sybki* persolvi, ac reddi debent, ex iis omnibus rebus, & eo modo, ex quibus, & quomodo fundatione, & inscriptione constitutum, usu, consvetudine, invectum est.



TRACTATUS

TRACTATUS
DE
CONTRACTIBUS.

Quæres: Quæ de Contractibus scienda sunt?

Resp: Contractus dupliciter considerari poſsunt, scilicet vel in genere, vel in ſpecie, quia nimirum varii ac diversi sunt contractus. Si considerentur Contractus in genere noſse oportet, quæ ipsius natura sit, quæ ad illum constituendum requirantur, qui poſsint, aut non poſsint contractus inire, quæ, & qualis ex inito contractu emanat obligatio. Si vero contractus considerentur in specie *exg:* emptio, venditio, commodatum, locatio, scire vel maxime neceſse est, quæ quilibet contractus exigit ut validus, ac licitus eſse censeatur, qualem pariat obligationem, quomodo constitui debeat. Hæc si plene sciantur, plena quoque scientia ac notitia Contractuum haberi potest.

CAPUT PRIMUM

De natura Contractuum in genere, deque requisitis ad eorum validitatem, atque obligatione ex eis profluente.

ARTICULUS Imus.

De natura Contractus, & requisitis ad illius validitatem.

Quæres Imo: Quid sit & quotuplex Contractus?

Resp: Contractus est conventio exterius inter duos, aut plures ex mutuo eorum consensu inita, reciprocam contrahentibus obligationem imponens. Obligatio autem est onus, quod contrahentes sibi voluntarie imponunt, ut initam inter se conventionem adimpleant, *exg.* ut unus la-

boret, alter laboris mercedem ſolvat. In hoc ergo natura contractus consistit, quod mutuam ac reciprocam inter contrahentes pariat obligationem, & in hoc differt tum à pacto, tum à promiſsione, cum quibus magnam habet affinitatem, quamquam enim & pactum quemadmodum etiam contractus, duorum, vel plurium in eandem placitam rem consensus, & in omni contractu promiſsio quoque interveniat, verum tamen pactum & promiſsio ab uno gratuito facta, & ab altero acceptata. nonnisi in alterutro obligationem parit, non vero in utroque mutuam, & reciprocam, imo si promiſsio ab uno fiat, & ab alio non acceptetur nulla ex illa emanat obligatio. Contractus vero voluntarie inter duos vel plures initus, neceſsario mutuam & reciprocam inter eos parit obligationem, tenendi, & adimplendi factam conventionem.

Jam autem Contractus multiplices sunt & quidem *1mo:* Contractus alius est *formalis* & expreſsus, alius *virtualis* seu implicitus, & dicitur *quasi contractus*. Contractus *formalis* est ille, quo duo, vel plures expreſse de re aliqua conveniunt cum mutua obligatione. Contractus *virtualis* ille est, qui fit tacita partium conventione: sic Judex, Medicus, Tutor, cum hæc officia suscipiunt, eo ipso virtualiter operam omnem spondent, quam adhibere tenentur ejusdem conditionis Viri erga eos, in quorum gratiam hæc munera exercent, & illi viciſsim saltem implicite spondere censentur ea, quæ vi legis, aut consvetudinis ipsis debentur. *2do:* Contractus alius est *purus*, alius *vestitus*. Contractus *purus*, cui nulla adiicitur conditio. Contractus *vestitus* ille est, cui aliqua adiicitur conditio.

Quæres 2do: Quæ requiruntur ad valorem contractus?

Resp: Ad valorem contractus sequentia requiruntur. *1mo:* habilitas personarum ad contrahendum. Unde qui rationis non sunt compotes, contrahere nequeunt. *2do:* Capacitas rei ut de illa contractus fieri poſsit, quare bona Spiritualium vendi non poſsunt. *3tio:* Consensus mutuus, & quidem signo externo expreſsus, nam per Contractum homo homini more humano obligatur, & is est, ut signo externo explicet alteri sensum suum, qui ab eo acceptetur. *4to:* Forma à jure præscripta, quæ servari debet, si quæ est constituta.

Quæres 3tio: Qualis consensus requiritur ad validitatem contractus?

Resp: Ad validitatem contractus requiritur consen-

sus.

sus. *1mo*: Verus, internus, & mutuus. Hinc non ſufficit consensus fictus, & mere externus, fictus namque consensus, & mere externus, non est verus consensus, sed apparens, & illusorius. Pariter qui vel negative se habet, vel positive voluntate sua resistit, non contrahit valide, quia deest verus internus consensus. *2do*: Debet aliquo signo externo exprimi, alioqui consensus unius non potest ab alio percipi, nec proinde poterit acceptari, sicque non poſsent secum de eadem re convenire. *3tio*: Debet eſse liber & deliberatus. Nam sine plena deliberatione, seu advertentia nemo censetur velle in se suscipere obligationem ex genere suo gravem, & quilibet contractus humano modo fieri debet, ad quod neceſsaria est advertentia.

Quæres 4to: Ad quid tenetur qui ficte contrahit?

Resp: Qui ficte contraxit, hoc est: sine animo contrahendi aut se obligandi. *1mo*: peccat contra justitiam & reus est mendacii perniciosi &, si id fiat in re gravi, erit peccatum grave. Nam lex justitiæ obligat, ut in contractu utrinque obligatorio, uterque vere, & ex animo contrahat, neque unus alterum decipiat. *2do*: Quamvis talis non obligetur vi contractus, qui cum fictus sit, nullus est, tamen tenetur in conscientia, ratione injuriæ alteri factæ impedire damnum quod inde alteri oriri potest, & illatum resarcire, quia posuit ejus causam per injustam deceptionem. Imo tenetur tollere deceptionem, & denuo vere contrahere, aut contractui iam facto consensum præbere, illumque adimplere. Quia ex quo exterius contrahere voluit, ex justitia tenebatur vere & sincere contrahere, unde injuriam fecit ficte contrahendo. Ergo hanc injuriam tollere tenetur, vere & sincere denuo contrahendo, aut contractui aſsentiendo, eumque adimplendo, nisi tamen aliqua alia justa ratio excusaret, quo tamen in casu, semper damnum ex deceptione ortum resarciri deberet. Porro illi, qui dicit se simulate contraxiſse, nemo in foro etiam conscientiæ credere tenetur, unde emptor potest rem emptam apud se detinere, quamvis venditor affirmet se illam nonnisi ficte, & simulate vendidiſse, quia etsi emptor non habeat jus in rem emptam propter contractum, qui nullus est, sed illud habet propter præsumptionem quæ ex verbis consensum verum exprimentibus resultat, & tamdiu subsistit quoadusque sufficientibus argumentis non eliditur.

Quæres

Quæres 5to: Utrum error & dolus contractum irritat; & invalidum faciat?

Resp: 1mo: Error & dolus circa substantiam rei, de qua paciscuntur contrahentes, irritum, ac invalidum reddunt contractum. Quia ubi deest consensus, ibi contractus subsistere nequit. Porro ubi adest error & dolus circa substantiam rei de qua contrahentes paciscuntur, ibi deest consensus. Nullus namque est consensus errantis, aut dolo decepti; neque consentiunt qui errant, cum nihil magis contrarium sit consensui, quam error, quemadmodum in jure dicitur t. 9. Cod: de jur: & facti ignorant: & t. 15. de Jurisdict: Certe qui exg. vendit gemmam, quam vitrum eſse putat, non consentit in venditionem gemmæ quam eſse nescit, sed vitri quod eſse arbitratur. Similiter qui emit vitrum, ratus eſse gemmam non consentit in emptionem vitri quod eſse ignorat, sed in emptionem gemmæ, quam eſse putat. Unde comperto errore, detecto dolo, talis contractus rescindi debet, vel ad æqualitatem reducendus est.

Pariter si error, vel dolus sit circa substantiam contractus, vel etiam circa motivum principale contractus, invalidat contractum *vg.* si credas tibi donari, quod tibi venditur, aut si Titio obliges te peccuniam dare præcise, quia eum putas tuum eſse consangvineum cum non sit. Tunc enim deest consensus in id quod substantiam contractus constituit, & quod ad illud primario movet, ac proinde contractus nullus est.

Nihil autem refert utrum error sit antecedens, quo scilicet sublato contractus non iniretur, vel concomitans, quo etiam ſublato adhuc contractus fieret exg: si volens emere vinum emas oleum, quod etiam & forte libentius emiſses, adhuc tamen contractus non valet, quia reipsa non oleum voluisti emere, sed vinum.

2do: Error vel dolus circa qualitatem & accidens rei de qua contractus instituitur, non irritat contractum, quia non tollit consensum circa substantiam rei de qua contrahentes secum conveniunt. Unde si rem pluris emisti quam valeat, tenet contractus, sed venditor tibi restituere tenetur exceſsum prætii, quia exceſsus prætii fuit dolo extortus. Neque tamen contractus irritari potest à decepto, quia validus est, & per restitutionem exceſsus prætii, tollitur injuria decepto irrogata.

Sed etiamsi error & dolus circa accidentalia, vel circa causas quæ alliciunt, aut avocant à contractu det causam,

sam, ac motivum contractui, attamen illum non invalidant. Quia cum error & deceptio non est circa substantialia contractus, non impedit consensum, qui ad valorem contractus prærequiritur. Neque obest, quod contrahens si scivisset istiusmodi qualitatem inesse aut deesse rei de ea contractum non fecisset, nam talis voluntatis affectio, quæ futurum sub conditione respicit, præsentem actualem contrahentis consensum, quem præstat contractui de re prout illam tunc apprehendit, neque tollit, neque impedit, alioqui omnes fere contractus essent invalidi, frequenter namque exoptamus rem de qua contractum fecimus meliorem esse, quam illam reipsa esse invenimus.

Attamen error circa qualitatem, & accidentalia rei, de qua contractus instituitur, contractum invalidat, quando contrahens expresse vel implicite actu non vult concontrahere, nisi res tali sit qualitate instructa. Nam tunc qualitas illa substantiam rei ingreditur, & non est voluntas contrahendi in contrahente, nisi posita tali qualitate tamquam conditione, sine qua contractus non fieret.

3tio: Quoties error vel dolus circa qualitatem & accidentalia rei de qua contractus instituitur dat causam atque motivum contractui, & provenit ab uno contrahentium, licetsi istiusmodi contractus invalidus sit, potest tamen rescindi juxta voluntatem decepti, dummodo contractus ipse sollubilis sit, unde non est omnino firmus. Quia ex jure Cap: 5. de empt. *fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent*, ac proinde deceptus habet jus dissolvendi contractum, ad quem fraude & dolo pertractus fuerat, & in id decipiens consentire tenetur, quia alterum dolo & fraude circumveniendo, ei injuriam fecit, quam resarcire tenetur, à contractu recedendo, si deceptus id expetierit. Talis ergo contractus cum sit ex se validus, decipientem obligat absolute, & irrevocabiliter, neque habet jus illum rescindendi, deceptus vero obligatur tantum sub conditione, si inquam nolit contractum rescindere. Si enim velit contractui stare, tunc deceptor tenetur, nonnisi omnem injuriam, & damnum decepto irrogatum resarcire. Et quamvis unus contrahentium alterum inculpabiliter decipiat per dolum & fraudem quæ dat causam contractui, adhuc potest deceptus contractum dissolvere, quia reipsa injuriam patitur, & taliter contrahentium sensus & voluntas hæc est, ut nolint se irrevocabiliter obligare, nisi stante veritate eorum, quibus alter contrahens inducitur ad contrahendum.

Verum

Verum hæc intelligenda sunt de iis contractibus, qui dissolubiles sunt, & rescindi possunt, nam qui ex se indissolubiles sunt, quales sunt ii, qui statum hominis firmum, immutabilem constituunt, veluti Matrimonium, Professio, Sacra ordinatio, hæc propter errorem, dolum, fraudem circa qualitatem, atque accidentalia obrepentem, quæ dat causam contractui, actuique, atque etiam ab uno contrahentium provenit, dissolvi nequeunt, quia in his voluntas agentium naturæ contractus, actusve qui fit se accomodat, & absolute, ac irrevocabiliter consentit independenter ab iis omnibus quæ non constituunt talis contractus, actusque substantiam.

4to: Si error vel dolus circa qualitatem & accidentalia rei, de qua instituitur contractus dans causam contractui, & ad illum permovens, sit solum incidens in contractum, quia nimirum à neutro contrahentium provenit, tunc non solum contractus ex se validus est, sed etiam à decepto rescindi nequit, quia licetsi circa qualitatem rei, de qua factus est contractus deceptus fuerit, sed non circa substantiam rei, ac proinde voluntarie in contractum consenserat, neque necesse est, ut qui contrahit omnes qualitates rei noscat, alioquin vix ulli contractus forent validi. Præterea quia cum deceptus, non ab altero contrahentium seductus sit, quia aliunde error obvenerat, non est ab eo injuriam passus, ac proinde non habet contra ipsum jus, ut initum contractum etiam ipso nolente rescindat. Ab hoc tamen excipitur promissio gratuita, & donatio liberalis, quæ possunt revocari pro arbitrio decepti, si error vel dolus circa notabilem quantitatem causam dederit, & ad promittendum sive donandum induxerit, quamvis non proveniat ab eo, cui donatio, aut promissio facta est. Quia in his pactis unus solum se sponte & ex liberalitate obligat, ideoque ab illius solius voluntate pendet, ut prædicto pacto opponat conditionem, vel limitationem quam voluerit, qualis & hæc est ut nolit irrevocabiliter obligari, si notabilis sit error, vel mutatio rei appromissæ, aut liberaliter donatæ. Aliud est de contractibus onerariis, & reciprocis, qui pendent à voluntate duorum sese mutuo obligantium, qui sic invicem obligari volunt, ut secluso errore circa substantiam rei, vel contractus, & dolo quolibet ac fraude dante contractui causam, & ab altero contrahentium proveniente rescindi ab alterutro non possint, alioqui sæpe nulla foret contractuum securitas, & pateret via innumeris litibus.

nam

nam facile alteruter contrahentium sibi persvaderet se fuiſse deceptum.

Quæres 6to: Utrum validùs, ac firmus sit contractus ex metu initus?

Resp: 1mo: Quæ fiunt ex metu etiam gravi proveniente à causa naturali, sive intrinseca, sive extrinseca valida sunt. Quare actus, atque contractus, qui ex tali metu fiunt, rati sunt, quia istiusmodi metus voluntarium non tollit, nec proinde impedit consensum, qui ad quoslibet actus atque contractus omnino neceſsarius est. Hinc promiſsio, vel donatio in morbo metu mortis pauperi, vel Ecclesiæ facti valent, licetsi ex gravi metu facta sint.

Pariter si metus gravis incutiatur ab extrinseco agente, si juste incutiatur etiam ad extorquendum contractum non irritat contractum, quia qui ex tali metu contrahit, etsi aliquomodo, & secundum quid, invitus sit, vere tamen in contrahendo liber est. Ergo valide contrahit. igitur qui sponsalia contraxit, aut puellam seducendo corrupit, poſset aliquando gravi etiam metu compelli ad matrimonium cum ea contrahendum.

2do: Contractus ex metu gravi injuste ad extorquendum contractum incuſso, factus in se validus est, quia talis metus libertatem electionis non aufert, neque impedit quin istiusmodi contractus ex deliberatione voluntarie fiat, quamvis contrahens nollet contrahere, si metus abeſset, ſed ad evitandum malum, actu hic & nunc vult contrahere. Sunt tamen nonnulli actus, contractusque, qui ex metu gravi injuste incuſso facti jure positivo irriti ſunt, & tales ſunt Matrimonium, ſponsalia, Religiosa profeſsio. Hæc inquam si metu extorta fuerint jure positivo nulla sunt.

Attamen contractus metu etiam respective gravi & injuste incuſso extorti ad arbitrium illius, qui metum paſsus est, rescindi poſsunt. Quia qui metum alteri injuste incuſsit, injuriam ei fecit ipsum vi ad contrahendum adigendo, ergo hanc injuriam resarcire tenetur, liberum ei relinquendo si velit contractum tenere, aut ab eo recedere, quare etiam omnia quæ ex contractu metu injusto extorto secuta ſunt compensare tenetur. Hæc autem contractus resciſsio, nonnisi ad arbitrium metum paſsi fieri debet, unde si ipse velit contractui stare, qui metum incuſsit ab eo recedere non potest, quia in se validus est, & jus illum rescindendi non competit injurianti, sed solum injuriam paſso.

Atque

Atque id totum locum habet etiamsi metus gravis injuste incutiatur non ab altero contrahentium, sed à tertio interveniente, ad contractum extorquendum, quia is â quo gravi metu contractus extorquetur semper injuriam patitur, & propterea jus habet eum rescindendi, neque huic alter contrahentium obsistere potest, quia nullum commodum lucrumve quærere ac reportare debet ex illata proximo injuria, qui metu gravi injuste incuſso ad contrahendum adactus est. Rescindi ergo ab eo potest. Imo bene multi Theologi docent, metu gravi & injuste incuſso extortos contractus, & cum injusto vexatore initos, si nonnisi ad se liberandum ab injusta vexatione facti sint, reipsa invalidos eſse, quia ut sim liber ab injusta vexatione, id mihi stricto jure debitum est, ergo de eo nemo mecum pacisci potest, deest itaque tunc materia de qua mecum quis contrahere poſsit, deest quoque contractus. Hinc si furi mortem tibi inferre volenti, aut malevolo homini domum tuam comburere minitanti pecuniam dederis ut desistat, nulla est ista datio, teneturque latro id omne, quod hac via accepit, ante omnem sententiam Judicis restituere. Quodsi tamen istiusmodi contractus cum injusto vexatore initus talis sit, quia in eo utrinque aliquid datur, & accipitur, quamvis in se validus est, quia non sola injusta vexatio redimitur, ſed & lucrum aliquod quæritur, attamen semper ab eo, qui metum injuste paſsus est rescindi potest, quia non est æquum ut commodum quis capiat ex illata alteri injuria, per metum gravem injuste incuſsum ab eo contractum extorquendo.

Prorro non refert an metus sit absolute, an respective gravis. Nam metus respective gravis, id præstat propter fragilitatem personæ metum patientis, quod metus absolute gravis, homines enim meticulosæ indolis, non minus commoventur levibus malis, quam viri fortes gravioribus, ideoque metus etiam respective gravis repugnantiam creat.

3tio: Si metus non incutiatur ad extorquendum actum contractumque, sed alia de causa etiam injuste, neque ab eo cum quo contractus instituitur, aut in cujus gratiam actus ſit, ſed ab alio tertio, tunc actus contractusque & omnino validi sunt, & rescindi nequeunt, ut si quis latrones incidens, metu ne ab illis occidatur, vel ſpolietur, alteri qui hujus violentiæ non est particeps, promittat, aut det pecuniæ summam, ut eum liberet

tunc

tunc & donatio valet, rescindique non potest, promifsa adimplere tenetur. Quia tunc metus non est proprie causa actus, aut contractus qui fit fed solum occasio, nec actus, aut contractus metu extorquetur, fed cum metus ob aliam causam sit injectus, contractus, actusque sponte adhibetur tamquam medium ad illium depellendum. Jlle vero qui metum injuste incufsit tenetur restituere, & compensare omnia damna quæ ex tali metu injuste incufso promanarunt, quia illorum prima est causa.

4to: Metus undequaque levis in Contractibus non attenditur, quia ex Regula juris 184. *Vani timoris justa excusatio non est*, siquidem metus levis non præsumitur fuifse causa contractus, & alioqui si propter metum levem etiam injuste incufsum rescinderentur contractus daretur locus infinitus litibus, namque quisque prætenderet se ad contrahendum metu adactum fuifse. Si tamen certum efset, quod metus levis injuste incussus vere dederit causam contractus, & eo fublato contractus non fuifset factus, justitia exigerit ut pro voluntate, & arbitrio metus pafsi contractus rescindatur, quia qui metum etsi levem incutit veram infert injuriam quam tollere ac resarcire tenetur, eum qui ex tali metu egit, libertati restituendo, & suæ voluntati relinquendo. Quare qui metu sive gravi sive levi injuste incufso contractum extorsit, tenetur in conscientia id omne restituere, quod ex tali contractu lucratus est, omneque damnum emergens, & lucrum cefsans metu adacto compensare.

Quæres 7mo: Quinam contrahere pofsint?

Resp: Conntrahere pofsunt ii omnes, qui usu rationis pollentes liberam bonorum suorum administrationem, seu legitimam, & non impeditam de illis disponendi, facultatem habent. Quia contractus quilibet humano modo fieri debet, id est cum advertentia & libere. Quare rationis usum exigit, cumque per contractus de rebus nostris disponimus, illarum dominium in alios transferimus. Ii ergo soli contractus facere pofsunt, qui & usu rationis præditi funt, & plenam habent de bonis fuis disponendi facultatem. Posito itaque libero rationis usu, & jure de rebus fuis disponendi non ligato, neque legibus positivis coarctato, nihil plus requiri potest ut quis contrahere pofsit. Hinc *1mo*: contrahere valide nequeunt infantes, qui necdum ad annus discretionis pervenerunt, pariter amentes, ebrii, furiosi, quia usu rationis carent. 2do: Qui sub Parentum, aut Tutorum potestate degunt quia

quia licet annos discretionis habeant, liberam tamen administrationem non habent, & ideo contrahere nequeunt.

Quæres 8vo: De quibus rebus contractus constitui possunt?

Resp: De iis omnibus rebus contractus constitui possunt, quarum proprietatem dominium, & liberam administrationem habemus. Quare venditio, emptio, permutatio rei alienæ, quæ nostra non est, nulla & irrita ſunt. Hinc etiam Tutores, Curatores, bona Pupillorum alienare, permutare nequeunt, quia dominium eorum non habent sed solam administrationem. Pariter Filii familias qui bona aliunde sibi donata & inscripta habent, si necdum annos pubertatis compleverint, de illis nullos contractus facere poſsunt, quia licet dominium eorum habeant, non tamen administrationem, ac propterea de ipsis disponere nequeunt. Jam vero puberes eſse censentur, & bonorum suorum administrationem obtinent ex Jure Polonico, qui annos ætatis ſuæ quindecim compleverunt, ex Statuto vero Lithvanico qui ad annum decimum octavum pervenerunt, illumque consumarunt.

Quæres 9no: An non etiam ad valorem contractuum requirantur forma, & certæ à legibus præscriptæ sollemnitates?

Resp: Juxta positivas nostrorum Regionum leges, ad Contractus, ut validi sint, quædam formalitates, ac sollemnitates, maxime ubi agitur de Bonis immobilibus, prærequiruntur exg. ut emptio, venditio à duobus vel tribus Testibus, vulgo *Pieczętarzy* subscribatur, ut a Venditore personaliter constituto eorum Notario, Actisque publicis, sive etiam coram competente Judicio recognoscatur, ac roboretur. Hæ & similes formalitates atque sollemnitates in constituendis contractibus servari debent, ut validi sint. Sed & juxta usitatam, consvetudine firmatam, atque legibus præscriptam formam constitui, & conscribi debent.

ARTICULUS 2dus

De obligatione, quæ ex contractu profluit.

Quæres 1mo: Utrum quilibet contractus pariat obligationem?

Resp: Obligatio est vinculum quo quis adstringitur ad aliquid dandum, faciendum, vel amittendum, ac proinde

inde

Inde obligatio quæ stricta est, oritur ex debito vel charitatis, religionis, vel justitiæ, & hæc posterior effectus est contractus, qui ex omni parte validus est. Hæc vero triplex est. *Naturalis*, quæ injure naturali fundatur & conscientiam stringit, quamvis in foro externo contractus non tribuat jus injudicio agendi contra alterum contrahentem. *Civilis* quando contractus tribuit jus in judicio contra alterum contrahentem procedendi propter aliquam præsumptionem, quamvis in conscientia non obliget, quia videlicet præsumptio reipsa non subsistit, quod vulgo dicitur, *Sprawa prawna, ale nie sprawiedliwa*. *Mixta*, scilicet: simul naturalis, & civilis, quæ & in foro conscientiæ stringit, & in foro externo tenet. Igitur omnis contractus in se validus, & secundum positivas leges constitutus, parit obligationem naturalem, quæ in conscientia stringit, licetsi civilem non invehat obligationem. Et id manifestum est ex ipsa natura contractus, quo contrahentes sese adinvicem data fide obstringunt. Lex autem divina & naturalis obligat ad servandam alteri datam fidem, eamque fallere, intrinsece malum est. Etsi ergo aliquando vigore contractus non posſit actio in Judicio contra alterum contrahentem institui, in foro tamen interno stringitur, & contractui satisfacere obligatur. Verum tamen mutuo contrahentium consensu, contractus, si ex se solubilis sit, disſolvi & rescindi potest. Quia per quas causas res constituitur, per easdem destruitur. Uterque siquidem contrahentium juri suo, quod per contractum acquisivit, cedere potest, unus autem absque altero a contractu resilire nequit, quia uterque contractu ligatus manet.

Quæres 2do: An contractus sine sollemnitatibus à jure requisitis factus, inducat obligationem in conscientia stringentem?

Resp: Sollemnitates à jure ad contractus requisitæ, ſunt certæ quædam conditiones, quæ ex legum præscripto in contractibus faciendis servari debent vg. ut contractus fiat coram Notario, ut certus adsit testium numerus. Ex iis vero sollemnitatibus aliæ requiruntur ad eſse simpliciter, unde sine illis factus contractus nullus ac irritus est, aliæ requiruntur tantum ad melius eſse, unde absque illis contractus subsistit. Itaque 1mo: contractus, quibus desunt conditiones ad contractum simpliciter necessariæ, irriti ſunt, & in foro etiam conscientiæ nullam pariunt obligationem. Quia contractus invalidus, ac irritus, cum nullus sit, nullam potest parere obligationem. Porro contractus

ctus sine sollemnitatibus juxta legum præscriptum omnino necessariis facti, etiam in foro interno nulli sunt ac irriti quia potestas civilis potest quasdam ad validitatem necessarias contractibus apponere conditiones, quod & reipsa factum est, ac constitutum, civiles autem leges in conscientia etiam obligant. Igitur contractus sine prædictis sollemnitatibus facti in foro etiam interno irriti sunt, ac propterea nullam in conscientia pariunt obligationem. Jam vero sollemnitates in jure ad faciendum contractum præscriptas, simpliciter, & ad valorem contractus prærequiri cognoscitur, ex verbis legis & ex recepta consvetudine, quare prorsus nulli sunt contractus si lex declaret illos sine præscriptis sollemnitatibus factos irritos & invalidos esse, nullum jus parere, nullum debitum inducere, illudque quod ex tali contractu acquisitum est, restituendum esse.

2do: Contractus facti sine sollemnitatibus quæ tantum ad melius in contractibus ex legum præscipto requiruntur, ac proinde ad valorem contractus non omnino sunt necessarii, validi sunt, & in conscientia obligant, quia etsi per leges contractus sine istis etiam accidentalibus solemnitatibus fieri prohibeantur, attamen non irritantur, & in suo manent robore, multa siquidem per leges fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Igitur si contractus quispiam prohibeatur tantum propter accidentales loci, temporis vel personæ circumstantias, non desinit valere, & obligationem inducit.

Omnis itaque contractus juxta leges, & consvetudines loci, regionisque præscripta fieri debet, & hæc bene sciri & ponderari debent, ut tuto, & sine errore dijudicetur an contractus quispiam validus vel invalidus, licitus, aut illicitus sit.

Quæres 3tio: An contractus de se invalidi, aut qui rescindi possunt, juramento roborentur, & confirmentur?

Resp: Si contractus ex natura sua invalidus sit, non firmatur juramento, quia juramentum utpote contractui extrinsecum, nihil in natura contractus immutat, sed eum in suo relinquit esse, neque potest supplere defectum substantialem propter quem invalidus est, Si ergo contractus ex natura sua invalidus sit, non firmatur juramento. Pariter si contractus, quamvis ex natura sua validus, sed jure positivo irritus sit, juramento non firmatur, si hæc irritatio propter bonum commune facta sit quia talis contractus vergit in detrimentum communitatis

tis, juramentum factum contrarium est bono communi, ac proinde de re illicita, nullum ergo effectum parere potest, & ipsum nullius est roboris. Hac de causa sponsalia metu extorta, juramento superveniente non roborantur, sed omni carent robore, quia id propter bonum commune est legibus constitutum, ex talibus siquidem sponsalibus, & illos subsequente Matrimonio sequerentur odia, ac lites, quæ publicæ paci adversantur. Quodsi irritatio contractus lege facta sit tantummodo ob bonum & propter utilitatem privatorum, quemadmodum nonnunquam contractus Pupillorum irritantur ne immatura ipsorum ætas nocumento ipsis sit, tunc contractus juramento roboratur, quisque enim potest renuntiare favori sibi per legem concefso, & reipsa qui juramento confirmat contractum, quem lex in gratiam ipsius irritat, favori per legem sibi concefso renuntiat, atque vult contractum à se factum omnino valere, illumque propterea juramento corroborat. Igitur tales contractus juramento firmantur. Si tamen contractus vim, dolum, aliamque injuriam ex parte illius cui juratur contineret, neque tunc ita juramento firmatur ut rescindi non pofsit, quia qui injuriam alteri per vim, dolum, aut alio quocunque modo intulit, illam reparare tenetur, juri si quod per contractum acquisivit renuntiare, ut jurans & contractum propter illatam sibi injuriam rescindere, & juramenti reletationem petere ac obtinere pofsit.

Verumtamen juramentum contractui superveniens sive contractum confirmet, sive non, obligat, & servari debet, quando servari potest sine peccato aut præjudicio alterius. Namque juramentum natura sua á quovis discrepat contractu, siquidem ad juramentum sufficit deliberata Dei in testem invocatio. ad contractum autem ut validus sit alia prærequiruntur, potest igitur juramentum stare, & validum efse licet contractus invalidus sit, neque juramento firmetur. Juramentum autem omne si validum sit obligat, & ob reverentiam nominis divini servari debet, quando sine peccato jurantis, & præjudicio tertii servari potest. Quodsi tale juramentum servari non pofsit sine gravi, aut levi jurantis peccato, aut etiam sine præjudicio tertii, quia juramentum vinculum iniquitatis efse nequit, efset vero si obligaret ad id, quod sine peccato, aut præjudicio alterius fieri nequit. Unde Regula juris 56. in 6to inquit: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.*

Hæc autem obligatio quæ ex juramento contractui superveniente profluit, quando per ipsum contractus non roboratur, est obligatio solius religionis, scilicet propter reverentiam divini nominis stringit jurantem. Unde nullum jus tribuit illi, cui juratur, atque hac religionis obligatione, per relaxationem juramenti sublata, nulla superest obligatio. Si vero per juramentum contractui superveniens, contractus roboretur, ac confirmetur, tunc duplex adest obligatio, una Religionis ex juramento profluens, altera justitiæ ex contractu dimanans, unde obtenta etiam juramenti relaxatione, adhuc remanet obligatio ex ipso contractu profluens, nisi contractus ipse justis de causis rescindatur.

Quæres 4to: An, & quando obligationem pariunt contractus conditionati?

Resp. 1mo: Contractus sub conditione impossibili aut turpi, seu de re illicita facienda initus, nullam parit obligationem & est jure naturali invalidus, quia valor hujusmodi contractus secundum intentionem contrahentium, pendet ab apposita conditione, quæ cum vel non possit poni, quia impossibilis est, vel non debet poni, quia turpis, & illicita est, contractus istiusmodi nugatorius esse censetur & sine seria contrahentium voluntate factus reputatur. Contractus vero cui deest consensus, & seria contrahentium voluntas, iure naturæ nullus est. Ergo nullus ac irritus est contractus, cui apponitur conditio turpis, aut impossibilis, nullamque parit obligationem. Certe conditionate contrahens, non vult contrahere, neque obligari, nisi posita conditione, cum igitur conditio impossibilis nunquam poni possit, nunquam contrahens potest obligari, & ipse nequit efficaciter velle contrahere cum sentiat conditionem quam contractui adijcit, & cui consensum voluntatemque suam adstringit, impleri non posse. Conditio etiam turpis, seu de re illicita facienda in iure, & communi hominum sensu pro impossibili habetur, quia illud solum homo rationabiliter posse censeri debet, quod licite & honeste facere potest, nemo etiam obligari potest ad peccandum, & ad id prestandum quod licite fieri nequit. Igitur contractus quibus apponitur conditio impossibilis aut turpis de re scilicet illicita facienda, nullam inducunt obligationem, & in se invalidi sunt.

Veruntamen in Matrimoniis, ac Testamentis appositæ conditiones sive impossibiles, sive turpes ex iure com-

communi pro non adiectis reputantur, tam in foro externo, quam etiam in foro interno. Unde valet Matrimonium licetsi ipsi apponantur conditiones turpes, aut impoſsibiles, quia tales conditiones non supponuntur serio Matrimonio adijci, & contrahentes presumuntur velle Matrimonium contrahere secundum leges Ecclesiæ, quæ prævalet intentioni conditiones Matrimonio apponenti. Unde Gregorius IV. cap: ult: de condit: statuit: *ut conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi.* Si tamen conditio turpis eſset contra substantiam Matrimonii, tunc propter eius appositionem non valeret Matrimonium. Nam tunc deest sincera voluntas illud contrahendi, nemo enim potest sincere velle matrimonium contrahere, & simul velle id, quod substantiæ matrimonii adversatur, illudque destruit. Quare idem Gregorius IV, statim subiungit: *Quod si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta si alter dicat alteri, contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu.*

Valent quoque testamenta, legata, atque ultima voluntas, quamvis ipsis apponantur conditiones aut turpes, aut impoſsibiles, quia pro non adiectis reputantur, & dispositio testatoris, aut legatarii, censetur eſse absoluta, appositis conditionibus minime alligata, supponitur namque voluiſse efficaciter de rebus suis disponere, non vero iocari & ludere. Quare appositæ conditiones sive turpes, sive impoſsibiles, potius ex errore, ignorantia, adiectæ reputantur, arbitrando illas poſsibiles, & honestas eſse, non vero ex seria voluntate suam dispositionem illis alligando. Unde merito talis testator, atque legatarius præsumitur, istas conditiones suo testamento, aut legato, nullatenus apposuiſse, si sciviſset illas turpes, aut impoſsibiles eſse, & propterea suum legatum, aut testamentum irritum fore. Et istiusmodi testamenta, legata non solum valent in foro externo propter dispositionem iuris communis, quo testamentis, atque ultimis voluntatibus turpes aut impoſsibiles appositæ conditiones pro non adiectis reputantur, sed etiam valent in foro interno, quia merito præsumitur fuiſse absoluta, & ijs conditionibus non alligata testatoris, ac legatarii

gatarii

gatarii voluntas nisi certo constet de contraria disponentis voluntate.

Aliud vero leges statuerunt de contractibus inter vivos, ut inquam nulli, & irriti sint, si illis conditiones turpes, aut impoſsibiles adiectæ fuerint; quia vivis communiter nihil nocet, quod contractus illorum nullus, ac irritus sit, quia adhuc reiecta turpi aut impoſsibili conditione, novum contractum facere poſsunt, & qui sanus, ac roboratus contractum facit apposita turpi, aut impoſsibili conditione, non contrahere, sed ludere atque iocari censetur, qui vero de morte cogitat, illique approximat, neque ei suppetit tempus dispositionem emendandi, & non potest supponi, quod velit ludere aut iocari. Quare appositæ ab ipso testamento sive legato, turpes, aut impoſsibiles conditiones pro non adiectis reputantur.

2do: Contractus sub conditione de præsenti, aut præterito, hic & nunc validus aut invalidus est, prout conditio hic & nunc posita, & impleta est, vel non impleta. Valor siquidem, aut nullitas talis contractus unice pendet ab apposita conditione quæ si posita, & impleta est, contractus validus, ex conditionato transit in absolutum, & statim obligat, si vero apposita conditio impleta & verificata non est, contractus ruit, & nullius roboris est. Pariter si conditio sit de re neceſsario futura, contractus validus est, & statim obligat, quia conditio de re neceſsario futura, æquivalet conditioni de re præsenti propter eventus certitudinem. Porro contractus sub conditione de præsenti, si adimpleta est conditio, statim obligat, neque eius suspenditur obligatio. Ergo & contractus sub conditione de re neceſsario futura hic & nunc obligat, neque illius obligatio ultra suspenditur.

3tio: Contractus sub conditione de futuro contigenti factus non obligat ante impletam conditionem, sed executio illius suspenditur usque ad eventum conditionis, quia contrahens non intendit se obligare nisi posita conditione, ergo quoadusque ponatur, & verificetur, obligatio ex contractu profluens suspenditur. Expectare igitur debent contrahentes, conditionis eventum, neque possunt â contractu resilire ante effluxum tempus quod implendæ conditioni præfixum est, & ad id statim vi ipsius contractus obstringuntur. Neque etiam licet contrahentibus conditionis eventum impedire, quodsi unus eorum conditionis eventum impedierit, adhuc alteri contrahentium, qui contractui stare vult, obligatus manet,

&

& contractui satisfacere tenetur, quia ex Regula iuris 66. in 6to. *cum non stat per eum ad quem pertinet quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuiſset*. Certe qui conditionis eventum impedit, injuriam alteri facit, uterque siquidem vi contractus conditionis eventum expectare tenetur, non debet autem ex hac injuria alteri irrogata lucrum reportare, reportaret vero. si conditionis eventum impediendo ab eius satisfactione immunis foret. Non tamen tenetur conditionem implere sub qua contractus factus est, etsi eventus ipsius, & positio ab ipso dependeat, si ipsam ponere vel non ponere illius liberæ sit voluntatis, sic si Petrus promiserit Paulo centum aureos, si uxorem duxerit, non ideo uxorem ducere tenetur, quia per contractum non se obligavit ad conditionem ponendam veluti in allato casu, ad uxorem ducendam. sed ad standum contractui impleta conditione. ad centum aureos enumerandos postquam uxorem duxerit.

Posita autem & adimpleta conditione, contractus conditionatus transit in absolutum, & statim obligat, nam tunc ponitur id, quo posito contrahentes voluerunt se obligare, ergo jam obligati manent, neque ad id novo opus est consensu, exceptis iis contractibus qui non solo consensu, & pacto, sed traditione perficiuntur, qualis est, emptio. Quare si consensus ante impletam conditionem revocatus fuerit, non valebit contractus sine novo consensu, neque tunc traditio fieri potest, quæ sine consensu illius, cujus res est, fieri nequit. Si vero contractui apposita conditio, tempore præfinito non fuerit impleta, contractus ruit, & in irritum recidit, unde jam non obligat, quia valor contractus appositæ conditioni alligatus erat, ea igitur deficiente, ipse contractus ruit, & in nihilum abit.

Quæres 5to: Qui præterea contractus appositam conditionem habere videntur, & quomodo illi obligant?

Resp: Plures sunt contractus, qui licet expreſse appositam conditionem in se non contineant, attamen vel conditionati reipsa sunt, tacite oppositam conditionem in se continentes, vel ad contractus conditionales accedunt, iisque aſsimilantur. Tales autem quatuor recensentur, videlicet ad diem, ſub modo, ad causam, & cum demonstratione. Et quidem *1mo*: contractus *ad diem* cui nimirum certum tempus & dies præfixus est, quo impleri debet, ut si Petrus promiserit Paulo certam pecuniæ sum-

summam festo Paschatis solvendam. Hic contractus statim obligat, huic tamen obligationi debitor ante præfixum tempus satisfacere non tenetur. Quodsi contractui tempus quidem annexum est, sed vagum, & indeterminatum, ut si cui certa pecunia appromifsa sit cum Varsavia redierit, obligatio talis contractus suspenditur, quia reipsa est conditionalis, unde non nisi impleta conditione, & re ad effectum deducta, cum nempe Varsavia reversus fuerit, contractus incipit obligare, & promifsa pecunia solvenda est.

2do: Contractus *sub modo* seu potius cum onere, qui fit, cum contractui additur modus & imponitur onus, sub quo contractus obliget exg. cum Petrus donat Paulo equum cum ista obligatione ut domum suam locet Andreæ. Legatum quodpiam Andreas fecit, ut tot Mifsæ quolibet anno celebrentur. Istiusmodi autem contractus statim obligat, neque irritus redditur etiamsi impositum onus non impleatur, neque modus servetur sub quo constitutus est. Quia modus, & onus contractui adjectum non se habet per modum conditionis contractum suspendentis, sed veluti quidpiam contractui adjectum, supponitque contractum, donationem inquam, aut legatum in suo efse, perfectum, atque illud consequitur. Verum quidem, est quod qui tale legatum, donationemque acceptavit, atque onus impositum in se suscepit, stricte, & ex justitia illud adimplere tenetur, sed si non adimpleat, non propterea legatum, aut donatio irritatur. Hinc si quis certam summam legaverit, ut tot quolibet anno Missæ celebrentur, Hæredes legantis non pofsunt istiusmodi summam sibi appropriare, eo prætextu quod Mifsæ non celebrentur, sed tantum jus habent ad cogendum ut Mifsæ celebrentur, utque sic præscripto modo, & imposito oneri satisfiat, annulare vero legatum, donationemque factam non pofsunt. Si tamen donans, legans exprefse voluifset, ut donatio, legatum, nulla forent, non servato modo, & non adimpleto onere, donatio hæc, & legatum, reipsa corruerent, si modus non servetur, & onus adjectum non impleatur.

3tio: Contractus *ad causam* est ille, in quo allegatur ratio, & exprimitur causa propter quam contractus initus, donatio, inscriptio, facta est, talis est contractus cum Petrus Paulo donat pecuniam, agrum, aut domum fuam quia pauper, cognatus ipsius est. Porro causa propter quam contractus instituitur, donatio inscribitur, vel est finalis, quæ ita movet contrahentem, donantem ut

sine ea actu, & de facto contrahere, donare, aut quoquomodo disponere nollet, vel est impulsiva quæ quidem movet, ut promptiori, & alacriori modo, contractus, legatum fiat, verum tamen etiamsi ipsa absit, adhuc contrahens donans, legans rem, ita vult fieri, & intendit facere. Igitur deficiente causa finali, propter quam contractus instituitur, legatum aut donatio fit, hæc omnia irrita, & invalida sunt. Si vero sola causa impulsiva desit, contractus, donatio, legatum, ceterique actus valent & tenent, ac proinde obligant, quia in priori casu deest consensus ac voluntas contrahentis, & agentis, in posteriori vero sufficiens adest voluntatis consensus. Nequit enim voluntatis adesse consensus ubi finalis, & principalis non subsistit causa volendi, hac vero posita, licetsi alia causa impellens, sed non principaliter movens absit, manet, & subsistit voluntatis consensus, quo posito actus agentis, contractus, legatum, donatio validi sunt, & in suo robore permanent. In dubio autem utrum in contractu, donatione expressa causa quæ deest fuerit finalis, an impulsiva, præsumitur tantum fuisse impulsivam, quando donans, aut quoquomodo disponens, intendebat favere, & commodum præstare ei, pro quo disponit, & cui legat, donat.

4to: Contractus *cum demonstratione* est ille, cum in ipso apponitur aliquid ad rem quæ donatur, inscribitur, aut ad personam cui legatum fit denotandam & ostendendam Et aliquando hic error, & falsitas occurrere possunt, atque propterea dubia de valore contractus, legati, donationis, inscriptionisque suboriri solent. Verum error & falsitas in demonstratione contingens, vitiat contractum, & quamcunque dispositionem, quando sunt circa substantiam rei, aut etiam circa ipsam personam; secus si error, & falsitas, sit tantummodo circa accidentalia. Quia demonstratio fit, ut peculiariter indicetur res, de qua fit contractus, aut quæpiam dispositio, & persona cui res quæpiam disponitur. Si ergo constet de re & persona, jam tenet & valet dispositio, contractusque. Porro cum error & falsitas demonstrationis non cadit in substantiam rei, neque in personam, sed solum in quædam accidentalia, jam constat & de re de qua fit contractus, ac dispositio, & de persona cui res disponitur. Valida ergo sunt, & in suo persistunt robore. Hinc si facta sit alicui donatio, & in nomine ipsius erratum est, vocitando illum Petrum, qui Paulus dicitur, cum de ipsa constet persona, aut si quis

quis alteri vendat prædium suum, asserens illud positum esse in Districtu Vilnensi, cum existat in Trocensi, error erit in demonstratione circa accidentalia, & non vitiat contractum. Qui vero legato suo inscripsit Paulo certam pecuniæ summam, affirmans illam sibi à Petro deberi, atque apud ipsum repositam esse, cum Petrus nihil ei debeat, neque prædictam summam ab eo receperit, error in demonstratione erit circa substantiam rei, & legatum irritum est.

Quæres 6to: Ad quid obligat contractus alternativus, seu sub disiunctione factus?

Resp: Si disiunctio cadat in res diversæ speciei exg: si Petrus promiserit Paulo bovem, vel equum, ambo manent sub obligatione, promittens tamen nonnisi unam ex illis pro suo arbitrio electam dare tenetur. Una autem ex iis pereunte, promittens illam dare tenetur, quæ superest. Si vero disjunctio cadat in res eiusdem speciei, & quæ differunt solum penes plus & minus, vg. promisit quispiam alteri centum vel quinquaginta aureos, satisfit contractui si detur minus, quia utrumquê pendet ab electione, & arbitrio promittentis.

Quæres 7mo: Ex quali culpa in contractibus oritur obligatio restituendi?

Resp: Culpa duplex distingvitur theologica, & juridica seu civilis. Culpa theologica est peccatum homini imputabile, sive mortale, sive veniale sit. Culpa juridica, seu civilis, est omissio diligentiæ debitæ, ad cognoscendum, cavendum, vel faciendum, aut providendum ex qua sequitur damnum alteri, sive illa omissio sit peccatum, sive non, & hæc triplex est, lata, levis, & levissima. Culpa lata est omissio diligentiæ, quam passim in rebus ejusmodi propriis adhibere solent homines diligentes, & prudentes ejusdem conditionis. *Levis* est omissio diligentiæ quam adhibere solent homines diligentiores, & accuratiores, atque prudentiores. *Levissima* est omissio diligentiæ quam soli diligentissimi, & prudentissimi, atque in rebus suis curandis accuratissimi adhibere solent. Ut si quis exg. librum sibi commodatum relinquat ante ostium domus, & pereat, tunc censetur perire per culpam latam, si illum reliquit in cubiculo suo, non obserato ostio, & pereat, perit ex culpa levi, si ostium cubiculi obseravit, sed non probavit an esset bene obseratum, & liber pereat, perit ex culpa levissima.

Itaque si contractus cedat in utilitatem solius acci-

pi

pientis, ut in commodato accipiens tenetur ad restitutionem, non solum ex culpa lata, & levi, sed etiam ex levſsima. Si vero contractus cedat in utilitatem solius dantis, tenetur ad restitutionem ex culpa lata. Tandem si contractus cedat in utilitatem utriusque contrahentis, ut contractus pignoris, locati, uterque tenetur ad restitutionem damni secuti ex culpa lata, & levi, non autem leviſsima.

CAPUT SECUNDUM

De Contractibus in specie.

Quæres: Qui sunt præcipui contractus?

Resp: Præcipui contractus ſunt, venditio emptio, mutuum, locatio, conductio, & hi contractus ſunt onerosi, quia in iis utrinque aliquid datur, & accipitur. Promiſsio, donatio ſunt contractus gratuiti, quia in illis accipitur, & nihil rependitur.

ARTICULUS Imus

De venditione, & emptione.

Quæres Imo: Quid sit venditio, quid emptio?

Resp: Emptio est pactum, quo unus alteri obstringitur dare certum ac determinatum pro merce pretium. Venditio est pactum, quo unus alteri obligatur mercem tradere pro prætio determinato. Unde emptio, & venditio realiter non ſunt nisi unus contractus mutuo inter duos vel plures constitutus. Perficitur vero absque prætii ſolutione, & sine mercis traditione, ſolo scilicet consensu partium exterius significato, quo se mutuo obligant, venditor ad mercem tradendam, emptor vero ad prætium solvendum, ita, ut postquam de prætio convenerunt, neuter à contractu resilire poſsit. Attamen sine traditione rei venditio, ac emptio complete non perficitur, neque dominium rei ab uno ad alterum transfertur, quare res uni vendita, ſed non tradita, si alteri vendatur & tradatur poste-

posterioris est, quia per traditionem, venditio complete perfecta est.

Nomine autem mercis, seu rei que venditur, & emitur intelligitur id omne, quidquid pecunia æstimari solet, nomine autem pretii intelligitur quantitas pæcuniæ, quæ pro merce solvitur, si enim merx pro merce daretur, non eſset venditio, aut emptio ſed tantum permutatio, nisi simul cum alia merce daretur pecunia, quæ valorem adjunctæ mercis ſuperaret. Debet autem pretium eſse determinatum, quia si res quæpiam venderetur pretio indeterminato, seu quod voluerit dare emptor, contractus non est completus. Quodsi pretium tertiæ personæ determinandum relinquatur, adeo ut promittat emptor venditore consentiente se id soluturum, quod exg. Petrus decreverit, posita Petri taxatione, contractus perficitur. Si etiam emptor justum promittat pretium, quantitatem illius non determinando, contractus non est perfectus, propter incertitudinem pretii, nisi lege, publica taxatione, pretium eſset determinatum.

Res quoque quæ emitur, ac venditur debet eſse ſufficienter determinata, etiamsi aliquando ignoretur qualitas, aut quantitas ejus, ut cum emitur res in spe exg. agrorum, aut arborum fructus, qui multis modis perire poſsunt. Si emptor rem gustare, videre, aut probare velit, venditio, etsi de pretio jam conventum sit, non obligat nisi postquam probata, vinum exg. degustatum sit.

Emptio autem ac venditio fieri debet secundum statutas leges, & Regionum consvetudines, quæ certas sollemnitates in venditionibus atque emptionibus, maxime bonorum immobilium prærequirunt, quæ si desint, aliquando venditio, aut emptio irrita, & nulla est, aliquando valet & tenet, sed in Judicio irritari, & annulari potest. Locorum ergo leges & consvetudines attendendæ sunt, & bene ponderandæ.

Quæres 2do: Quæ vendi poſsint?

Resp: Ea omnia vendi poſsunt, quorum dominium & liberam administrationem habemus, nisi resistat lex naturalis, vel positiva. Hinc 1mo: sine peccato gravi vendi nequeunt res per se malæ, & ita ad malum usum determinatæ, ut ad bonum, aut indifferentem adhiberi nequeant, ac proinde, quibus homines mali communiter abutuntur, quales ſunt libri obscenitate pleni, imagines lasciviam spirantes, cantilenæ adversus proximi honorem concinnatæ, Codices calumniis, detractionibus referti, irreligione, bla-

sphe-

aphemiis, erroribus scatentes, quia qui hæc vendunt, directe præbent aliis occasionem peccandi. Res vero ex se indifferentes, quibus emptor potest bene, & male uti, tunc non pofsunt sine peccato vendi, quando venditor verisimiliter prævidet, emptorem iis male usurum, quia tunc alterius peccato cooperatur, occasionem & materiam peccandi ei præbendo; quare graviter peccat qui gladium vendit furioso, aut puellæ gravidæ potionem ad procurandum abortum.

2do: Peccant quoque qui vendunt res, lege positiva vendi ac emi prohibitas, quia leges positivæ in conscientia obligant, & venditores talium rerum sæpe exponunt se periculo ingentium damnorum, quod charitati sibi, suisque debitæ adversatur, cum nonnunquam ex inde sequatur exitium, familiæ ruina. Quæcunque igitur sine peccato vendi non pofsunt, hæc vendi non debent. Sed & illa vendi non debent, quæ ex natura sua vendi nequeunt, quales sunt res omnes pure Spirituales, quia prætio non sunt æstimabiles, res quoque Spiritualibus annexæ, aut benedictione sacratæ, vendi non possunt: quia rationem Spiritualium induunt: unde taxari, ac perconsequens neque vendi pofsunt. Quare Beneficia, jus patronatus, Olea Sacra, vendi nequeunt.

Quæres 3tio: An qui aliena pecunia emit rem, illam suam faciat?

Resp: Qui suo nomine rem aliquam emit alterius pecunia, rem illam facit suam, quia in eum contractu venditionis dominium rei venditæ a venditore transfertur, & ille sibi eam, emptione acquirit; ergo illius est, attamen, qui aliena pecunia rem emit, non solum alteri peccuniam acceptam restituere tenetur, sed & quidquid ille damni hac occasione pafsus est, compensare debet. Et pariter qui alterius nomine rem emit, non sibi sed illi ipsam acquirit, cuius nomine emit, licetsi propria pecunia pretium constitutum solverit, quia totus Contractus & ex verborum sonantia, & ex intentione contrahentium in ejus favorem constituitur, cuius nomine emptio perfecta fuit, qui rem alieno nomine emit, quamvis eam emat infra pretium sibi præfixum, non potest residuum prætii sibi retinere. Quia qui emptionem alteri commisit, & pretium quo emi debeat præscripsit, non intendit residuum donare, sed solum vult ut res non pluris ematur, & hoc ipso quod quis commifsum sibi alterius suscepit negotium, se obligat ad ejus commoda procuranda, neque aliter res

ge-

gerenda alicui committitur. Similiter qui rem alterius vendit supra pretium sibi designatum, non potest istiusmodi excefsum sibi retinere, quia dominus rei suæ constituens pretium intendit solum, ut non minoris ipsa vendatur, non autem ne pluris vendatur, totum ergo acceptum pretium cum sit pro re domini, & valori eius respondeat, domini rei, non autem, venditori debetur. Neque hunc excefsum accepti pretii, pro adhibita industria ac defatigatione sibi venditor aut emptor retinere potest, nam vel ipsam industriam ac defatigationem gratis in se suscepit, & tunc non poterit illa sibi compensare, vel constituta mercede appromisit, & tunc nihil ultra ipsam exigere valet, vel ex debito servitii ac famulatus illa præstitit, & tunc ex officio sine nova mercede ad ea præstanda obligatus fuit. Hinc facile colligere est, quid sit sentiendum de Proxenetis vulgo *Faktorowie* quibus accedunt Commifsarii, Plenipotentiarii, & quibus res variæ, aut etiam bona immobilia ad vendendum, vel emendum committuntur, de his hæc statuuntur. *1mo*: Si Proxeneta, Plenipotentiarius rem vendendam ex suo & propria industria melioraverint, ideoque maiori pretio, quam à Domino fuerat constitutum, vendiderint, pofsunt aliquid sibi retinere quod industriæ eorum correspondet. Idem dicendum, si ad rem maiori pretio vendendam, extraordinaria usi sint diligentia, & qualis nec debetur domino, nec ab eo exigi solet, ut si Factori, aut Plenipotentiario commifsa sit res Vilnæ vendenda, & pro ea non dantur nisi viginti floreni, eam alio transtulerit ubi sexaginta florenis vendita est. Præterea si Proxeneta, Plenipotentiarius exprefse cum Domino convenerit, ut retineat id, in quo excedat pretium sibi constitutum, potest illud sibi servare. Exprefsa est conventio, si Dominus dicat suo Plenipotentiario. Tanti rem vende, quod ultra erit, tuum esto. Tacita autem erit isthæc conventio, si Dominus ei, qui neque famulus eius, neque Factor conductus est, neque ita amicus, ut operam eius gratuito præstandam merito præsumere pofsit, venditionem, aut emptionem committit, nihil ei afsignando stipendii pro labore, & industria merito enim præsumitur in stipendium afsignafse, quod ultra præfixum pretium invenerit, vel infra constitutum emendo lucratus fuerit, nisi hæc diligentiam, laborem, ac industriam ipsius excedat. *2do*: Si Proxeneta, Plenipotentiarius non ficte sed serio, prætio à Domino constituto rem sibi emat, & sic factam, suam aliis ma-

maiori pretio revendat, hoc incrementum sibi appropriare valet, quia hoc nullum affert damnum Domino, qui statutum â se rei suæ pretium recipit, & Proxeneta, sive Plenipotentiarius ex re quæ iam illius est, emolumentum iustum quærere potest. Ad hanc tamen commercii speciem neceſse est. ut Proxeneta, sive Plenipotentiarius rei sic emptæ periculum in se suscipiat, & apud se statuat rei pretium a Domino constitutum solvere, etiamsi contingat, ut rem non tanti vendat, quanti ipsemet emerat. Extra hos casus Proxeneta, Plenipotentiarius, qui vendit supra, vel emit infra constitutum â Domino pretium, id quod supra, vel infra est, non potest sibi retinere, quia nullo titulo id sibi appropriare valet. Non ratione rei, quia illius non est, non ratione contractus, quia non suo sed alterius nomine rem emit, vendit, non denique ratione præfixi á Domino pretii, quia id quod est supra, vel infra neque tacite, neque expreſse ei aſsignatum fuiſse præsumitur. Unde etiam Plenipotentarii, qui bona, resque Domini sui vendendo, inter concurrentes unum præferunt ſpe aliquid ab eo pro extradendo venditionis contractu, vulgo *Kontraktowe* accipiendi, injuriam Domino faciunt, defraudant ipsumque, quia tantum Dominus deperdit de pretio suarum rerum bonorumque, quantum Plenipotentiarius lucratur, id enim totum is pro re, bonisque, præ aliis ad emptionem concurrentibus obtuliſset, si a Proxeneta, aut Plenipotentiario non fuiſset prælatus & aſsecuratus. Idem dicendum est de Proxeneta, qui res Domini sui minoris vendit, quam vendi poſsint, ut ab emptoribus aliquid accipiat.

Quæres 4to: Quale pretium in venditione ac emptione constitui debeat!

Resp: Justo prætio res semper vendi, atque emi debet, quia ut emptio ac venditio iuste fiant, æqualitas servari debet inter rem & prætium pro ipsa constitutum, ut tantum detur pecuniæ, quantum res ipsa valet. Justum autem est pretium, quod valori rei correspondet. Ergo emptio ac venditio, ut iuste fiant, res semper iusto pretio vendi & emi debet. Unde nunquam licet vel minoris emere, vel pluris vendere, quam exigit iustum rei pretium, ac propterea tenetur in conscientia venditor exceſsum accepti pretii emptori restituere, & emptor supplere defectum dati venditori pretii. Nam illud quod deficit, aut excidit non censetur liberaliter, & gratis donatum, sed pretium datur solum

tan-

tanquam debitum pro merce, merx vero tanquam debitum pro numerata pecunia, & quamvis non semper detur actio in foro externo, in foro tamen interno semper est obligatio restituendi, & compensandi, quando vel infra iustum pretium res emitur, vel supra iustum pretium venditur.

Porro iustum prætium vel lege, edicto, est constitutum, & dicitur *legale*, vel communi hominum æstimatione rei appositum est, & dicitur *vulgare*. Pretium autem vulgare triplex est, videlicet *infimum* infra quod iuste descendi non potest, *medium* ultra quod iuste ascendi, & infra descendi potest, *supremum* seu rigorosum ultra quod iuste ascendi non potest. Atque ex hac pretii latitudine provenit, ut quis modo rem emat 10. florenis, & statim absque peccato vendat alteri 12.

Justi vero pretii latitudo facile afsignari non potest, quare potius res taxanda est prudenti hominum iudicio, pensatisque omnibus quæ concurrunt, quam certis & fixis limitibus constituenda. Admitti tamen solet hæc regula, ut res quo vilior est, minus habeat latitudinis in pretio, plus vero quo fuerit pretiosior. Sed pretium rei non est repetendum neque ex physico solum eius valore, quia alias mus vivens plus valeret, quam pretiosa margarita quæ vita caret, neque etiam ex comparatione cum usu rei, gemma enim modici usus est, & tamen pluris valet quam ingens cerevisiæ dolium, neque etiam ex rei necefsitate, alioqui panis unus sine quo quis ultra vitam protrahere non potest, pofset illi pluris vendi, quam pretiosa quæque supellectilia. Prima ergo iusti pretii ratio, repetenda est ex comparatione pretii cum re ipsa, secundum communem hominum æstimationem considerata, maior autem vel minor æstimatio rei peti debet ex maiori, vel minori copia tum rerum venalium, tum pecuniæ, tum etiam emptorum. Quin etiam & modus vendendi efficit, ut res minoris æstimentur, viliori enim pretio emuntur, quæ integre, vulgo *całkiem* emuntur, quam quæ minuttatim, vulgo *garcem*, *łokciem*, atque vetus est adagium, merces quæ ultro offeruntur, & importune obtruduntur, vilescere. Sed in hoc nonnunquam charitas, & iustitia violatur, hinc enim fieri potest ut pauperibus res suas vendere coactis, non servetur æqualitas, sed aflictis nova addatur aflictio. Fatendum tamen, eum non peccare emendo pretio minori, qui rem, qua non indiget emit, ut venditori gratiam prestet, aut qui

qui emere non potest, quin aliquid patiatur incommodi. At hic bona fide opus est, & hoc pensandum, quod sicut venditor iniuste agit, cum ob emptoris solam necessitatem pretium adauget, sic & iniuste agit emptor, cum præcise ob venditoris inopiam pretium rei minuit.

Quæres 5to: Quod ergo censendum est iustum pretium, quo emi, & vendi res debeant?

Resp: 1mo: Pretium si quod est lege, aut edicto publico constitutum, iustum censeri debet, & merces iuxta illud, & non aliter vendi, & emi debent. Quia lex atque edictum publica authoritate constitutum, semper præsumuntur eſse iusta, nisi aperte contrarium constet. Porro legi ac edicto iusto obsequendum est, adeo, ut qui constitutam taxam non servaverit, peccet, & ad exceſsum pretii restituendum teneatur. Et hæc taxa rerum vendibilium lege, aut edicto publico constituta, consistit in indivisibili, unde augeri non potest, neque etiam refragante venditore ab emptore minui valet. Licet tamen eam aliquando minuere, quando res minus valet, quam sit lege vel edicto constitutum, & tunc res illa pretio constituto iuste vendi nequit, quia alioqui taxa eiusmodi legalis, in favorem emptorum constituta, in eorum cederet dispendium. Pariter si res quæ venditur, notabiliter valore excedat, alias, quæ communiter vendi solent, potest ipsa licite vendi supra pretium lege vel edicto constitutum, quia lex aut edictum cadit in res ut ordinarie eſse solent. Sed ut à lege & edicto publico tuto recedi poſsit, exceſsus valoris in re quæ venditur notabilis & manifestus eſse debet, alioqui lex & edictum inutile redderetur, quilibet siquidem venditor contenderet mercem suam ordinaria meliorem eſse.

2do: Si nullum sit pretium lege, aut edicto publico constitutum, res vendi, & emi debet iuxta pretium vulgare, communi scilicet hominum æstimatione constitutum, & qui aliter fecerit, tenetur ad restitutionem. Quia venditio iusta non est, nisi res & prætium rei æqualia sint, & secum commensurentur, non autem secum commensurantur, si res non vendatur pretio aut legali, quod est constitutum, aut etiam vulgari. Hoc autem vulgare pretium iustum est, sive sit medium, sive infimum, sive supremum, modo non sit neque infra infimum in emptione, neque supra supremum in venditione. Hinc peccant & ad restituendum tenentur, *1mo:* qui ultra iustum pretium merces suas vendunt extraneis, quia cum

hæc

his etiam sicut & cum aliis servari debet æqualitas. *2do:* qui fraude, aut mendacio alium inducunt ad emendum maiore pretio, quam alias apud alios emiſset, quamvis non ultra summum pretium emerit, quia quilibet ius habet ut dolo & fraude non adducatur ad rem pretio supremo & rigoroso emendam, cum illam minore pretio emere poſsit. venditor ergo tunc est in causa cur maiori pretio empta fuerit, & hunc exceſsum compensare tenetur. *3tio:* Qui postquam de pretio infimo convenerunt, occulte accipiunt supremum, seu emptorem in numeranda pecunia decipiendo, seu aliquid de re vendita subtrahendo, quia conventio facta servari debet, & dolo ac fraude proximum circumvenire nunquam licet. *4to:* Qui alicui rem pluris vendunt, quia maiore in eam fertur affectu, ei utilis, aut valde neceſsaria est, quia affectus, utilitas, aut indigentia emptoris valorem rei non auget, neque est proprietas venditoris, ergo propterea pretium rei, quam vendit, augere non potest. Communis tamen ementium ad rem quempiam affectus, pretium eius auget, quia communem hominum huiusce rei estimationem, unde rerum pretium pendet, adauget.

Neque qui ultra iustum pretium pro re vendita, aliquid accipit, à restituendo liber est, ea quod sibi hoc ab emptore offeratur, quia quod ultra legitimum pretium pro re empta offertur, censeri debet oblatum ex errore, qui voluntarium perimit, ac proinde non voluntarie offertur, aut etiam offertur ex affectu erga ipsam rem vel ex neceſsitate, non itaque liberaliter offertur, ac propterea retineri nequit, nisi contrarium rationabiliter præsumatur, ut de Principibus, diivitibus, atque amicis nonnunquam præsumi poteſt.

3tio: Res quæ neque vulgare, neque legale habeat pretium, quales sunt gemmæ, margaritæ, veteres picturæ, non poſsunt vendi tanti, quanti venditor vult, sed vendi debent secundum illarum æstimationem qui res illas norunt, & taxare sciunt. Quia res quælibet eo debet pretio vendi, quod inspectis omnibus ipsi commensuratum prudenter iudicatur. Porro tale est pretium quod viri intelligentes iudicant respondere rei, quæ nec vulgari, æstimatione, nec lege, aut edicto taxata est. Ergo tali nonnisi pretio, non vero ad arbitrium venditoris, vendi debet, alioquin venditor, qui rem suam ipse centum florenis valere iudicat, poſset ipsam mille florenis vendere illi, sui multum placet, & qui vult ipsam

comparare quocunque tandem pretio. Hoc autem absurdum est. Attamen res quædam in una Regione vilissimæ, quia magni æstimantur apud alios, pretio etiam magno vendi poſsunt iis in locis, ubi magni æstimantur.

Quæres 6to: An, & quibus de causis venditor pretium mercis augere poſsit?

Resp: Potest, quia multis in circumstantiis, & ob varias causas, res pluris valet, quam alioqui valeret. Dum vero valor rei augetur, iuste etiam pretium illus augetur. Porro causæ propter quas venditor pretium rei augere potest, sunt sequentes. *1mo:* Copia pecuniæ, vel emptorum, & mercium penuria, tunc enim & merces, quæ â pluribus quæruntur, & deffícilius inveniuntur, pluris æstimari consveverunt. *2do:* Impensæ in mercibus conquirendis, & conservandis adhiberi communiter solitæ. Quodsi unus aut alter mercator, plures fecerint impensas, quam alii, non ideo pretium augere poſsunt, sicut nec minuere tenentur, si ordinarias expensas, casu quodam felici non fecerint, quia nec infortunium, nec felicitas unius, aut alterius venditoris, communem hominum de re quapiam æstimationem mutant. *3tio:* Si merces minutatim vendatur, plus enim laboris subit, qui sic vendit, quam si simul, & in magna quantitate venderet. *4to:* Rationabilis vendentis affectus in rem, quam in gratiam alterius vendit, quia tunc venditor non solum re sua se privat, sed & commodo suo atque oblectatione, quam ex illa percipiebat, quæ pretio æstimabilia sunt; hinc domus quæ avita est, & commodata, pluris æstimatur, & pluris vendi potest. *5to·* Lucrum quod ceſsat, aut damnum quod emergit ex venditione hic & nunc facta, ut si venditor rem certo servaturus erat in aliud tempus, quo verisimiliter pluris vendenda eſset, aut si, ideo, quia nunc merces suas vendit, futurum sit, ut alias maiori pretio postea emere cogatur. Et hoc verum est etiamsi lege, aut edicto pretium rei statutum foret, quia hæc respiciunt rem in se spectatam, non habita ratione damni, aut incommodi, quod venditor rem vendendo sustinere potest.

Verum circa duos postremos casus, quatuor sunt annotanda *1mo*: venditor monere debet emptorem, cum rem pluris vendit, quam valeat secundum se, quia forte nollet emptor incommodum venditoris redimere. *2do:* qui pluris vendit merces suas, quia eos in aliud tempus servaturus erat, debet deducere, tum impensas quas in

servandis facturus erat, tum varia pericula quibus ſobnoxiæ sunt merces, quæ diû servantur, alioqui non servaretur æqualitas, dum venditor plus hodie reciperet, quam poſt tres exg: menseſ recepturus erat. *3tio*: Si venditor rem suam ultro vendendam offerat, nón potest quidpiam exigere pro damno emergente, quia non tenetur emptor avertere incommodum, quod venditor sponte subire vult. *4to*: Mercator sub prætextu particularis sui affectus, mercem suam carius vendere nequit, quia ratione muneris sui paratus eſse debet ad merces suas iusto pretio alienandi, & qui non est publicus mercator, affectum suum erga rem, quam alteri vendit, ad rationis, & moderationis terminos reducere debet, ne pretio enormi alterum oneret. Quæ etiam in publicis licitationibus & auctionibus venduntur, ita quoque augeri potest, unde infra & supra vulgare pretium emi, & vendi poſsunt, quia ibi omnia incerto, & casuali pretio subijciuntur, & potestas publica illud pro iusto pretio æstimare censetur, quod in publico emptorum concursu oblatum & acceptum fuerit, modo tamen absint fraus & dolus, quæ multis modis adeſse solent, & quidem *1mo*: si venditor occultos rei expositæ defectus celet. *2do*: si fictos licitatores immittat, qui se emptores simulant, ut pretium rerum augeatur. *3tio*: Si emptores inter se conspirent, ne ullus ultra tale pretium ascendat, qui tamen sine dolo rogat alterum ne plus certa quadam quantitate offerat, ut ipse infimo pretio rem obtinere poſsit, à culpa excusari solet.

Sunt etiam variæ causæ, propter quas emptor potest minori pretio rem emere, quam alias valeat. Et istiusmodi causæ, ex mox dictis, sequentes eſse dignoscuntur. *1mo*: Si res emptori parum sit utilis, nec illam emat nisi in gratiam venditoris. Item si res ultro offerantur, & emptores quæruntur. Res enim vilescit, tum ex eo quod emptores non inveniantur, tum ex eo quod ementi parum sit utilis, & minime neceſsaria. Non licet tamen vilius emere res pauperum, quas ipsi necessitate compulsi venales proponunt, & præcise ob necessitatem, qua proximus rem suam vendere cogitur, pretium imminuere iniustum est, perinde ac illud augere ob neceſsitatem ementis, quia sicut emptoris neceſsitas non auget valorem rei, sic etiam venditoris inopia, eundem absque alio titulo non minuit. *2do:* Cum emptorum pauci inveniuntur, & mercium ingens adest copia,

pia, minoris namque æstimatur, quod minus quæritur, & cuius maior est copia. Quo etiam maior mercium quantitas emitur, eo minori pretio solvitur, quia hoc emendi modo, mercator à multis liberatur curis, & expensis, & fit expeditior ad novas merces comparandas, quod ei proficuum est.

Quæres 7mo: Sed licetne ultra iustum pretium vendere, aut emere, eo quod emptor, aut venditor illud ignoret?

Resp: Non licet, quia ex errore, & ignorantia alterius, utilitatem, atque emolumentum suum, cum detrimento proximi, quærere non licet. Quare si venditor, aut emptor pretium ignoret, moneri debet vel generaliter indicando rem pluris, vel minus valere, vel etiam specialiter, si opus fuerit, afsignando iustum pretium, licet infimum afsignari pofsit, quia infimum etiam pretium iustum est. Unde ad restitutionem tenetur, qui ab habete rustico gemmam emit multo minoris, quam ex communi æstimatione scit illam valere, quod verum est, etiamsi rusticus ipse eam offerat pretio viliori. Quodsi quis emerit gemmam, lapidemque, cuius ipse solus miram aliquam virtutem cognosceret, aut herbarum fasciculum, in quo laterent herbe prætiose, statim nisi emantur à venditore tradendæ ànimalibus in pabulum, sufficeret ut eam emeret prætio communi, quia privata cognitio ei nocere non debet. Quodsi vero tam emens, quam vendens, pretium rei ignorent, & se ignorare scientes de pretio rei conveniant, valet contractus, nec ulla est restituendi obligatio, etiamsi aliquis eorum læsus fuerit, quia uterque contrahendo sorti se commiserant, & sic se volentes exposuerunt lucro, & damno.

Quæres 8vo: An mercator, qui prævidet magnam mercium copiam paulo post efse futuram, ob quam eorundem valor insigniter minuetur, pofsit merces suas pretio currente vendere, & emptor, qui scit mercium pretium brevi tempore augendam efse, pofsit easdem sive in suum usum, sive aliis vendendas, currenti pretio, quod longe minus est, emere?

Resp: Pofse id facere emptorem, & venditorem. Quia emptor, & venditor, in præsenti casu emit, & vendit justo, ac legitimo pretio. Justum namque rei pretium illud est, quod res habet ex communi hominum æstimatione. Porro emptor tunc emit, aut venditor vendit rem pretio quod habet ex communi hominum æstimatione, neque enim privata unius, aut alterius scientia, commu-

nem æstimationem mutat. Ergo etsi prævideatur, sive mercium copiam, sive earum pretium augendum fore, currenti pretio & vendi & emi poſsunt. Pariter qui prævidet futurum ut valor pecuniæ augeatur, vel minuatur, potest hic & nunc juxta currentem ipsius valorem, merces, resque cuiusvis generis emere, aut vendere. Neque charitas vetat ne pretio currenti vendantur, aut emantur res brevi plus aut minus valituræ, quia charitas non prohibet ne quis sibi, rebusque suis consulat, utendo jure quod ipsi competit, licetsi per accidens aliquis inde aliquod detrimentum patiatur. Porro emptor & venditor jus habent ut res emant, ac vendant curenti pretio, ergo per hoc charitatem proximo debitam non ledunt. Potest tamen in hoc aliquando peccari contra charitatem, ut si pauperi magnam copiam rerum quis vendat, quarum pretium brevi notabiliter imminuitur, unde is in magnam egestatem coniicitur. Quia charitas vetat ne proximus in magnam egestatem coniiciatur, ut nostrum lucrum in tuto maneat, aut detrimentum à nobis avertatur, sicut jubet ut ei subveniamus etiam cum aliqua bonorum nostrorum iactura. Quare sicut peccat contra charitatem, qui non subvenit proximo in gravi neceſsitate constituto, cum id potest sine gravi suo damno, ita à fortiori peccat, qui eum in talem neceſsitatem ultro coniicit, ut lucretur, & nihil perdat, atque ex paupertate illius divitias sibi comparet.

Sed contra justitiam non leve eſset peccatum, pretio currente rem vendere, quam venditor scit brevi corrumpendam, ac pereundam exg: equum brevi moriturum, vinum in acetum convertendum, quia corruptio, aut ad corruptionem sive interitum dispositio, est rebus intrinseca, ac proinde cum iam tunc dum venditur, vitiosa sit, minus valet, ac propterea currenti pretio vendi non potest. Pariter contra justitiam peccat, qui prævidens mercium pretium brevi minuendum, alium mendacio, dolo, fraudibus inducit ad emendum cum suo damno, quia sua fallaci agendi ratione, est alteri causa damni & detrimenti. Graviter quoque contra justitiam peccant, Magistratus, aut Principis Ministri, si pretia rerum immutent propter privatam suam utilitatem, aut legis, sive edicti promulgationem differrunt, quibus vel pretia rerum, vel valor pecuniarum immutatur, ut interim merces suas vendant, aut ab aliis ipsas emant, vel pecunias suas expendant. Quia eorum officia ad communem utili-

ta-

tatem instituta sunt, ergo iis abuti non debent in damnum aliorum, propter privatam suam utilitatem.

Quæres 9no: An licet pluris vendere, propter dilatam, aut minoris emere, ob anticipatam solutionem?

Resp: Vendere supra justum pretium, quod supremum excedat propter dilatam solutionem, & emere infra justum pretium, quod infimo minus est, propter anticipatam, non licet, quia res vendi & emi semper debet pretio justo, sive illud sit supremum, medium, vel infimum: si ergo vendatur res pretio quod excedit supremum, aut ematur pretio quod infimum non adæquat, jam res venditur & emitur pretio injusto, & propterea emptio & venditio est iniusta, atque iniqua, neque enim pretium rei æstimari potest ex anticipata, aut dilata solutione, quia res hodie tanti valoris est, sive hic & nunc pro ipsa solvatur pecunia, sive prius aut posterius enumeratur. Ergo propter dilatam solutionem, pretio quod supremum excedit non licet vendere, neque propter anticipatam, licet emere pretio quod infimum non adæquat. Sed intra latitudinem justi pretii, licet pluris vendere propter dilatam solutionem, aut minoris emere, propter anticipatam: quare qui credito vendit, potest supremo pretio vendere, & qui emit anticipata solutione, potest pretio infimo emere, licetsi ille numerata pecunia vendidiſset pretio infimo, & iste non emiſset, nisi pretio supremo, quia illa pretia sive supremum, sive infimum, justa sunt.

Attamen licet etiam supra latitudinem pretii, sive vulgaris, sive legalis vendere, propter dilatam solutionem, aut infra illud emere, cum anticipate numeratur pecunia. *1mo:* ratione lucri ceſsantis, vel damni emergentis. Sed attente observandum est, an non sit fictus ille lucri ceſsantis, aut damni emergentis titulus, ut sæpius eſse solet apud Mercatores, qui vel tantam habent pecuniæ copiam, ut totam in negotiationes impensuri non sint, vel tot habent merces, ut partim oporteat eas numerata pecunia vendere, partim credito, unde dum credito, & rigoroso pretio vendunt, tam lucrantur, quam lucrarentur, si numerata pecunia venderent, quia & minus mercium distraherent, longe autem plus, eas credito divendendo, & eas parata vendendo pecunia, minori eas pretio vendere cogerentur. *2do:* cum venditor suum pretium ab emptore obtinere non poterit sine expensis, quia expensæ faciendæ locum habent damni emergentis, ut

si

si emptor absens eſse debeat, aut si non soleat solvere, nisi post multa venditoris ad eum itinera.

Quæres xomo. Cum res venduntur anticipata solutione, & accepta modo pecunia, & res non nisi post aliquod tempus tradenda est, quomodo pretium ipsius statuendum est an juxta tempus quo venditur, & pecunia accipitur, an juxta tempus, quo emptori traditur?

Resp: Pretium rei constituendum est relate ad tempus, quo res emptori tradenda est. Quia res, aliquot post factam venditionem mensibus tradendæ, non emuntur prout actu sunt, cum venditio fit, sed prout erunt cum tradentur, ergo ut justum pretium ipsis constituatur, debet constitui secundum æstimationem, quam habebunt eo tempore, quo emptori tradentur. Hinc injustum est, emere nunc pretio currente triticum, tradendum eo tempore quo speratur plus vel minus valiturum. In dubio autem an merces tempore traditionis plus vel minus valituræ sint, poſsunt vendi juxta pretium quod habent tempore contractus, ob anticipatæ solutionis, quia in hoc casu æqualis est sors vendentis, & ementis.

Quæres xxmo: Utrum Chirographa, vulgo Wexle, Karty, Obligi, *emi poſsint minori pretio, quam valeant, numerando scilicet, & exsolvendo summam minorem, quam in ipsis descripta, & aſsecurata sit?*

Resp: Si istiusmodi Chirographa, sint liquida, certa, & facilis illorum exsolutio, non licet hæc minori summa emere, quam in se contineant, quia tunc non servatur æqualitas pretii cum re empta, siquidem summa pecuniæ credita, Chirographo aſsecurata, minoris emitur, quam in se sit, & valeat, neque enim nummi centum modo numerati pluris valent, quam post sex Menses numerandi; quandoquidem valor eorum propter anticipatam aut dilatam eorum solutionem, nec minui, nec augeri potest. Si ergo chirographa certa, liquida, ac secura sint, non licet ea minoris emere, quam valeant, & in se contineant. Certe si debitum centum nummorum, chirographo aſsecuratum, nunc sine difficultate, molestia, atque sine ullo damno exigendum, valet centum nummos, ergo etiam debitum centum nummorum chirographo aſsecuratum, post sex Menses sine ullis expensis, absque molestia, difficultate repetendum, totidem valet nummos. Non itaque sine lesione æqualitatis, ac proinde sine in-

iuria

iuria alterius, minoris propter anticipatam solutionem emi poſsunt.

Quod si vero chirographa, *Wexle*, *Karty*, *Obligi*, sint litigiosa, eorum solutio incerta, dificilis; licite emi poſsunt minori pretio quam valeant. Sicut enim quod tantum est in spe, minoris valet, quam quod actu habetur, ita etiam quod dubium est, minoris æstimatur, quam quod est certum. Cum itaque istiusmodi chirographa, communi æstimatione minus valeant, quam in se contineant, minoris etiam emi poſsunt. Certe ipsæ molestiæ, curæ, defatigationes in vindicandis istiusmodi chirographis, neceſsario adhibendæ, pretio æstimabiles sunt, iam ergo aliquid datur, dum magnis curis & non sine molestiis vindicandæ emuntur, & cum præterea ex tali emptione aliquando sequitur lucrum ceſsans, aut damnum emergens, iuste, & licite minoris emi poſsunt, quam in se valeant. Et hoc verum est, quamvis debitum chirographo communitum in se arduum ac difficile, ab emptore propter quasdam singulares circumstantias, sine expensis, & facile vindicari poſsit, quia valor rei non sumitur ex privata utilitate ementis, sed ex communi hominum æstimatione, quæ profecto chirographum incertum, & debitum ad recuperandum difficile in se continens, minoris reputat, quam sit ipsum debitum quod in eo cóntinetur. Facilitas etiam recuperandi debitum chirographo aſsecuratum, & inde in emptorem redundans utilitas, tota ipsius propria est, ab industria illius & felici res agendi modo dependens, quam chirographum vendenti locare non tenebatur, ea itaque valor chirographi augeri nequit, hac igitur non attenta, tanto pretio chirographum emere potest, quanti ex communi hominum æstimatione valet.

Ipsis autem debitoribus, quorum sunt chirographa, *Wexle*, *Karty*, *Obligi*, non licet ea minoris, quam valent redimere, quia ipsi persolutionis dilationem, & obstinatam in non reddendis justis debitis duritiam, sive etiam per illicitam prodigalitatem, qua impares ad solvenda debita reddantur, sunt in causa, cur illorum chirographa minoris æstimentur & minus valeant. Aliunde etiam ipsi ad integram debitorum suorum solutionem obligantur, ergo minoris illa redimere nequeunt.

Quæres 12mo: Cuinam res vendita fructificat, seu ad quem pertineant fructus rei venditæ?

Resp: 1mo: Quando res vendita, emptori tradita est,

est, & ab eo solutum pretium, emptori fructificat, unde ad eum omnes fructus rei venditæ pertinent, quia contractus venditionis, sive emptionis, perfectus ac omnino consummatus est, & per traditionem rei venditæ, emptor plenum illius acquirit dominium. Idem est si res vendita tradita sit, quamvis ab emptore non sit solutum constitutum pretium, quia vel dilatio solutionis ei a venditore concefsa fuit, vel fides ab emptore de solvendo pretio venditori data, ab eo acceptata fuit. Sed qui rem frugiferam credito emit, percipere quidem potest fructus illius rei, sed tenetur venditori compensare interefse, seu utilitatem quam ex soluto pretio venditor habuifset, sive prædicta summa negotiando, sive ex ea annuum censum lucrando, alioqui non efset æqualitas inter vendentem & ementem, cum emptor & re empta potiretur, & fructus ex illa perciperet, venditor vero & re vendita, & pretio pro ipsa constituto careret, & neque ex pretio rei venditæ, neque ex ipsa re vendita fructus perciperet. Ut itaque æqualitas sit inter emptorem & venditorem, qui credito rem frugiferam emit, pretii, quod non solvit, interefse venditori solvere tenetur, compensando omne lucrum cefsans & damnum ex illa dilatione solutionis emergens, & hoc tamdiu, quoadusque pretium non fuerit solutum. Non tamen eiusmodi interefse non soluti pretii solvitur, propter dilationem solutionis, sed propter lucrum censans, aut damnum ex non soluto pretio emengens. Quod si lucrum cen ans, aut damnum emergens, nullum interveniat, solutio etiam interefse dilati pretii fieri minime debet.

2do: Cum propter culpabilem venditoris moram, res vendita emptori non est tradita, licetsi ipse pretium necdum solverit, neque pro persoluto reputatum fuit, tunc omnes fructus rei venditæ sunt emptoris, quia res ei debita est, adeoque & fructus qui ex ea nascuntur, unde venditor tunc in conscientia tenetur ad omnem utilitatem, tam intrinsecam, quam extrinsecam emptori referendam, quia mora sua culpabili, causa est damni totius. Utilitas autem, seu *interefse* intrinsecum, sunt omnes fructus ex re percipiendi. *Interefse* autem extrinsecum, sunt fructus ab industria emptoris dependentes, ut si rem alio, ubi carior est, translaturus erat.

Quœres 13tio. Ad quem pertinet periculum rei venditæ?

Resp: Interitus, destructio, ac deterioratio rei vendi-

tæ, atque emptæ, est ipsius periculum, & sic brevitatis causa exprimi consvevit. Itaque 1mo: Si res vendita pereat, aut deterioratur, postquam emptori tradita fuit, sive pretium solutum iam fuerit, sive non, emptori perit, & deterioratur, quia emptor per traditionem, plenum illius dominium acquisivit, res autem Domino perit, & quemadmodum illi fructificat, ita etiam ipsi deterioratur.

2do: Si res vendita sit determinata in individuo, ut hic equus, hæc domus; aut vendita sit quo ad suam totalitatem, ut hic grex; si etiam ante traditionem pereat, perit emptori, modo tamen perfecta, & absoluta sit venditio, neque venditor in mora sit, vel culpa. Quia emptio, & venditio perficitur solo mutuo contrahentium consensu, & cum primum de merce tradenda, & pretio solvendo convenerint, emptio ac venditio perfecta est. Et quamvis sine traditione rei venditæ, emptor non acquirat dominium illius inconcufsum, tamen acquirit jus ad omnia illius commoda, utilitatesque, & cum ei obveniant commoda, sentire quoque debet & incommoda, atque onera. Verum si emptio, ac venditio non fuit perfecta, & absoluta, sed sub conditione, & res pereat ante conditionis eventum, perit venditori, quia venditio sub conditione facta, ante conditionis eventum, non est perfecta, neque completa. Pariter si venditor vel sit in mora rem venditam extradendi, vel in culpa ipsam conservandi, si pereat, aut deterior fiat, id venditori imputatur. Nam venditor tenetur rem venditam custodire, donec ipsam emptori tradiderit, quapropter si pereat res, aut deterior fiat, ejus culpa, ipse de damno tenebitur, secus si culpa eius aut nulla, aut nonnisi levifsima fuerit. Sed maior tamen est venditoris obligatio, si sit in mora rem emptori extradendi, tunc enim tenetur etiam de casu fortuito. Si solus emptor sit in mora, periculum ad ipsum pertinet. Si alter post alterum sit in mora, periculum est illius, qui posterior est in mora, nisi tamen mora prioris sit causa moræ posterioris. Si vero uterque simul in mora fuerint, damnum in solum emptorem cadet.

3tio: Si res vendita indeterminata sit, vel determinata quidem, sed vendita sub mensura, pondere, numero, perit venditori, quamdiu non est mensurata, ponderata, aut numerata. Quia huiusmodi venditiones fiunt sub tacita conditione. *Si res designata, ac determinata fuerit, si mensuretur, numeretur, ponderetur.* Porro venditio,

tio, emptio, sub conditione facta, non est perfecta, & ipsius effectus ad eventum conditionis suspenduntur: ergo res vendita tamdiu manet in potestate, ac dominio venditoris, quamdiu determinata, mensurata, ponderata non fuerit, ad ipsum ergo & periculum ipsius pertinere debet. Hinc si ex grege emifset quis decem oves, & totidem mortuæ sint, non emptori, sed venditori perierunt, quia emptor ex grege decem oves emerat, & grex non periit, ergo adhuc ex illo decem oves extradendæ sunt. Quodsi totus grex perierit, venditor numerum ovium aliunde prebere tenetur; quodsi facto pacto debuerat ex tali grege decem oves extradere, & grex totus sine ipsius culpa periit, reddito pretio, si quod acciperat, ad nihil tenetur. Pariter si quis vendiderit totum acervum tritici, uno aureo pro singulis mensuris, si totus accervus tritici ante mensurationem perierit, non emptori, sed venditori perit, qui proinde restituere pretium tenetur, si solutum fuerat. Quia istiusmodi venditiones factæ sunt, si oves extraditæ, triticum exmensuratum fuerit, quæ conditiones cum adimpletæ non fuerint, venditiones factæ robur non habent. Si tamen constitutus fuerit terminus, in quo res numeranda, vel mensuranda esfet, & emptor monitus in mora sit ad rem emptam recipiendam, periculum rei deinceps emptoris erit, unde pereunte toto grege ovium, aut toto tritici acervo, emptor datum pretium amittet.

Quamvis autem rei, quæ sine determinatione vel ad mensuram, & pondus vendita est, periculum pertineat ad venditorem, quod substantiam ipsius rei, periculum tamen valoris rei, spectat ad emptorem, quapropter si res vendita, antequam numeretur, vel mensuretur, melior fiat, aut deterior, absque venditoris culpa, incommodum, sicut & commodum cadit in emptorem, unde pretium augere propter meliorationem rei, non tenetur, neque propter illius deteriorationem minuere potest.

4to: Cum ex duabus rebus una disiunctive venditur, exg: ex duobus equis unus, sive is, sive ille, non determinando quis precise, si ambæ illæ res post venditionem absolute factam, pereant, emptor tenetur pretium solvere appromifsum, licet nihil recipiat. Si vero alterutra dumtaxat pereat, perit venditori qui tenetur alteram emptori extradere, quia ex duabus illis rebus venditioni expositis, una absolute, & determinate empta est, ac proinde

inde omnino perfectus contractus est, qui adimpleri debet.

Quæres 14to: Quid, de arrha, quæ emptioni apponitur, sentiendum sit?

Resp: Arrha, vulgo *Zadatek*, est quædam species pignoris, quod ab emptore venditori datur. Datur vero arrha ab emptore venditori, sive ut ostendat se emptionem habere pro perfecta, sive, quod communiſsimum est, ut rei emptæ pretium solvere incipiat. Quare Arrhæ, *Zadatki*, prout facta est conventio, & communis fert usus, suum habent effectum. Ex iure communi, qui recusat complere contractum, arrham deperdit, nisi dolo, fraude, à venditore circumventus fuerit. Non licet tamen á contractu legitime inito resilire, ideo unice, quia emptor vult iacturam arrhæ pati, & illam â venditore repetere non intendat, quia contractus semel iuste ac legitime initus, in conscientia obligat.

ARTICULUS 2dus.

De obligationibus venditoris ac emptoris, deque variis venditionis speciebus.

Quæres 1mo: An, & cui res vendita est tradenda?

Resp: Res vendita, tradenda est emptori, tempore constituto. Porro res pluribus succeſsive vendita, & nulli tradita, illi est tradenda, qui prior emit, quia qui prior est tempore, potior est iure, resque priori vendita, non potuit, sine eius iniuria, vendi posteriori: ergo ut hæc iniuria reparetur, res ei, qui prius emit, tradenda est. Si tamen posteriori emptori tradita fuerit, illius est, quia per solam emptionem non acquiritur ius nisi ad rem, per traditionem vero ius in re, & plenum ipsius dominium. Res igitur vendita illius est, cui tradita est, sive fuerit prior, sive posterior in emendo, priori tamen emptori competit actio contra venditorem, ut vel rescisso contractu posteriori, rem sibi tradat, vel sibi compenset omne lucrum ceſsans, aut damnum emergens. Quod autem de venditione modo dictum est, idem procedit in aliis contractibus, donatione, locatione; nam si secundo conductori res locata, & tradita fuerit, is prefertur priori, quia habet tunc rei poſsesionem, & ius ad illam retinendam, ex qua expelli nequit.

Quæ-

Quæres 2do: Utrum venditor emptorem evincere teneatur?

Resp: Evictio est tuitio sive defensio emptoris à quibusvis pretensionibus ex ratione rei ipsi venditæ contra ipsum formatis, & excitatis. Et ad id quilibet venditor in conscientia tenetur, quia accepto pretio pro re vendita, emptorem in posſidenda, ac fruenda re vendita, tutum ac securum facere tenetur. Verum si rem alienam, quam bona fide suam eſse credidit, alteri vendidit, non tenetur ei damnum emergens, aut lucrum cessans compensare, sed sufficit, ut pretium rei acceptum restituat, si emptor re vendita privetur, aut saltem id reddat in quo factus est ditior. Si vero sciebat rem quam vendidit eſse alienam, non solum pretium rei ab emptore acceptum, si re empta privetur, ei refundere debet, sed & lucrum ceſsans, atque damnum emergens, ipsi compensare tenetur. Quodsi tamen emptor sciens, & volens, rem alienam emerit, venditor ad nihil tenetur respectu ipsius, quia scienti, & consentienti non fit iniuria, sed tenebitur erga verum rei dominum, posito quod emptor aut nolit, aut non poſsit damna eius compensare, atque istiusmodi evictio non solum in venditione, sed etiam in quibusvis contractibus onerosis locum habet.

Quæres 3tio: An venditor teneatur defectus rei aperire, ac manifestare?

Resp: Defectus, seu vitium rei venditioni expositæ vel manifestum est, vel occultum, utrumque vero potest facere emptori rem venditam vel periculosam, vel noxiam: periculosam quidem cum emptor vel nullatenus, vel sine periculo ea uti non potest, noxiam vero cum res, quia vitiosa est, minoris valet, & tanti venditur ac si nullum haberet vitium. Igitur *1mo:* si emptor quærat an res careat vitio, ac defectu aliquo, venditor tenetur aperire rei vitia, maxime occulta, & latentia. Quia alioquin emptorem iniuste deciperet, emptor siquidem habet ius cognoscendi rem quam emit, unde illi responderi debet secundum veritatem, idque postulat bona fides, qua contractus constitui debet. Ideoque si venditor aſserat rem vitio carere, dum tamen occulto laborat defectu, & per talem aſsertionem alliciat emptorem ad emendum, qui alias rem illam empturus non eſset, tenetur rescindere contractum, si emptor id velit, quia dolus & fraus causa fuerunt istius contractus. Si vero emptor adhuc illam rem vitiosam emiſset, sed minori

pre-

pretio, venditor tenetur ei restituere ex pretio tantum, quantum minus eam iuste emiſset, quia eatenus eum decepit, & injuriam illi fecit. Quodsi manifesta etiam rei vitia ab emptore non cognosci venditor advertat, & hæc etiam tenetur illi aperire, quia cum generatim de omnibus vitiis rei emendæ interrogatus fuerit, omnia non solum occulta, sed & aperta, quæ emptor non animadvertit, manifestare debet.

2do: Vitium occultum, si rem reddat emptori periculosam, aut noxiam, aut inutilem ad effectum ad quem emitur, venditor etiam non interrogatus emptori manifestare debet, alioquin tenebitur ad restitutionem accepti pretii, & damnorum quæ inde subsecuta sunt, licetsi rem vitiosam vendiderit diminuto pretio, ut si quis vendat pannum adustum, vetustate corruptum, pro recenti & durabili, equum segnem pro generoso, animal infirmum pro sano, semina corrupta pro recentibus, carnes infectas, ovem morbidam, ex qua totus grex morbum contrahit. Quia tunc emptor quasi dolo, & fraude ad emendum inducitur, cum putat mercem bonam & sibi utilem ad emendum offeri, talemque solum vult emere, cum reipsa inutilis & noxia sit, atque venditor hóc ipso dat emptori causam atque occasionem damni, ac detrimenti, quod rem vitiosam ei offerat, ex qua ipse damnum, detrimentumque patitur. Qui autem damni, detrimentique dat causam, occasionemque præbet, illud resarcire tenetur. Igitur qui occultos rei defectus celando, rem emptori inutilem, aut ipsi noxiam vendit, ad reparanda inde subsecuta damna tenetur. Hinc peccant, & ad restituendum obligantur. *1mo*: Qui in aures equi pigri mercurii guttam immittunt ut generosus appareat, in sacci summitate triticum melius collocant, aut in extremitate dolii pisces meliores reponunt, ut deceptus emptor, ex iis quæ apparent, iudicet de iis, quæ inferius posita non cernuntur. *2do*: Qui tenebras quærunt ut mercis suæ vitia celent, aut vitia illius tam confuse declarant, ut potius insinuent rem suam omni carere defectu. *3tio*: Qui aliquo artificio, augent pondus, aut volumen rei, ut rustici qui avenam aqua perfundunt, aut lanam in locis humidioribus reponunt, perinde siquidem, sive emptor fallatur circa quantitatem, aut circa qualitatem mercis. Imo si res propter suos defectus, sit notabiliter minus utilis emptori, quam rationabiliter exoptat, tunc venditor tenetur ei vitium, & defectum

rei

rei detegere. Quia tenetur cum emptore secundum rationabilem ipsius voluntatem contractum instituere, id enim exigit bona fides in contractibus servanda Sic merces quæ servari nequeunt, non poſsunt illi vendi, qui eas quærit, ut diu ipsas servet.

3tio: Si vitium rei non reddat rem noxiam, nec emptori periculosam, neque notabiliter minus utilem, quam ipse rationabiliter exoptat, non tenetur venditor vitium ipsius etiam occultum manifestare, nisi ab emptore interrogetur, debet tamen minuere pretium rei, pro ratione defectus; & hoc verum est, etiamsi venditor probe sciat, rem ab emptore non emendam, si illius vitium noſset. Quia tunc nulla fit emptori iniuria, neque illi damnum aliquod irrogatur, & alias non poſsent commercia, quæ Societati humanæ omnino neceſsaria sunt, conservari, & si Mercatores quælibet mercium suarum vitia, etiam non interrogati, aperire tenerentur, negotiationi valedicere deberent, cum enim omnis generis, & qualitatis merces emere cogantur, emptas non semper poſsunt conservare, prout velent, ipsi etiam sæpius decipiuntur, dum merces aliunde accersunt. Si ergo non nisi merces indefectuosas vendere cogerentur, funditus à fortuna exciderent, quia vel emptores ab emendo deterrerentur, vel pretium iusto minus semper offerrent.

Hinc excusantur illi, qui merces defectuosas iis offerunt, quos prævident minus pretium oblaturos eſse, modo descendant in pretio, & non sit notabile discrimen prædictarum mercium in ordine ad usum humanum, ab aliis mercibus, quæ omni carent defectu. Si tamen emptor non aliter velit emere, nisi posita conditione, quod res careat tali defectu, quamvis minime noxio, tunc contractus est nullus, quia consensus emptoris censetur eſse conditionalis, & non verificata conditione, contractum nullum reddit, atque venditor, si quoquomodo noverat talem eſse emptoris voluntatem, iniuriam ei facit, dum non detecto rei vitio ipsam ei vendit. Item si venditor probabiliter cognoscat emptorem, rem illam, quam ei vendit, revenditurum eſse tanto pretio, quanto valet si careret vitio, tenetur illud ei aperire. Quia hoc ipso quod rem suam exponit venalem cum occulto vitio, ex officii sui lege tenetur cavere, ne quis inde aliquod damnum patiatur, & nisi vitium occultum detegat, est causa, sive occasio damni, quod aliis infertur, quibus emptor rem ita ven-

vendit, ac si nullo affecta efset vitio, quia latentem ignorat & nescit.

4to: Si vitium rei manifestum est, & facile animadverti queat; venditor si non interrogetur, non tenetur illud manifestare, maxime dum emptor scientiæ suæ fidens, nihilque de rei qualitate interrogans, ex mercibus sibi oblatis eam eligit, quæ sibi magis placuerit. Quia tunc venditor emptorem non decipit, neque in pretio, quod propter rei defectum minuere supponitur, neque ex parte rei vitio laborantis, de quo tacet, quia non tenetur emptoris partes agere, ostendendo ea, quæ per se patent, quæque ipse emptor dignoscere potest, si debita utatur diligentia. Quod si tamen venditor advertat emptorem, ob ingenii hebetudinem, visus debilitatem, non percipere vitium etiam apertum, tunc eum monere debet, sicut monere debet, cum vitium est occultum. Quia tale vitium licet in se manifestum est, tamen respectu hujus hominis, occultum.

Etsi vero non est contra justitiam, non monere emptorem dum judicio suo fidit, potest tamen id efse peccatum etiam grave contra charitatem, ut si venditor videat emptorem ex simplicitate decipi, remque quam emit ei inutilem fore, licet aliis inutilis non efset. Imo aliqui Theologi in hoc casu aliquid justitiæ contrarium subefse putant, præsertim si res empta non inutilis tantum, sed & noxia ementi efse debeat.

5to: Si venditor bona fide vendat rem ut integram, cujus vitium ignorat, non peccat quidem vendendo, quia supponitur laborare ignorantia, quæ excusat á peccato, debet tamen re cognita, vel contractum rescindere, si emptor id vult, vel emptori excefsum pretii refundere, quia jam mala fide excefsum pretii apud se retineret. Quod si tamen venditor dicat se rem vendere sicuti est, nec ullatenus in se suscipere velle periculum alicujus vitii, quod in re reperiri pofsit, modo venditor reipsa nullum in re sua cognoscat vitium, tunc censetur emptor eam periculo suo emere, et si quid in ea vitii postea detegat, nullam adversus venditorem actionem habere potest, debet tamen venditor pretium rei minuere, quia emptori imponit onus subeundi periculi, quod pretio est æstimabile.

Quæres 4to: Quot sunt species emptionis, ac venditionis?

Resp: Venditionis, atque emptionis variæ ac diversæ sunt species, præcipuæ tamen funt. *1mo*: Cum pacto: quan-

quando venditioni pactum quoddam apponitur, illud autem duplex est, primum scilicet pactum retrovenditionis, ac reemptionis, & talis venditionis contractus vulgo *Wyder-kaf* dicitur, & tripliciter fieri potest. *1mo:* in gratiam solius venditoris, eum nempe res aliqua venditur ea conditione, ut si venditori placuerit, hanc illi emptor revendere teneatur, unde jus ipsi competit, rem à se venditam reemendi, & hoc sub variis conditionibus fieri potest, scilicet, ut venditor posſit quandocunque voluerit rem redimere, ut non posſit ante certum tempus, ut non posſit post certum tempus, ut non posſit nisi certa anni parte, exg. in fine cujusvis anni. *2do:* In gratiam solius emptoris, cum venditor tenetur rem suam redimere, & recipere statim ac id emptori placuerit. *3tio:* In favorem utriusque, emptoris videlicet & venditoris quando contrahentes inter se conveniunt, ut quoties emptor reddiderit venditori rem emptam, redditur ei pretium. *Secundum* pactum rescisſionis & nullitatis contractus, cum quis ea lege rem vendit, ut nisi emptor intra certum tempus pretium solvat, aut si alius intra præfinitum tempus meliorem offerat conditionem, sive aliquid addendo priori pretio, sive solvendo loco, & tempore oportuniore, res maneat inempta, contractus irritus, & nullus. *2do:* Emuntur etiam res, ut aliis revendantur, sive iis per artem atque industriam mutatis, sive nullatenus immutatis, & istiusmodi emptionis, venditionisque species, negotiatio vocatur. Est quoque venditio quæ fit laxato ad nutum venditioris pretio, & monopolium dicitur.

Quæres 5to: Utrum contractus venditionis, factus cum pacto revenditionis, sive reemptionis licitus sit?

Resp: 1mo: Contractus venditionis, cum pacto retrovenditionis, in favorem solius venditoris constitutus, licitus est; quia ejusmodi contractus nullo jure prohibitus est, imo Judæis in veteri lege per Moysem á Deo non solum permisſus, sed & præceptus fuit. Levit. Cap: 25. *Cuncta regio posſesſionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.* Et iterum. *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi donec unus impleatur annus.* Et certe, dominus rei qui illam vendit, ita est illius arbiter, ut posſit emptori quodcunque onus licitum, et à lege non reprobatum imponere. Porro onus revenditionis, nulla lege reprobatum est, justum quoque est, quia propter illud venditor minori pretio rem vendit. Ergo si hoc onus, libere, non coacte, ab emptore

accepta-

acceptatum fuerit, contractus venditionis cum pacto revenditionis, in favorem solius venditoris constitutus, licitus est. Verum ad id nonnullæ requiruntur conditiones. *1ma:* ut omnis absit fraus & dolus, atque contrahentes habeant veram & sinceram emendi, & vendendi voluntatem: unde rei venditæ dominium pertineat ad emptorem, qui ex re empta fructus percipiat ut suos, & subeat illius periculum, quoniam res unaquaque Domino suo perit. *2da:* ut servetur identitas rei venditæ, quare si venditur vacua, vacua revendatur, si cum fructibus emitur, cum fructibus quoque redimatur. *3tia:* ut res vendatur minori pretio quam in se valeat, quia gravamen, ut non pofsit emptor rem emptam incommutabiliter pofsidere, sed aliquando eam revendere teneatur, pretium illius rei minuere debet ad arbitrium viri prudentis, & cordati, ita ut habeatur ratio præsertim termini ad rem retrovendendam præfixi. *4ta:* ut non addatur onus rem minoris revendendi, quam empta fuerat, quia potest pluris valere cum revendetur, quam cum empta est. Imo generatim res hæc pluris revendi deberet, quam empta fuerat, quia emptori datur cum gravamine, cum autem revenditur ab emptore, tanti valet, quanti secundum se æstimatur, quia tunc nullo gravata onere revenditur. Sed quia in contractu revenditionis, hæc apponi solet clausula, ut res eodem pretio revendatur, quo empta fuit, & ambo contrahentes istiusmodi clausulam acceptant, res eodem pretio revendi debet quo empta est, nisi notabiliter, industria, & expensis emptoris meliorata fuerit, quia tunc maiori pretio revendi potest, quam empta fuerat.

2do: Pariter contractus venditionis, sive emptionis cum pacto redimendi, aut retrovendendi in gratiam solius emptoris, aut etiam in favorem tum emptoris, tum venditoris initus, licitus efse potest. Quia á contrahentibus onera quælibet, quæ & in se justa sunt, & legibus minime prohibita, contractui adiici, & apponi pofsunt, & semel apposita, à contrahentibus acceptata, obligant, & tenent. Quemadmodum vero venditor juste apponere potest onus, ut emptor rem emptam ipsi revendat, ita etiam emptor juste apponere potest obligationem, ut venditor rem venditam redimat, aut etiam emptor & venditor reciprocum redimendi & retrovendendi onus mutuo sibi imponere valeant. Igitur sicut licitus est contractus revenditionis in favorem solius venditoris initus, ita quoque

que licitus eſse potest contractus reemptionis in favorem solius emptoris, aut etiam reciproce, in gratiam emptoris, & venditoris factus. Sed ut istiusmodi contractus licitus sit, hæc pariter requiruntur. *1mo*: ut vera, & non simulata sit emptio, & venditio, ac proinde ut omne periculum rei emptæ ad emptorem, ex toto pertineat, adeo, ut si res pereat, non poſsit repetere summam pecuniæ, quam pro illa venditori enumeravit, quemadmodum etiam venditor in prædicto casu, non potest ab emptore aliquam compensationem exigere, nisi forte illius culpa res perierat. *2do*: ut pro onere redimendi rem venditam, venditori ab emptore justa fiat compensatio, quia onus rem redimendi ad nutum emptoris, & grave est, & pretio æstimabile.

Verum tamen contractus venditionis, atque emptionis, factus cum pacto reemptionis in favorem solius emptoris constitutus, periculosus est, quia hic sæpius non tam est emptio, aut venditio, sed ipsum mutuum, ex quo lucrum supra sortem percipitur, dat siquidem Petrus mille aureos Paulo, & pro his titulo emptionis accipit prædium fructuosum, hac adiecta Paulo obligatione ut exg: post tres annos mille aureos ipsi restituat, & suum prædium redimat, cum ipse per tres illos decurrentes annos, omnes fructus ex illo prædio perceperit. Satis apparet, hic aliud non eſse, nisi mutuum, contractu emptionis, venditionisque palliatum, quo pecunia à Petro datur Paulo, ad certum tempus, cum onere illam restituendi, & per decurrens tempus lucrum, atque auctuarium ab ipso in fructibus prædii, ipse percipit. Cum vero ex mutuo lucrum quærere, & ex mutuata pecunia auctuarium percipere illicitum sit, proindeque contractus venditionis, emptionis, cum onere reemptionis in favorem solius emptoris adjecto, initus, periculosus est. Jdem dicendum si pactum revenditionis, ac reemptionis venditioni, ac emptioni in favorem utriusque, venditoris scilicet, & emptoris apponitur. Est enim hic etiam aliqua inæqualitas, & magis unus contrahentium gravatur, quam alter, facilius namque est emptori perceptis exg. per tres annos fructibus prædii illud venditori restituere, totam, & integram pecuniæ summam pro eo dato recipiendo, quam venditori non perceptis prædii fructibus, totam refundere emptori pecuniæ summam. Absolute tamen istiusmodi contractus liciti eſse poſsunt, si recta fuerit contrahentium intentio, maxime si res peri-

re

re debeat emptori, unde is summam pecuniæ quam enumeravit recuperare non poterit, in casu quo res empta actu & defacto pereat, æqualitas quoque inter contrahentes constituatur, & minori pretio redimatur, quam vendita fuerit, ac tandem habeatur ratio perceptorum ab emptore fructuum, illos in partem summæ enumeratæ computando.

Quæres 6to. Utrum contractus cum pacto rescifsionis, & nullitatis, licitus sit?

Resp: Ejusmodi contractum licitum efse, quia & in jure non reprobatur, & ex eo nulli fit injuria, quia liberum est contrahentibus, licitas, & a jure non improbatas contractibus apponere clausulas, conditionesque. Debet tamen abefse fraus, & dolus, qualis efset, si venditor vel subdola arte efficeret, ne emptor statuto tempore pretium rei solvat, vel fictitium emptorem induceret, qui pro re vendita majus pretium se offerre simularet.

Quæres 7mo: Sed disoluto contractu, ad quem pertinebunt fructus medio tempore percepti?

Resp: Id pendet à modo quo venditio facta est. Si enim venditor ita rem vendidit, ut venditio ipso facto nulla sit, ac si facta non fuerit, tunc fructus intermedio tempore percepti, ad venditorem pertinere debent, prout ad eum pertinerent, si venditio nullatenus facta fuifset. Quia venditio hæc non fuit absoluta, sed sub conditione, si scilicet pretium solveretur, aut meliorem conditionem alius non offerret, unde contractus ille mansit in suspenso, & sic fructus venditoris efse debent pro illo tempore, quo conditio impleta non fuit, quia non desiit efse illius rei Dominus. Si vero res fuerat vendita, ut nonnisi in posterum contractus rescindatur, vel res ad venditorem redeat, tunc fructus medii illius temporis, ad emptorem pertinent, quia tunc venditio absoluta, & perfecta fuit, & solum difsolvitur tempore quo vel melior conditio venditori offertur, vel pretium constitutum non fuerit solutum. In his tamen non forma verborum, sed mens contrahentium attendi debet.

Quæres 8vo. Negotiatio estne licita?

Resp: Negotiatio per se mala non est, neque prohibita, unde S. Augustinus in Psal: 70. scribens inquit: *Negotiatio hominem non facit malum, sed iniquitas, & mendacium.* In aliquibus tamen casibus, negotiatio potest efse illicita, & quidem *1mo*; si ex negotiatione quæratur lucrum cum injuria Dei & proximi, cum transgrefsione Dei &

Ecclesiæ mandatorum, cum neglectu propriæ salutis. *2do:* si negotiatio exerceatur loco & tempore prohibitis, diebus videlicet festis, in locis Sacris. *3tio:* Si negotiatio exerceatur rebus prohibitis, Sacris, aut quæ à jure vendi prohibentur, aut demum illa venduntur, quæ aliis sunt causa, & occasio peccati.

Quæres 9no: An monopolium licitum sit?

Resp: Monopolium est, quando pauci vel plures Mercatores conspirant, & inter se conveniunt, ut vel soli, vel certo, quod ipsi præfixerint, pretio, mercem aliquam vendant.

Porro certum est *1mo:* licitum efse monopolium, si fiat authoritate publica, videlicet cum unus vel pauci à supremo Principe obtinent facultatem, ut ipsi soli certas merces vendant, quas, ab uno, vel paucis vendi expedit, sive ob utilitatem, quam inde Princeps, ac Respublica capit, sive quia ut certæ quædam merces comparentur, & expoliantur, tot necefsarii sunt sumptus, ut ob damni periculum nemo eas in se suscipere vellet, nisi haberet privilegium, ut ipse solus eas venderet.

2do: At peccant contra justitiam, qui vi vel fraude impediunt, ne alii merces suas adducant, & in Urbem invehant, unde tenentur ad restituendum, tum civibus, qui carius emere coacti sunt, ob maiorem mercium inopiam, tum mercatoribus, quos ab introducendis suis mercibus prohibuerant. Quia causa sunt iniusti damni, quod patiuntur tum Cives, tum alii Mercatores, utrique enim ius habent, ne vel sibi mercium abundantia per vim & dolum impediatur vel mercaturam suam exercere prohibeantur. Si tamen alienarum mercium advectio, causa foret cur Cives, aut vicini merces suas legitimo pretio vendere non pofsent, licet extraneos Mercatores excludere, quia postulat commune bonum, ut loci incolæ extraneis præferantur, & pecunia extra Provinciam non exportetur. Si quis etiam nonnisi precibus efficeret, ne mercium copia in Urbem inveheretur, ut ipse suas commodius vendere interim pofset, nequidem contra charitatem peccaret, si nempe iusta ex causa lucrum suum, intra latitudinem justi pretii quæreret.

3tio: Monopolia privata authoritate constituta, illicita sunt, quia sunt contra charitatem vetantem, ne quis impediat aliorum commodum, atque utilitatem, efficiendo ut cives rem carius emant, quam efsent empturi, unde monopolium multis nocet, ac proinde illicitum est, ipsi etiam

etiam justitiæ adversatur, quoniam populus, cive que ius habent, ut non augeantur privata authoritate, aut minuantur rerum pretia. Unde peccant pariter mercatores contra justitiam, qui conveniunt de non vendendo, nisi supra rigorosum pretium, aut nonnisi rigoroso pretio, quia & nemini licet supra rigorosum, quod supremum est pretium vendere, & nemo ullo modo cogi debet, ut supremo emat pretio, potest enim medio, & infimo emere, hinc juxta leges, forum venalium liberum eſse debet. Quare mercator qui monopolii particeps non est, tuta conscientia non poſset illud exigere pretium, quod alii monopolæ supra rigorosum constituerunt. Idem servata proportione, dicendum est de emptoribus, qui conveniunt, ut nonnisi infra pretium infimum emant, quia pretium istud reipsa injustum est. Si tamen merces ob monopolium rare factæ sint, poſset is etiam, qui monopolii particeps non est, eas pluris vendere, quia merces raræ pluris reipsa valent, quam si illarum abundantia eſset. Attamen non peccant, emptores, qui statuerunt infimo solum pretio emere, cum venditores summo tantum pretio vendere statuiſsent, quia monopolium monopolio abigere licet, ut ad æqualitatem deveniatur. Si tamen una pars à monopolio desisteret, & alia à suo desistere teneretur.

Jlli autem Mercatores, qui convenerunt vel de non vendendo, nisi supremo pretio, vel de non emendo nisi infimo, tenentur ad restitutionem, non propter exceſsum, aut defectum pretii, sed propter iniuste læsam libertatem Civium, qui poterant quo voluerint, & potuerint pretio emere, & vendere. Hæc vero restitutio fiet, si res emantur, & vendantur pretio medio, quia sic reponitur æqualitas.

4to: Sed etiam quando unus vel pauci, merces omnes congerunt, ut eas aucto pretio vendant, peccant contra justitiam & restituere tenentur. Quia istiusmodi Mercatores, vendunt merces pretio injusto, quia vendunt ut rarum, quod reipsa est abundans. Certe frumentum in horreo unius inique collectum, & reclusum, non pluris valet, quam si apud multos eſset reconditum, attamen non venditur ita ab uno, quomodo venderetur à pluribus.

Tandem qui merces suas supprimunt, ut inde earum pretium augeatur, & ipsi peccant contra justitiam. Quia causa sunt, cur rebus quæ illorum arte raræ putantur, cum reipsa raræ non sint pretium constituatur, ac si raræ

ræ efsent, adeoque causa sunt, ut nimio emantur pretio. Porro hæc agendi ratio non charitati tantum, sed & justitiæ adversatur. Ergo qui sic agunt, justitiam lædunt, & ad restituendum tenentur.

Neque tamen injustitiæ illi accusandi sunt, qui merces suas in illud servant tempus, quo eas cariores fore præsumitur, modo hoc modo caritatem & inopiam mercium non inducant, quia per hoc nulli iniuriam faciunt.

CAPUT TERTIUM

De reliquis Contractibus onerosis.

Quæres: Præter emptionem ac venditionem, qui sunt alii contractus onerosi?

Resp: Sunt sequentes: mutuum, locatio, conductio, aliique iis annexi.

ARTICULUS 1mus

De mutuo, & usura.

Quæres 1mo: Quid sit mutuum?

Resp: Mutuum est contractus, quo res quæpiam *exg.* pecunia, frumentum sub numero, vel pondere aut mensura, alteri conceditur & traditur, cum obligatione statuto tempore reddendi similem in specie & bonitate. Per mutuum itaque dominium rei in alterum transfertur, quare Inst: libro 3. titulo 15. dicitur. *Mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat:* & ideo mutuatarius rem mutuatam sub suo tenet periculo, & omnes fructus ex ea percepti ad ipsum pertinent, quia res perit, & fructificat Domino suo. Hinc si Petrus á Paulo quinquaginta nummos mutuatus fuerit, & statim á furibus expolietur, damnum Petri est, & ipse utpote Dominus rei mutuate, de casu etiam fortuito tenetur.

Quæres 2do: Quæ sunt obligationes mutuatoris, & mutuatarii?

Resp: Mutuator tenetur *1mo:* monere mutuatarium, de vitio rei, si quod sit, alioqui tenebitur de damno, cum ei causam dederit. *2do:* non repetere mutuum ante tempus præfinitum. Quodsi tempus non sit constitutum, quo mutuum reddi debeat, non tamen illico repeti potest, nisi post aliquod tempus, quod judicio prudentis, & cordati viri, spectatis omnibus circumstantiis, ac maxime

considerato fine, ob quem mutuum datur, designari ac determinari debet. *3tio*: non plus exigere quam valeat res mutuata, quia mutuum est contractus eſsentialiter gratuitus, unde si plus exigeretur, quam mutuo datum sit, eſset inæqualitas, ac proinde injustitia.

Mutuatarius autem tenetur. *1mo:* reddere mutuum, tempore statuto, quodsi terminus non sit constitutus, tunc, quando mutuator rationabiliter repetet, & rem mutuatam exiget. *2do*: Si ex culpa sua non reddat mutuum tempore præfixo, tenetur compensare mutuanti damnum inde secutum, & lucrum ceſsans, cum sit illius causa injusta. Nisi ex eo quod mutuans tempore suo mutuum non repetierit, prudenter judicet terminum prorogaſse. *3tio*: Tenetur de omni casu etiam fortuito, ita ut non liberetur à debito restituendi mutuum, nisi cum mutuator mutuum datum reipsa receperit, quia hucusque res mutuata manet mutuatarii, & sic ei perit. *4to:* Tenetur reddere rem ejusdem speciei, & bonitatis, nec sufficit si solvat ejus pretium, nisi mutuans in id sponte consentiat, mutuum enim cum non sit neque venditio, neque permutatio, res mutuata eadem genere, & specie, eadem bonitate reddi debet. Quare in rebus in quibus per se spectatur, & attenditur rei entitas Physica, non vero illius valor, veluti in frumentis & aliis similibus rebus, mutuum reddi debet in eadem specie Physica exg: triticum pro tritico, avena pro avena, & quidem in eadem mensura sive pretium ejus creverit, sive decreverit, quia tunc, tantum redditur, quantum acceptum fuerat, sic servatur æqualitas.

Quæres 3tio: Sed quid de pecunia mutuo accepta dicendum sit, quomodo ipsa restitui debet?

Resp: Quamvis in pecunia non consideratur entitas physica, sed moralis, scilicet valor ipsius, unde aliquando sufficere poſset, mutuatam restituendo pecuniam, non quo ad speciem Physicam illam reddere, sed solum quoad speciem moralem, scilicet non omnino aureos nummos pro aureis nummis, sed valorem illorum, quamvis moneta argentea persolvendo, & tunc satis foret reddere valorem aureorum, quem habebant eo tempore, quo mutuo accepti sunt, etsi illorum valor creverit, sive decreverit. Verumtamen communiter pecunia mutuo accepta, non solum quo ad speciem moralem, sed etiam quo ad speciem Physicam eadem reddenda & restituenda est, quia de hoc semper inter mutuantes conveniri solet, & mutuo semper hoc adiicitur pactum, ut eadem in specie

Phy-

Physica restituatur pecunia. Pacta vero & conventiones inter partes contrahentes constitutæ, servari debent.

Quæres 4to: Quid faciendum sit, dum res mutuata, in eadem specie Physica reddi nequit?

Resp: Si res mutuo accepta exg: pecunia, frumentum, non posſint in eadem specie Physica reddi, solvenda est currenti protunc pretio, & juxta valorem quem eo tempore pecunia habet, quia mutuans, si ei pecunia, & frumentum in eadem specie Physica, qua accepta sunt restituantur, & pecuniam juxta presentem valorem ipse expenderet, & pro frumento idem pretium, quod modo est, acciperet, si illud venderet, non autem plus lucraretur: ergo sufficit ei & frumentum juxta præsens pretium solvere, & pecuniam ad modernum valorem enumerare, nisi tamen per hoc mutuans damnum pateretur, quia exg: eo tempore majori pretio, quam nunc habet, frumentum vendere poterat; cum illud in gratiam Petri mutuo concesſit, aut etiam valor pecuniæ, veluti aureorum, maior erat, cum illas mutuo dedit, & quos tunc expendere volebat, nunc vero diminutus est: in tali siquidem casu, & frumentum solvi debet illo pretio quod tempore mutui habuit, & pecunia secundum illum valorem taxanda est, quæ ei tunc inerat, quando mutuo data fuit, alioquin mutuans detrimentum pateretur. Pariter, si eo tempore quo frumentum mutuo acceptum solvi necesſe est, & mutuata pecunia taxanda, ejus valor maior sit, frumenti pretium maius, quam fuerunt tempore mutui, si mutuans reipsa sibi constituerat, & frumentum, & pecuniam ad hoc usque tempus servare, quo & pecuniæ valor, & frumenti pretium aucta sunt, non poterit neque pecunia taxari, nec frumentum solvi relate ad tempus mutui, quo minoris erant, sed relative ad tempus solutionis, sive restitutionis, quo pluris valent, quia alias iterum mutuans damnum pateretur. Porro non licet quidem ex mutuo lucrum quærere, sed damnum ex eo pati nemo tenetur. Sed etiamsi dubium sit, neque prævideri posſit, quale futurum sit pretium rei restituendæ, aut valor pecuniæ reddendæ tempore solutionis, ac restitutionis, potest mutuans cum mutuatario pacisci, ut non par, sed maior reddatur mensura rei æque bonæ, quamvis tunc valde creverit pretium eius, & ut pecunia juxta illum valorem taxetur, & exsolvatur, qualis erit tempore solutionis, licet longe maior futurus sit. Quia tunc par est contrahentium conditio, & servatur

tur æqualitas, nam erga utrumque æqualis est & spes lucri, & periculum damni atque detrimenti.

Quæres 5to: Quid sit usura?

Resp: Usura est contractus mutui, cum obligatione reddendi sortem seu rem ipsam mutuatam, & aliquid supra sortem vulgo *Procent*, unice vi mutui, sive precisæ propterea quod res quæpiam mutuo fuerit alteri concessa. Quando res quæpiam, pecunia, frumentum, mutuo datur, cum pacto, ut & ipsa res mutuata integre reddatur, & aliquid superaddatur, ideo unice, quia mutuo concefsa est, usura est. Nihil autem refert, an id quod supra sortem exigitur, ante mutuo traditam rem accipiatur, an etiam post traditam. Utrobique usura est, quidquid ex mutuo, & nonnisi propter mutuum supra rem mutuatam exigitur. Unde usura non est *1mo:* quando in mutuo supra rem mutuatam aliquid exigitur, sed non ratione, neque vi mutui, sed alia ex causa, atque ex alio motivo, exg. propter lucrum cefsans, aut damnum emergens, quia nimirum, quod mutuo dederim peccuniam meam, illa jam nihil lucrari potero, quod frumentum meum alteri mutuaverim, aliud ipse cariori pretio emere coactus sum. Cum ergo tunc supra sortem aliquid exigitur, quia propter lucrum cefsans & damnum ex mutuo emergens exigitur, non vero præcise propter mutuum, usura non est. *2do*: Usura non est, si quid supra sortem, ex accefsione mutui gratis ac liberaliter à mutuatario oblatum, mutuans accipiat, *non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacite, vel exprefse, sed sicut gratuitum donum*, ut docet S. Thomas, *quia etiam antequam pecuniam mutuafset, licite poterat aliquod donum gratis accipere, nec peioris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit.* Raro tamen licet aliquid accipere occasione mutui etiam gratis oblatum, quia raro tunc datur sponte & liberaliter oblatum, sed plerumque datur vel ad ulteriorem solutionis dilationem obtinendam, vel ex metu ne alias mutuum deinceps denegetur. Quare hic circumstantiæ attendendæ sunt, & quidem quantitas rei dono oblatæ, conditio dantis, si sit amicus illius cui donat, dives, talia largiri solitus iis, qui de ipso bene meriti sunt. Præsumi autem non debet donatio pure gratuita, si mutuans eam à se exigi aliquo signo ostenderit, si mutuatarius mutuum petat, ut inopiæ suæ medeatur, ac demum si donum offeratur antequam res mutuata reddita fuerit, quia præsumendum est, illud

dari,

dari, ut terminus solutionis prorogetur. Cæterum si quædam sint utrinque signa, quæ dubiam faciant donationis liberalitatem, iis adhærendum est, quæ aliis firmiora sunt. Unde solum pro usura reputari debet, quod pro dato mutuo stricte exigitur, tamquam ex obligatione solvendum, atque dandum quidquid illud sit, modo pretio æstimabile sit, quale est quodlibet munus, onus, & quælibet onerosa obligatio.

Porro duplex est precipue usura, aperta videlicet, & palliata. *Aperta* est, quando percipitur lucrum ex mutuo explicito, & formali, quod exprefso pacto exigitur. *Palliata* est, quando lucrum percipitur ex mutuo latitante, & alio contractu exg. venditionis, depositi, palliato. Quando itaque mutuum est formale, & pateticum, nullo volumine alterius contractus tectum, atque ex eo pacto exprefso, ratione solius mutui lucrum exigitur, est usura aperta. Erit vero usura palliata, si prætextu alterius contractus, reipsa tamen lucrum ex mutuo percipiatur, veluti si Paulus apud Petrum aliquid in pondere, numero, & mensura deposuerit, data illi facultate eo utendi, & ad libitum disponendi, cum pacto, ut pro eo aliquid ultra rem depositam solvat. Est vera usura, sed velata, & contractu depositi palliata.

Quæres 6to: Utrum usura prohibita sit?

Resp: Usura omni iure prohibita est, naturali, divino, & ecclesiastico. Et quidem *1mo:* naturali. Namque iure naturali illicitum, & iustitiæ contrarium est, in contractu, ubi æqualitas servanda est, vi illius plus exigere & accipere quam valeat res quæ datur, tum siquidem est inæqualitas, ac proinde iniustitia. Porro supra rem mutuo datam, aliquid ratione mutui exigere, & accipere, est plus accipere, quam valeat res mutuo data, nam ipsa res quæ redditur, tantum valet, quantum illa valebat, quæ mutuo data fuerat. Ergo supra rem mutuo datam aliquid ratione mutui exigere, est plus exigere quam datum fuerat, ac proinde iuri naturali contrarium est. Et certe, ut inquit S. Thomas Doctor 2da. 2dæ, quæst. 78. art: 1. *Recompensatur secundum æqualitatem, si tantum réddatur ei, quantum mutuavit:* plena itaque æqualitas est, si tantum redditur, quantum mutuo acceptum est, & cum recipit centum, qui mutuo centum dedit, id totum recipit quod dedit, si plus exigit, & recipit, si recipit centum viginti, cum non dederit nisi centum, plus recipit quam dedit, adeoque æqualitatem

lædit,

lædit, & justitiam violat. Et vero, qui Dominus rei est, illius periculum subit, eius quoquæ fructus percipere debet, qui vero nec Dominus rei est, neque periculum illius sustinet, etiam fructus ipsius percipere non debet. Porro mutuatarius rei mutuatæ dominus est, eius periculum subit, mutuans dominium rei in mutuatarium transtulit, omne periculum rei in eum conicit. Ergo mutuatarius non mutuans rei mutuatæ, fructus percipere debet, nullum ergo lucrum ex re mutuata mutuans exigere valet.

2do: Usura prohibita est iure divino. Enim vero Deut. Cap. 23 dicitur. *Non fenerabis fratri ad usuram, sed alieno, fratri autem tuo quidquid indiget, absque usura commodabis.* Quamquam enim, forte Deus iustis de causis permiserit Judæis ab alienis qui eos opprimebant titulo iustæ compensationis, plus supra sortem mutuo datam exigere, sed severe prohibuit usuras â fratribus exigere, & apertiſsime præcepit, fratri sine usura mutuo dare atque commodare, quidquid indiget. Hoc & Christus in nova lege præcipit. Lucæ Cap. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa.* Quare divino præcepto tam in veteri quam in nova lege, usura prohibita est, & præceptum datum, ut sine ulla spe lucri mutuum detur. Quapropter Ezechielis Cap. 18. inter graviſsimos peccatores annumerat Propheta, *ad usuram dantem, & amplius accipientem*: de eoque affirmat, quia *non vivet:* atque David etiam Psal. 14. eum in tabernaculo Domini habitaturum pronuntiat, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Unde unanimi consensu SS. Patres, atque Concilia docent, usuram divinis legibus in veteri, & novo Testamento prohibitam eſse. Et certe indubitatum est, in veteri testamento lege divina prohibitum fuiſse usuras â fratribus accipere. Porro in nova lege, ut præclare inquit S. Thomas Doctor, Christiani debent *omnem hominem habere quasi proximum, & fratrem, præsertim in statu Evangelii, ad quod omnes vocantur.* Igitur Christianis à nullo, neque à Judæo, neque à Tartaro, usuram exigere licet.

3tio: Tandem usura iure Canonico prohibita est, quod ex innumeris patet Conciliis etiam generalibus, videlicet: Lateranensi 2do. Can. 13. Lateranensi 3tio. Cap. 25. Hic sufficit adduxiſse Concilium Viennense. Cap. *Ex gravi:* quod sic definivit. *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat,*

exer-

exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum.

Quæres 7mo: Annon aliquando liceat in mutuo aliquid supra sortem exigere?

Resp: In mutuo licet supra sortem aliquid exigere, propter lucrum cessans, & damnum emergens. Quia nemo tenetur damnum pati, ut alteri benefaciat, ergo si quis jacturam aliquam, damnumque sustineat, quia rem suam alteri mutuo dedit, compensationem huius damni exigere potest, aliquid supra sortem á mutuatario exigendo. Pariter nemo obligatur iustum lucrum deserere, quam ex re sua percipere valet, ad prestandam alteri gratiam in ea mutuanda. Ergo etiamsi propter mutuum, lucrum aliquod quis deperdat, illius compensationem à mutuatario exigere potest, supra sortem aliquid ab eo expostulando. Certe lucrum cessans, reipsa est damnum emergens. Cum itaque licitum sit propter damnum emergens aliquid supra sortem in mutuo exigere, id etiam licet propter lucrum cessans.

Porro tunc dicitur alicui lucrum cessare, quando non accipit id, quod probabiliter acquisiturus erat, si mutuum non dedisset, ut pecunia, quam mutuo dedit, usurus erat in emptionem agri, prædii, horti, vel ad negotiationem. Tunc vero dicitur damnum emergere, cum quis ob mutuum aliquid in suis rebus patitur detrimenti, ut si carius debeat emere triticum, quia illud mutuo dedit, aut quia restaurationi prædii, domus, destinatam pecuniam alteri mutuavit, prædium, domusque deteriora facta sunt.

Quæres 8vo: Quæ requiruntur, ut ratione damni emergentis, in mutuo supra sortem aliquid exigi possit?

Resp: Ad id sequentes requiruntur conditiones. *1mo:* ut mutuum sit vera, & realis causa damni: nam si damnum non ex mutuo, sed alia ex causa, nimirum quia mutuans alea notabilem pecuniæ quantitatem perdiderat, aut sua culpa detrimensum passus est, cum illud damnum, detrimentumque non possit mutuo tribui, propter illud in mutuo nihil supra sortem exigi potest. *2do*: Ut id quod ratione damni ex mutuo provenientis, supra sortem exigitur, non sit maius ipso damno, alioquin iste excessus, vi mutui prætenderetur, essetque usurarius, & iniustus, cum plus mutuans à mutuatario lucraretur, quam ratione mutui amiserat. *3tio:* Ut mutuans de damno

suo

suo mutuatarium præmoneat, eique rationem exponat, cur ab eo tantum supra sortem exigat, quia forte alibi meliorem fortunam querere vellet, & invenire poſset. Quare si admonitus non fuit, non tenetur damnum compensare, etiamsi illud eveniat, nisi per moram culpabilem in restituendo debito, illius causa fuerit. *4to:* Tandem ut non exigatur compensatio totius, & qualiscunque damni obventuri & contingentis, id enim eſset nimium mutuatario imponere onus, ad quod etiam ratione accepti mutui obligari nequit, cum sufficiat ut mutuantem secundum prudentum iudicium indemnem faciat in eo solum, in quo ratione mutui detrimentum patitur. Sed si mutuatarius auctuarium mutuanti promiserit pro damno probabiliter eventuro, quod tamen de facto non evenerat, auctuarium illud solvere non tenetur, neque mutuans illud exigere potest. Quia auctuarium illud à mutuatario exigi potest, ut mutuans indemnis servetur. Cum itaque nullum damnum reipsa paſsus sit, nullum ei auctuarium ad damni compensationem debetur. Aliud est, si mutuatarius pacisci velit cum mutuante de certa pecuniæ summa, vi cuius quasi redimeret periculum damni probabiliter eventuri, ipsius eventum non expectando. Tunc enim mutuans, etsi nullum ferat damnum, poterit tamen auctuarium exigere, & supra sortem aliquid accipere & ratione periculi cui fuit subiectus, & quod prætio est æstimabile. Valent siquidem contractus, in quibus contrahentes, commodo & damno se exponunt, in hoc autem casu mutuarii ex æquo damno, & commodo se exponunt, ut enim ex prædicto pacto lucrari potest, si aut nullum sustineat damnum, aut minus pollicita pecuniæ summa, ita etiam perdere potest, si maius sustineat damnum quam sit pacto aſsecurata pecunia, præter quam nihil ultra exigere poterit. Tunc tamen pacta pecunia minor eſse debet, quam sit damnum quod timetur, quia damnum probabiliter futurum non tanti valet, quanti illud quod actu evenerat.

Quæres 9no: Quæ neceſsaria sunt, ut ratione lucri ceſsantis, aliquid supra sortem in mutuo exigi, & accipi poſsit?

Resp: Hæc sunt necessaria *1mo:* ut mutuum vera sit causa cur lucrum ceſset, ac proinde oportet ut mutuans ante petitum mutuum habeat & sinceram voluntatem, & promptam facilitatem lucrandi ex re, quam mutuo alteri concedit, quia videlicet pecuniam suam nego-

negotiationi iam destinaverit, aut alteri iusto & utili contractui faciendo, sive frumenta sua fructuosæ venditioni determinaverat. Quodsi vero, habuerit pecunias etiam, quibus neque negotiari constituerat, neque illos emptioni rei alicuius frugiferæ destinaverat, illos mutuo dando, sub prætextu lucri cefsantis, supra sortem nihil exigere potest, quia reipsa ratione mutui nullum ipsi lucrum cefsat. *2do*: Ut lucrum sit certum, aut probabile, nam si sit solum pofsibile, non est pretio æstimabile, quia pofsibilium nulla habetur ratio, & in æstimatione humana, sola pofsibilitas lucrandi ex aliqua re, nihil rei superaddit. *3tio*: Ut non exigatur totum lucrum quod speratur, sed solum, quantum spes illius, iudicio prudentum valere potest, deductis sumptibus & æstimatione periculi, atque incertitudinis, quia nimirum res sperata nunquam tanti valet, quanti res iam existens, & actu habita, propter pericula & impedimenta quæ occurrere pofsunt in illa adipiscenda. Sed æstimatio laboris, in lucro comparando necefsarii; non est deducenda, alioquin vix unquam in mutuo aliquid supra sortem ratione lucri cefsantis exigi poterit, quia plerumque labor lucro acquirendo æquiparatur, ut videre est in agricolis, & mercatoribus. *4to*: Ut compensatio lucri cefsantis non exigatur hic & nunc, quando mutuum datur, neque fiat pecunia quæ nunc mutuo datur, & quemadmodum vulgari sermone dicitur, *z góry, ale z dołu*, elapso nimirum anno, sub cuius finem mutuum reddendum est. Si quis enim mutuo dat centum florenus, & statim pro lucro cefsante, detrahit sibi septem florenos, iam reipsa non mutuat centum florenos, sed nonnisi nonaginta tres, ac proinde iniuste tantum á mutuatario exigit, ac si reipsa centum dedifset. Pariter quoque propter modo adductam rationem, compensatio damni ex mutuo emergentis, non debet hic & nunc fieri ex re quæ mutuo datur alias iniuria mutuatario fierit. Existimant tamen nonnulli Theologi illum nihil mali acturum, qui ab initio, *z góry*, aliquid acciperet á mutuatario in alio genere, quam in quo mutuum dedifset, adeo ut si mutuaverit centum aureos, pofsit à principio accipere triticum valens septem aureos, pro compensatione lucri cefsantis, aut damni emergentis, modo tamen mutuatarius nihil inde subeat damni aut incommodi, quia alias bis idem debitum exsolveret. *5to*. Tandem quemadmodum mutuans tenetur præmonere mutuatarium, dum ab eo aliquid supra sortem ratio-

ne damni emergentes exigit, ita pariter illum monere debet cum ratione lucri cefsantis auctuarium ab eo requirit, alias ad illud non tenebitur, quia invito & ignoranti onus imponi, neque ab eo exigi posest.

Quæres 2omo: Utrum, licetsi nullum ex mutuo aut damnum mutuanti emerget, aut lucrum cefset, pofsit adhuc ipse mutuans aliquid supra sortem á mutuatario exigere adinstar pœnæ, si tempore prefixo, mutuum non reddat?

Resp: Istiusmodi pæna ob dilatam mutui solutionem vel ex pacto inter mutuantem, & mutuatarium inito, imponitur & dicitur *conventualis*, vel à Judice decernitur & vocatur *judicialis*, aut tandem â lege constituitur, & *legalis* est. Itaque *1mo*: Pæna conventionalis iuste mutuo apponi potest, & in conscientia solvi debet ante quamlibet Judicis sententiam. Pæna siquidem hæc mutuo apponitur ex contrahentium consensu & iusta de causa, nempe ut contractuum firmitati consulatur, & puniatur negligentia, aut iniquitas mutuatarii, qui mutuum invito mutuante detinet. In his autem nihil est iniqui, aut iniusti. Ergo mutuatarius, qui culpabiliter fuerit in mora, hanc pænam ante omnem sententiam Judicis in conscientia exsolvere tenetur, quia iusta conventio iure naturali independenter à sententia Judicis in conscientia & obligat, & adimpleri debet. Sed ad id necefse est *1mo*: Ut recta sit mutuantis intentio, ita ut sincere intendat & velit rem mutuatam statuto tempore sibi restitui, non vero ut magis cupiat mutuatarium efse in mora, ac propterea ut auctuarium ipsi solvere cogatur, neque paciscatur de pæna pro eo tempore, quo prævidet mutuatárium solvendo imparem fore, nec tempus illud de industria breve afsignet, ut mutuatarius solvere non pofsit. *2do*: Ut pænæ solutio non exigatur integra, si pars rei mutuate reddita iam fuerit, quia æquum non est, ut pro toto puniatur, qui nonnisi in parte deliquit. *3tio*: Ut pæna non exigatur nisi propter moram culpabilem, quia alias iniqua efset convetio, quæ pænam statueret etiam innocentibus luendam. Et hæc mora debet efse notabilis, atque considerata rei qualitate, reputari non pofsit quasi nulla. Hinc mora unius diei, & hebdomadæ communiter loquendo non sufficit, nisi forte inde damnum emergat mutuanti, aut aliquod lucrum ei cefset. *4to:* Ut hæc pæna non sit nimia, qualis efset si in duplo res efset restituenda.

2do: Pariter pæna iudicialis, & legalis, quœ vel ex legum

legum dispositione à mutuatario solvenda est, vel ad quam à Judice ob dilatam solutionem, condemnatus fuit, mutuans iuste percipere potest, quamvis nihil paſsus sit damni, & mutuatarius in conscientia hanc pænam solvere obligatur, modo tamen in mora culpabili fuerit. Quia pæna pro culpa semper, absque ullo alio titulo decerni & statui potest, ideoque cum mutuans cum mutuatario pacisci poſsit de pæna pro sola mutuatarii culpabili mora, secluso alio quocunque lucri ceſsantis, aut damni emergentis titulo, potest etiam eadem pæna & lege statui, & á Judice imponi. Certe leges quæ morosum in reddendo debito mutuatarium ad pænam condemnant, non innituntur præsumptioni damni mutuantis, quæ præsumptio sæpius falsa est, sed existimationi, quod mutuatarius in reddendo mutuo culpabiliter morosus sit, quod cum verum sit, iustum est, ut hanc subeat pænam.

Quæres 11mo: An licet pignus, seu vadium, vulgo Zakład, Zastaw, *mutuo additum à mutuante retinere in pænam moræ mutuatarii?*

Resp: Aliquando datur pignus, seu *Zakład*, in securitatem rei mutuo acceptæ, cum pacto ut mutuanti istud pignus cedat, si mutuatarius tempore præfixo rem mutuatam non restituerit. Et vi istiusmodi pacti mutuans pignus retinere potest. Quia pactum & justa conventio servari debet. Porro pactum & conventio, ut pignus mutuanti cedat, si mutuatarius tempore præfixo mutuum non reddiderit, justa sunt, quia qui rem alienam invito Domino apud se detinet, eamque statuto, ac præfixo tempore non restituat, injuriam Domino rei irrogat, ac proinde pænam meretur. Talis autem est, qui rem mutuatam tempore præfixo mutuanti non reddit Ergo in pænam, juxta factam conventionem, pignus seu vadium amittere debet. Dummodo 1mo: Vadium seu *zakład*, sit moderatum, quia habet rationem pænæ, omnis autem pæna moderata eſse debet, & culpæ proportionata, illam non excedens. Si ergo pignus ipsum superet debitum, aut culpa in reddendo levis, mora nec diuturna, neque mutuanti nociva, pignus saltem notabilis quantitatis, retineri nequit. 2do: Si vere mutuatarius in reddendo fuit culpabilis. Nam si nulla ex parte mutuatarii intervenerat culpa, quia vel nullo modo, restituere rem mutuatam potuit, vel nonnisi difficillimæ, adeo ut mutuans rationabiliter invitus censeri nequeat, datum pignus retineri in pænam factæ mo-

ræ nequit, quia mora culpabilis non erat, & ex jure, *rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, Ses: 32. Cod: de pæn: *3tio:* ut mutuans velit præfixo tempore rem mutuatam exg: pecuniam suam habere, sive illa reipsa opus habeat, sive non, dummodo sincere intendat constituto termino illam retrohabere. Nam qui de retrohabenda pecunia non curat, sed nonnisi pignori, & vadio inhiat, ut illud retineat, injuste agit, & vadium retinere nequit, cum non fuerit invitus in eo quod ei mutuum statuto tempore non fuerit redditum, propter hoc ergo vadii retentione mutuatarium punire nequit.

Quæres 22mo: Utrum ratione periculi cui res mutuo data subiicitur, liceat aliquid supra sortem accipere?

Resp: Periculum mutuo duplex inesse potest, aliud intrinsecum, aliud extrinsecum. *Intrinsecum*, & generale illud est, quod in omni mutuo secundum se spectato reperitur, ut quod bona illius, cui pecunia mutuo datur, incendio, aliisque casibus perire possint, quod mutuarius sit pauper, & cui per eleemosynam etiam succurrere tenemur, & per mutuum opem ferre obligamur. *Extrinsecum* & particulare illud est, quod á mutuo separari potest, & sæpius ab eo seiungitur, huic tamen quod hic & nunc datur, per accidens annexum est, exg. si pecunia mutuo detur homini prodigo, nullius conscientiæ, & à quo nonnisi magnis laboribus, molestiis, impensis, recuperanda probabiliter prævidetur. Itaque *1mo*: non licet supra sortem aliquid accipere propter periculum intrinsecum, & quod omni mutuo in se spectato inest, alias illud acciperetur vi, & ratione ipsius mutui, tale siquidem periculum cum ex natura mutui, ipsi insit, sitque ipsius accessorium ab eo inseparabile, ipsum mutuum, & naturam ipsius sequi debet. Cum itaque ratione ipsius mutui aliquid supra sortem accipere non liceat, neque illud accipere licitum erit propter periculum, quod ei intrinsecum est, & ex natura ipsi annexum. Hinc propter inopiam, paupertatem mutuatarii, non licet aliquid supra sortem accipere, quia periculum quod ex paupertate & inopia mutuatarii provenit, est mutuo, prout à Deo ordinatum fuit, intrinsecum, mutuum siquidem ad levamen pauperum & in gratiam eorum maxime à Deo ordinatum, & institutum fuit. Quodsi liceret aliquid supra sortem accipere propter periculum ex inopia, & pauperie mutuatarii proveniens, mutuum cederet non in levamen, sed in oppresionem pauperum, & quo ma-

major efset inopia, ac pauperies mutuatarii, eo plus supra sortem mutuans exigere pofset, quod nemo hucusque dixit, aut somniavit. 2do: Sed neque propter periculum extrinsecum, aut quodcunque aliud, licet in mutuo auctuarium exigere, & illud recipere. Quia qualecunque sit periculum mutuo annexum naturam mutui non immutat, cum vero â natura mutui sit ut grâtis præstetur, & vi, ac ratione ipsius nihil ultra sortem exigatur. Ergo etiamsi quodcunque ei annexum, sit periculum, propter illud in mutuo nihil exigere licitum erit. Certe cum in mutuando occurrit periculum, quia dandum est mutuum homini litibus afsveto, & qui non solet facile aliena restituere, liberum est mutuare, vel non mutuare, sortem suam certiorare per Pignus, fidejufsorem, sed cum datur, gratis dari debet, nihil lucri ex eo sperando.

Verum sunt multi, nec ignobiles Theologi qui docent, licere aliquid pacisci, & exigere supra sortem ratione periculi mutuo extrinseci. Quia istiusmodi periculum mutuo extrinsecum, & per accidens ei adiunctum, est præsens, & œstimabile, cum illud mutuans actu subeat, pecuniam suam in manu sua certam & tutam, manui periculosæ exponendo, in qua iam est minoris valoris, quam fuerat in sua, & mutuans quotannis aliquid supra sortem ratione prædicti periculi recipiens, quamvis postea sortem amittat, minus damnum patietur, & interim mutuatarius poterit lucrari ad ipsam sortem restituendam, quam si solverit, per hoc non tollitur periculum, quod mutuans subiit, & ratione cuius aliquid supra sortem percipiebat, sed iam amplius non continuatur, atque interrumpitur. Et certe minoris valet pecunia probabiliter, ob imminentia pericula, non recipienda, vel nonnisi difficulter recipienda, quam pecunia absque periculo, & in tuto reposita ac præsens, ut ex eo constat, quod minoris ematur chyrographum periculosum, quam si periculo careret, quia qui illud emit, exponit se periculo chyrographum non recipiendi, vel nonnisi difficulter recipiendi, tametsi aliquando contingat ut illud absque difficultate recipiat, quare juste supra id, quod pro periculoso offert chyrographo, aliquid accipit, atque lucratur. Ergo etiam mutuator summæ in mutuatarii manu periculosæ, licite potest ratione periculi amplius exigere, quam si eam committeret manui certæ, & non periculosæ, pro eo quod se exponat periculo eam non recipiendi, licet postea contingat, eam facile recipi. Et hæc

hæc opinio videtur eſse approbata, tum à Congregatione de propaganda fide, tum etiam ab Inocentio X. His siquidem verbis interrogata fuit Congregatio. *In Sinarum Regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiantur, absque respectu lucri ceſsantis, aut damni emergentis. Quœritur utrum Sinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniant lucrum ceſsans, aut damnum emergens, prœdictam pro centum triginta Regni lege taxatam quantitatem recipere. Et causa dubitandi est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet quod qui accipit mutuatum fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod neceſsarium sit coram Judice repetere, vel propter alia huiusmodi:* & S. Congregatio censuit, *ratione mutui immediate, & prœcise nihil eſse accipiendum ultra sortem principalem, si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non eſse inquietandos, dummodo habeatur ratio probabilitatis periculi, & qualitatis ejusdem, & servata proportione inter periculum, & id, quod accipitur.* Et hanc Congregationis resolutionem Innocentius X. approbavit.

Verum ut ratione periculi mutuo extrinseci aliquid supra sortem accipiatur, neceſse est. *1mo*: ut periculum sit vere probabile, quale non est, quoties mutuatarius, est cordatus, verax, & de quo non potest prudens formari præsumptio, quod non sit soluturus, & sortem non redditurus. *2do*: ut mutuans mutuatario liberam relinquat aſsecurandi sortem vel per pignus, vel per indubitatum fidejuſsorem, alioqui sine causa imponeretur illi onus, supra sortem aliquid ratione obvenientis periculi solvendi. *3tio*: ut non plus exigatur, quam communi prudentum judicio valeat istud periculum, quod auctuario supra sortem redimitur, & tunc haberi debet ratio & summæ mutuatæ, & magnitudinis periculi á mutuante subeundi, servata etiam proportione, inter periculum, & auctuarium. Indubitatum vero est, quod si mutuans periculum sortis in se suscipiat, potest eo titulo aliquid supra sortem recipere, quia hoc est pretio æstimabile, ac proinde juste exigi potest, ut aliquo dato compensetur, atque in tali casu mutuans quasi sibimetipsi sortem aſsecurat, ratione autem istius oneris, quod cuilibet in se illud suscipiendi certo pretio renumerari deberet, aliquid supra sortem ipse recipere à mutuatario potest.

Quæres 3tio: Utrum qui accipit usuras ad restituendum teneatur?

Resp: Qui accipit usuras tenetur restituere, tum ipsas acceptas usuras, tum fructus ex illis perceptos, tum etiam omne lucrum cefsans & damnum emergens iis, à quibus acceptæ sunt usuræ. Quia usurarius ad restituendum tenetur ratione injuriæ illatæ, exigendo, accipiendo, pofsidendo rem alienam per usuras inique extortam. Ergo & ipsam rem, & fructus eius restituere tenetur, atque insuper lucrum cefsans & damnum emergens compensare obligatur.

ARTICULUS 2dus.

De contractu societatis, censibus, locatione, cæterisque aliis.

Quæres 1mo: Quid sit contractus Societatis?

Resp: Contractus societatis est, quando duo vel tres, facta inter se conventione contribuunt aliquid ad commune lucrum percipiendum, & commune damnum in se suscipiunt, secundum proportionem factæ contributionis. Licitum efse istiusmodi contractum apertifsimum est. Quia licet secum convenire ad lucrum ex pecunia & industria captandum. Porro dum instituitur contractus Societatis, plures secum conveniunt ad captandum lucrum ex pecunia, & industria, dum unus dat pecuniam, alius offert industriam & laborem. Atque istiusmodi Societatis contractus omnino differt à mutuo, nam qui mutuo dat pecuniam etiam Mercatori, dominium illius, ac proprietatem in eum transfert, & propterea periculo illius non subiacet, quia ipsi restitui debet, etiamsi perierit, ac proinde neque lucrum exigere potest, quia qui non sentit in re aliqua onus, neque ex illa commodum reportare debet. Qui vero contractum Societatis constituendo, dat pecuniam Mercatori, ut cum ea negotietur, dominium, proprietatemque illius penes se retinet, tantummodo alterius usui ipsam committit, unde ex illa tamquam sua fructum exigere potest, sed & damnum illius sustinere cogitur.

Quæres 2do: Quæ requiruntur, ut contractus Societatis iuste constituatur?

Resp: Sequentia requiruntur. *1mo:* ut singuli Socie-

tatem

tatem constituentes aliquid ad lucrum faciendum aptum, atque idoneum conferant, sive pecuniam, sive laborem, industriam, sive alia utilia, animalia *exg.* equos, qui enim ad faciendum lucrum nihil conducens conferret, jus non habet ex Societatis contractu emolumentum quæritare. *2do*: ut lucrum dividatur in Socios contractus, secundum proportionem eorum, quæ quisque contulit pro lucro captando, ut scilicet servetur æqualitas. Pariter impensæ, damnum ex æquo dividi, debent, & eſse communia, Quare qui in Societatem æqualiter contulerunt inter eos lucrum, & damnum æqualiter dividi debent, qui inæqualiter, inter eos etiam lucra & damna inæqualiter partiri oportet. *3tio*: si res, vel pecunia in Societatem collata pereat, sine culpa sociorum, illis pereat, qui ipsas contulerant, quia illi retinent earum dominium, res autem domino suo perit. Quodsi pereant ex culpa Sociorum, hi tenentur illam restituere iis, quorum erant. Hinc patet, finito contractu Societatis rem exg, pecuniam in eam collatam, ipsius Domino restituendam eſse, lucrum vero quod superest inter Socios dividendum pro rata contributionis. Si vero nullum supersit lucrum, adhuc summa pecuniæ, ei qui illam contulit redenda est, neque potest inter socios dividi, quia tantum perdit, qui pecuniam sterilem recipit, quam qui ex labore, & industria sua nihil emolumenti percipit. Si tamen in contractu Societatis cautum eſset, ut collata pecunia una cum lucro, vel sine lucro inter socios divideretur, pacto standum est, iis etiam in divisione comprehensis qui solum laborem ac industriam contulerant. *4to*: ut ad certum tempus ineatur Societas, ante quod nemo poſsit repetere id, quod in societatem contulit.

Antequam vero lucrum proveniens in Socios dividatur, prius impensæ, quæ pro Societate factæ sunt, veluti itinerum, solutionis vectigalium, damna si exg: à latronibus expoliatus fuerit, qui Societatis causa peregrinatus fuerat, & alia similia deducenda sunt, quæ quis proxime ob datam Societatis rebus operam, paſsus est. Hæc enim ab omnibus sociis ferri debent, atque sumptus prius deducendi, quam rationes lucri computentur. At socii non tenentur de damno, quorum Societas nonnisi causa remota extitit, aut quæ ille, qui operas Societati confert, sua culpa paſsus est.

Quæres 3tio: Utrum ille, qui ad Societatis contractum affert pecuniam, poſsit cum aliis Sociis pacisci, ut quidquid

quid contigerit, sibi sua pecunia integra reddatur, cum lucro longe minore eo, quod probabilius speratur exg: *sex, aut septem à cento, licetsi viginti, aut triginta obvenerint?*

Resp: Ejusmodi pactum prorsus efset illicitum. Quia posito tali pacto, quo in contractu Societatis afsecuratur, atque in tuto reponitur, tum summa pecuniæ ad lucrandum destinata, tum etiam ipsum lucrum à Sociis accordatum, iam ruit, & desinit contractus Societatis, & transmutatur in contractum mutui. Natura siquidem contractus Societatis in eo posita est, ut eorum omnium quæ in Societatem afferuntur, pecunia videlicet, labor, industria, lucrum & damnum, commune sit, unde etiam in jure dicitur: *Cum societas contrahitur, tam lucri, quam damni communio initur.* Jam vero dum contractui Societatis prædictum afsecurationis additur pactum, hæc lucri & damni communio tollitur, qui enim in Societatem pecuniam affert, cum & ipsam & lucrum ex ea sibi afsecurata habeat, nullum damnum sentit, sed semper lucratur, qui vero in societatem industriam, laborem afferunt, illa aliquando perdunt, nihil illis lucrantur, & insuper ingens damnum non nunquam sustinere coguntur, integram pecuniam, etiam casu deperditam, proprietario restituendo. In hoc ergo, cum summa sit inter sic contrahentes inæqualitas, ac proinde etiam evidens injustitia; manifestifsimum est contractum Societatis prædicto afsecurationis pacto vestitum, illicitum efse. Et reipsa contractus Societatis tali afsecurationis vestitus pacto, purum est mutuum, quo sive uni, sive pluribus ad lacrandum datur, & conceditur pecunia, totumque ipsius periculum in illos reiicitur, & præterea duplex ipsis imponitr obligatio, ut & integram pecuniæ summam statuto tempore restituant, & ex illa determinatum afferant lucrum. Certe in mutuo usurario nihil plus invenire potest. Ex tali igitur Societatis contractu lucrum quærere, est ex mutuata pecunia lucrum exigere. Cum vero ex mutuo lucrum reportare illicitum, & iniquum sit, tale siquidem lucrum usurarium est. Igitur etiam ex contractu Societatis, cui pactum afsecurationis superadditur, lucrum exigere, & reportare, injustum & iniquum est, atque reipsa usurarium.

Quæres 4to: Quid sit census?

Resp: Census est contractus, quo emitur; & venditur jus percipiendi annuum proventum, vulgo *Czynsz*, vel

vel ex re aliqua utili & fructifera, exg: domo, prædio, vel ex persona alterius, vel ex re simul & persona.

Duplex est Census, reservativus, & consignativus. *Reservativus*, est jus percipiendi certum annuatim proventum, quem quis sibi reservat, ex re fructifera quam alteri ad usum tradit, sive ad tempus, sive in perpetuum. *Consignativus*, est jus, quod quis data & persoluta alicui certa pecuniæ summa, ab eodem emit certos proventus, quotannis ex ipsius bonis percipiendi. Et istiusmodi census consignativus est realis, personalis, & mixtus. *Realis* is est, qui constituitur, & percipitur ex re fructifera vg. agro, eamque commitatur adeo, ut ad quemcumque res illa transierit, cum illa transeat etiam annexum onus solvendi censum. *Personalis* ille est, qui immediate constitutus est super aliqua persona quæ sive ex offiicio, sive ex labore, industria, aliquid lucrari potest, & quæ sibi, ac suis succesoribus imponere potest obligationem solvendi certum proventum. *Mixtus*, qui tam super re, quam super persona constituitur.

Est etiam census alius *Temporalis*, qui ad certum nonnisi tempus constituitur. *Advitalitius*, qui ad vitæ decursum durat, alias *Perpetuus* qui in perpetuum durat. Tandem est census *Redimibilis Czynsz wyderkafowy*, qui redimi potest, seu à quo liberari potest Censuarius restituta pecuniæ summa pro qua venditus fuerat. Alius *Irredimibilis*, qui non potest redimi.

Nihil autem refert qualis sit census, & in quibus rebus percipiatur, an videlicet sit pecuniarius, & pecunia percipiatur, an etiam fructuarius, & fructibus terræ exsolvatur; quamquam enim Census, qui in re fructifera constituitur, fructibus eius exsolvi deberet, posunt tamen istiusmodi fructus taxari, & census pecunia exsolvi.

Quæres 5to: Utrum census licitus sit?

Resp: 1mo: Extra omnem controversiam est, censum reservativum licitum ese, quia æquum est, ut qui rem suam ad posidendum, & ex illa fructificandum tradit, aliquam sibi ex ipsa pensionem, annuumque proventum reservet. Et reipsa istiusmodi census constituerat Joseph Patriarcha, cum Egyptiorum bona pro frumentis in Pharaonis dominium aserta, postea Egyptiis restituit, annua super iis reservata pensione Pharaoni solvenda.

2do: Census realis licitus est, quia in eo fructus ex re fructifera, prædio exg. provenientes emuntur & ven-

duntur,

duntur, quod iustum, ac proinde licitum est. Sed & Summi Pontifices, Martinus V. Calixtus III. & Pius V. census reales approbarunt, & apud omnes Nationes sunt in usu.

Dices Qui emit & in alieno fundo censum constituit, certam singulis annis recipiendo pensionem, post temporis lapsum, maiorem recipiet summam pecuniæ, quam dederat censum emendo, quod iniquum est.

Resp: Id non est iniquum, qui enim fundum fructiferum emit, post aliquot annos prætium suum recuperat, & temporum lapsu summam pecuniæ, ea quam vendituro dederat, maiorem consequitur, nec tamen ullius injustitiæ accusatur. Ratio autem utriusque hæc est, quod ex communi hominum sensu, summa pecuniæ per multas partes divisa, nec recipienda nisi succefsive, & sic variis periculis, & incommodis exposita, non tanti valet, quanti simul sumpta, & integra, quæ etiam ad quodlibet lucri, negotiationisque genus aptior, & commodior est.

3tio: Census quoque personalis licitus est, quia non minus persona per artem, laborem, ac industriam suam potest efse fructifera, quam ager, aut domus. Ergo sicut vendi, & emi potest census percipiendus ex agris & prædiis, sic & vendi atque emi potest census ex lucro quod persona suo sibi labore comparat, percipiendus. Et quamvis Pius V. in sua Bulla censum personalem prohibere videtur, tamen ipsius Constitutio quoad hoc punctum pafsim non est in usu, unde census personalis in quam plurimis Regionibus Christanis est receptus, & viget. Verum longe communior & decentior, atque etiam tutior est census realis, quam personalis, qui sæpius in contractum usurarium degenerare solet, & ideo à Pio V· prohibitus est.

Quæres 6to: Quæ requiruntur ut Census legitime constituatur?

Resp: Ut census, maxime realis, legitime constituatur, hæc requiruntur. *1mo:* Ut Census constituatur in re fructif era, villa, agro, prædio, domo, molendino, proinde supe r re, quæ nullos affert fructus, census consti tui nequit. Unde etiam si res, in qua constitutus est census, perea t, perit quoque census, quia census ex fructibus rei percip iuntur, cum autem res fructifera perit, nulli supersunt fructus, non igitur census percipi poterunt. Verum ta men si res censui subiecta ex parte solum perierit,

rierit, ex parte etiam nonnisi census minuitur. Quod si res censualis, culpa censuarii pereat, censum solvere tenetur, ratione lucri cessantis, & damni emergentis. *2do*: Ut venditor census, seu censuarius possit censum super bonis suis alteri constitutum redimere, enumerari debet ipsi eadem pecuniæ summa, pro qua illi venditus & assecuratus fuit census. Unde census semper est redimibilis ad voluntatem & beneplacitum censuarii, seu illius qui censum solvit, potest enim cum voluerit bona sua ab onere solvendi censum liberare, censualista autem summam pecuniæ qua censum emerat recipere tenetur, quod non solum Bullis Romanorum Pontificum Martini V. Calixti III. Pii V. sed etiam Poloniæ ac Litvaniæ Constitutionibus quantum attinet Ecclesiasticos, qui super Bonis Nobilium constitutos habent census, statutum est, semper enim Nobilis enumerata pecuniæ summa, Ecclesiæ, sive Monasterio, bona sua ab obligatione solvendi annuatim census, eximere, & liberare potest. Sed ipse censualista, qui dato pretio super alterius bonis censum emerat, hanc pecuniæ summam repetere à censuario non valet, neque illum cogere potest, ut ipsam restituat, quia illius dominus non est, cum pro ea censum sibi solvendum emerit. Hinc quamvis census ex parte censuarii ad libitum illius sit redimibilis, ex parte tamen censualistæ, non est redimibilis, quod etiam in citatis summorum Pontificum Bullis præcustoditum est, alias non esset vera emptio census, sed esset mutuo data pecunia, ut ratione ipsius fructus, & proventus annuatim percipiantur, quod usurarium, & illicitum est. Quod si tamen censuarius pertinaciter censum solvere renuat, potest censualista contra illum uti iuris remediis, aut eum per sententiam Judicis ad solutionem census cogendo, aut bona censui subiecta occupando, ut ex illis ipse fructus exquirat, & censum percipiat.

Quæres 7mo: Quid sit locatio, conductio?

Resp: Locatio est contractus, quo rei usus, fructusve, vel etiam personæ opera, labor, pro certo pretio ad præfinitum tempus conceditur. Conductio vero est contractus, quo rei usus, vel fructus, aut persone labor, opera, certo pretio accipiuntur, & vulgo *arenda*, *naiem:* vacitantur. Unde sunt unus, idemque mutuus contractus, qui ex parte dantis est locatio, ex parte accipientis est conductio. Porro locatio, & conductio. proxima sunt venditioni, & emptioni, iisdemque regulis & superstru-

struuntur, & consistunt. Nam sunt veri nominis emptio, & venditio, usus, aut fructus rei, vel laboris atque operarum personæ. Hinc nunquam licet locare, iusto maiore, conducere, iusto minore pretio.

Quæres 8vo: Quæ sunt obligationes locatoris, & conductoris?

Resp: Locator tenetur. *1mo:* Aperire conductori defectus, & vitia rei locandæ, alioqui tenebitur conductori de damno, etiamsi locator vitium rei locandæ ignoraverit, sed culpabiliter, quia tenetur diligenter expendere rem, quam locat, si apta sit usui ad quem illam conductor quærit, idque postulat æquitas locationis. *2do:* Tenetur remittere pretium locationis, pro toto eo tempore, quo conductor non potuit uti re vel opera locata, si impedimentum proveniat aut ex parte locatoris, aut ex parte rei locatæ. Nam conductor non censetur promisiſse pretium, nisi quatenus re locata uti, & frui poterit. Unde etiam prædii, agrorum, locator, tenetur pensionem, *Arende* conductori, *Arendarzowi*, remittere, si hic sine sua culpa, sed ob sterilitatem, grandinem, nullos recipiat fructus, aut vi tempestatis, hostium depopulatione, perierint. Quodsi prædii conductor, aliquos fructus perceperit, sed sterilitas, grando, plures absumpserit, tunc locator pensionem minuere tenetur, pro rata amiſsionis, nisi ubertate præcedentis, vel sequentis anni, cum ad plures annos locatio prorogatur, sterilitas compensetur, aut conductor convenerit, ut non attento quovis eventu, solvere teneatur integram pensionem, quæ etiam propter hoc onus minor eſse debet, nam tunc conductor cedit iuri suo, quod compensatur. *3tio:* Tenetur conductori permittere rem locatam poſsidere ad constitutum tempus, alioquin tenebitur illi compensare lucrum ceſsans, & damnum emergens, quia conductor acquisivit, ius utendi atque fruendi re usque ad præfinitum tempus. Tandem etiam locator tenetur conductori impensas neceſsarias, tum ad reparationem, tum ad conservationem rei locatæ factas, compensare, ac restituere, nisi aliter inter eos conventum sit.

Conductor vero tenetur *1mo:* Uti re locata iuxta boni viri arbitrium, & non ad alios casus sibi minime à locatorio conceſsos. Nam qui usurpat rem alterius ad usum aliquem sine, aut contra voluntatem eius, ius ipsius lædit. *2do:* Tenetur pro illius conservatione eam curam adhibere, quam diligentiores, ac prudentiores in

simili

simili re sua adhibere solent. Quare si ex culpa ipsius res pereat, aut deterior fiat, tenetur ad restitutionem, & compensationem, imo tenetur etiam de culpa famulorum & eorum quibus rem locatam committit, si ex sua negligentia non impedivit malum usum rei locatæ, vel si idoneos famulos non conducit, vel malos operarios admisit. Curare quoque debet, ut dominus rei locatæ nullum detrimentum patiatur, sive quoad ius quod ad rem habet, sive quoad ipsius substantiam; unde tenetur etiam de casu fortuito eveniente ex eo quod aliquid egerit, fecerit, contra factam cum locatorio conventionem: attamen periculum rei locatæ penes ipsum manet locatorem, si quid contigat sine ulla culpa Conductoris, potest tamen apponi pactum ut Conductor etiam casus fortuitos in se suscipiat, atque pro iis respondeat, & omne periculum rei locatæ sustineat, sed hoc onus imminutione pensionis, ex re locata provenientis, compensari debet, alioqui eſset inæqualitas, ideoque injustia. *3tio;* Tenetur pensionem, *Arendę*, statuto tempore solvere, nam hæc ex justitia debetur, unde si sit in mora culpabili, tenetur locatori compensare lucrum ceſsans, & damnum emergens. Quod si re conducta uti, & frui non potuerit ob causam non provenientem ex parte sua exg. propter bellum, vel si domus conducta, molendinum, corruat, si equus morbo afficiatur, non tenetur pensionem solvere, pro eo tempore, quo re conducta uti & frui non poterat. At si non poſsit illa re uti, frui, ob causam ex parte sua se tenentem, licet sine sua culpa provenientem, tenetur totam pensionem solvere. Nam æquitas postulat, ut locator damnum non patiatur ob causam supervenientem ex parte conductoris. Et sicut conductor non tenetur solvere pensionem, quando non potest uti re conducta ob causam provenientem ex parte locationis, aut rei locatæ, ita par est, ut locator percipiat pensionem quando conductor non potuit uti re conducta ab causam ex parte sua provenientem. *4to.* Non potest dimittere rem conductam, ante terminum constitutum, alioquin tenetur solvere *całą Arendę*, perinde ac si ea re toto tempore usus eſset, nisi ejus usus impediatur ob causam quæ ab ipso non provenit, quia exg. Locator prædium, domum, vendidit, non præcustodito Conductoris jure, aut etiam à Creditoribus ipsius post plenam obtentam convictionem, expellatur. *5to:* Tandem conductor rem locatam completo tempore

le-

locatori restituere tenetur, nam non habet jus eam diutius detinendi.

Quæres 9no: Quænam sunt observanda circa conductionem operariorum, & famulorum?

Resp: Sequentia sunt observanda *1mo*: justum stipendium pro servitio famulorum, ancillarum, pro labore, & opera operariorum, illud eſse censetur, quod ipsis communiter in illis locis dari solet. Nam petitur à communi æstimatione, pretium siquidem operarum, & obsequiorum, cum non est lege taxatum, perinde ac rerum venalium, potest habere latitudinem summi, medii & infimi. Quare si quis exigat stipendium majus summo, aut solvat infimo minus, peccat contra justitiam, & ad restituendum obligatur, perinde ac vendens supra summum, aut emens infra infimum, nam tunc tollitur æqualitas inter pretium & operam. Censetur quoque stipendium esse justum, quando multi reperiuntur, qui libenter talem operam, ac tale obsequium pro tali stipendio parati sunt præstare, nam tunc tale stipendium communi æstimatione justum eſse censetur, quod non solet tamquam insufficiens recusari, aut quod uno recusante, statim acceptatur ab altero.

2do: Si nulla facta sit conventio inter conductorem & operarium, famulumve, & stipendium relictum sit arbitrio Conductoris, hic tenetur dare saltem infimum mercedis justæ pretium. Nam talis conductio, est quædam emptio obsequiorum, quæ semper exigit pretium justum. Et quamvis alter nullum pretium determinaverit, non intendit tamen totum obsequium, vel ejus partem gratis præstare, sed mens ejus est, ut conductor solvat quod justum eſse judicaverit, secundum communem estimationem.

3tio: Si famulus, vel operarius, se ultro conductori, & domino obtulerit, & hic opera ejus non egeat, se solum ex charitate ad preces ejus, ipsum conducat, tunc tenetur ei dare alimenta, & si opera ejus conductori afferant utilitatem, quæ pluris valeat quam alimenta, præter illa debet ipsi stipendium æquale valori utilitatis inde perceptæ, quia jure naturali dignus est operarius mercede sua, & in tali casu, opera, & obsequium, æstimari debet ex utilitate quam dominus, & conductor ex iis percipit, namque secundum communem æstimationem, non plus tunc valent.

4to: Si operarius vel artifex convenerint de pretio &

& stipendio minore, quam valeat ejus opera, vel opus, quod in se suscepit, falso putans exg. ædificium minore tempore, labore, vel sumptu exstruendum fore, tenetur Conductor ſupplere defectum justi pretii, ac stipendii. Quia alioquin eſset inæqualitas inter stipendium & operam, opusque elaboratum, ideoque injusticia. Neque enim sponte, & scienter, sed ex ignorantia & errore, in illud pretium justo minus consensit, nec sponte donat id, quod ei deest.

5to: Si conductor non poſsit uti opera alterius conducta, ob impedimentum quod non provenit ex parte operarii & conducti, tenetur totam constitutam mercedem ei solvere, perinde ac si operas suas impendiſset. Nam contractum adimplere neceſse est, & conductus habet jus ut non patiatur damnum ob causam quæ non provenit ex parte sua. Sed si operarius ex opera sua alibi tunc impensa, aliquid lucratus fuerit, conductor poterit tantumdem detrahere de pretio ipsi appromiſso, vel nihil dare, si tantumdem lucratus fuerit, quia tunc conductus nullum damnum sustinuit. Si vero operarius conductus, non præstet operam ob impedimentum ex parte sua proveniens, licet sine sua culpa, tunc non debetur illi merces, & accepta restitui debet. Nam conductor non se obligavit ad dandam mercedem pro opera quæ præstari nequeat ob causam provenientem ex parte operarii conducti. Imo ipse operarius conductus tenebitur ad faciendam compensationem Conductori, si operam suam toto tempore pro quo conductus fuit ex sua culpa non impenderit, quia est causa injusta damni, quod Conductor patitur.

6to: Bene laborantibus justum stipendium statim à Conductore solvi debet, nam habent jus statim illud post præstitam operam recipiendi, unde Tobiæ Cap: 4. dicitur: *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue*: & Jacobi Cap: 5 *Ecce merces operariorum quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Si vero non bene laboraverint, peccant contra justitiam, neque debetur illis stipendium, nisi secundum æstimationem laboris persoluti. Quare si integrum stipendium receperint, tenentur vel supplere defectum laboris, vel restituere exceſsum stipendii, cum ad eum jus non habeant, imo & compensare conductori damnum emergens & lucrum ceſsans, nam fuerunt illius causa iniqua, cum ex conventione tenerentur diligenter laborare.

Quæ-

Quæres 1omo: Quid sit depositum?

Resp: Depositum sæpe quidem sumitur pro re deposita, & ad custodiendum alteri tradita; sed hic sumitur pro contractu, quo res alteri custodienda traditur, ab eoque suscipitur, ut eadem reddatur. Ad contractum depositi necefse est, ut depositarius rem depositam suscipiat, alias non tenetur de deposito. Quare depositi contractus tunc perficitur, dum res traditur à deponente, et suscipitur á depositario. Tradere enim vel deponere non sufficit, sed requiritur etiam ut alter significet, se ejus custodiam suscipere, nisi forte ex officio, & munere teneatur eam custodire, quales sunt Caupones, Stabularii, nam fufficit illis videntibus rem deponere.

Quilibet depositum suscipere potest, etiam Religiosus, nisi Religionis resistant leges; sed Monasterium hujus depositi, etiamsi dolo ipsius Religiosi pereat, periculum in se suscipere non tenetur, nisi Conventus in suam fidem, ac custodiam illud recepifset, & nisi item in utilitatem Conventus fuifset impensum, tunc enim Monasterium teneretur id restituere quo ditius evasifset, quia ex alieno locupletari non licet.

Quæres 11mo. Quæ obligationes depositarii?

Resp: Obligationes depositarii sequentes sunt. *1mo:* Rem depositam servare ac custodire ea cura ac diligentia tenetur, quam homines diligentes solent in simili propria re adhibere, & qua ipse res suas servat, Quod si res deposita pereat, vel deterior fiat, tenetur solum de dolo, & culpa lata. Si tamen depositum cedat in commodum utriusque, ut si depositarius mercedem pro custodia recipiat, tenetur etiam ex culpa levi. Hinc Sartores, Mollitores, Caupones, pro rebus sibi concreditis, & apud se depositis, tenentur etiam ex culpa levi, nam tenentur ex officio sibi & aliis utili, custodire ea, quæ sibi traduntur. Si vero depositio cedat in commodum solius depositarii, ut si apud ipsum deponatur pecunia eo solo fine ut pofsit ea uti, si ipsa indigeat, tunc depositarius tenetur etiam ex levifsima culpa. Imo si deponens cum plena utendi facultate depositario depositum suum concefserit, quoniam tunc depositum transit in mutuum, illud depositario perire debet.

2do: Non potest uti re deposita, sine consensu domini exprefso, aut saltem tacito, vel denique prudenter præsumpto. Quia rei usus non est ipsi permifsus, sed solum commifsa custodia, hinc si usus rei depositæ sit

pre-

pretio æstimabilis, ut usus equi, vestis, solvi debet illius pretium. Si etiam depositarius utatur re deposita, quæ usu consumitur, vg. vino, aut tritico, certo sciens se res ejusdem valoris, & pretii habiturum, quo tempore depositum repetendum est, non peccat, sed si res istæ casu fortuito perirent, damnum pertineret ad depositarium. Censent etiam multi depositarium uti poſse pecunia, quæ sibi traditur sacculo non clauso, nec obsignato, tunc enim præsumitur consensus domini in usum ipsius, modo aliò indicio non ostendat se illius usum denegare, & si pecunia non consistat in tali moneta, quæ curiositatis magis quam ipsa utendi gratia conservatur. *3tio* Tenetur depositum repetenti statim reddere. Nam alioqui rem alienam retineret invito domino. Nisi res deposita sit furtiva, & dominus eam repetat, tunc enim domino restitui debet. Quod si depositarius alteri quam domino reddiderit depositum, & perierit, non tenetur ad restitutionem, modo bona fide, & cum prudenti circumspectione id fecerit, putando, licet falso, eſse dominum, rei depositæ, vel aliquem ab eo miſsum, ad depositum recipien um, quia tunc abest fraus, dolus & culpa lata, ex quibus solum de damno depositarius communiter obligatur.

4to: Depositarius nihil quidquam sibi retinere potest, quia alienum usurparet. Attamen si in re custodienda expensæ factæ sint, illas deponens resarcire tenetur.

Quæres x2mo: Quid sit commodatum?

Resp: Commodatum, est quando res aliqua ad solum usum alicui gratuito conceditur, usque ad designatum tempus, ante quod revocari non potest, quod si ad nutum sit revocabilis, Precarium dicitur. Unde Commodatum à Precario non differt, nisi quod Precarium quovis tempore revocari poſsit, Commodatum vero nonnisi præfixo tempore repeti valet.

Commodatum, & Precarium differunt *1mo:* à locatione, in qua pro usu rei, pretium exigitur, hic gratis conceditur. *2do:* à mutuo, in quo non usus tantum rei conceditur, sed & proprietas in alium transfertur: *3tio:* à deposito, in quo neque usus rei ordinarie conceditur.

Quæres x3tio: Quæ sint obligationes commodantis, & commodatarii?

Resp: 1mo Commodans tenetur aperire vitium rei commodatæ, si quod ei inest, maxime si illud sit periculosum, alioqui tenebitur de damno inde secuto *2do* non potest rem commodatam ante tempus de quo vel expreſse,

vel

vel implicite conventum est, recipere, quia commodatarius vi pacti acquisivit jus illa re utendi usque ad tempus sive tacite, sive expreſse præfixum, quare si ante commodans rem suam repetat, tenebitur de lucro ceſsante, & damno inde emergente, nam fecit injuriam commodatario jus illius violando ex inito pacto acquisitum. Nisi commodanti simile damnum ex carentia rei suæ inopinato immineret, tunc enim licet ei ante tempus rem suam repetere etiamsi commodatario idem immineret damnum, quia nemo intendit rem suam gratuito ad usum alteri cum damno suo concedere.

Commodatarius vero tenetur. *1mo:* Non uti re commodata nisi ad usum ad quem sibi conceſsa fuit, aut saltem cui prudenter judicet dominum rei commodatæ consensurum. *2do:* Tenetur rem commodatam finito tempore restituere, etiamsi non repetatur, cum tempus statutum pro domino rei interpellet, alioqui tenebitur omne lucrum ceſsans, & damnum emergens reparare. *3tio:* Tenetur ad impensas modicas, & ordinarias, atque ad rei commodatæ conservationem neceſsarias exg. ad pabulum equo subministrandum, non tamen tenetur ad expensas extraordinarias, ac magnas, exg. ad curationem equi non mediocri pretio faciendam. *4to:* Tenetur adhibere maximam diligentiam ac curam ad rem commodatam integre, & in bono statu conservandam. Quare si res pereat, aut deterior fiat, ex culpa etiam leviſsima, tenetur ad restitutionem, nam commodati contractus cedit in utilitem illius sollius. Unde tenetur commodatarius ad restitutionem si res commodata pereat, vel si amittetur, dum per tertium aliquem remittitur, si non adhibuit diligentiam & prudentiam maximam, ut fidelem ac idoneum adhiberet, secus si hanc diligentiam, ac prudentiam adhibuit, vel si tertius ille à commodante fuit electus, ac designatus, tunc enim res domino suo perit. Quod si in utriusque commodantis scilicet & commodataria res fuit commodata, commodatarius tenebitur solum de culpa levi, si vero in gratiam solius commodantis vergat, de culpa nonnisi lata.

Quæres 14to: An res aliena commodata, deposita, conducta, debeat præferri propriæ, si utraque conservari nequeat, ut in periculo incendii, naufragii?

Resp: 1mo: Si res tua propria sit prætiosior, potes eam conservare præ aliena commodata, deposita, conducta, Quia non exigit æquitas, ut quis cum majore suo damno

diat damnum alterius minus. Verum si res fuit commodata, juxta multos Theologos, commodatarius tenetur pretium rei commodanti solvere. Nam æquum non est, ut commodans damnum sustineat, salvis rebus commodatarii, cui gratis rem suam commodavit, & ob cujus solius commodum, res commodantis adducta est in periculum,

2do: Si vero res aliena commodata, conducta, deposita, sit prætiosior, ex justitia debet propriis præferri. Quia rei alienæ ea debetur custodia, quam quisque prudens in suis rebus adhiberet; quisque autem servaret res suas prætiosiores, relictis vilioribus. Sed tunc si res aliena erat apud te in commodum solius ipsius domini, compensatio exigi potest totius damni, quod evenerat rem illam alienam salvando, nam non tenebaris eam gratis servare cum tuo damno, quam non in tuam utilitatem detinebas. Si autem erat apud te in utilitatem tum tui, tum illius domini, potes repetere mediam damni partem, quia tunc utriusque causa res periclitabatur, & æquum est ut uterque cum sentiat commodum, sentiat & onus pro ratione commodi. Quod si vero res apud te erat in tui solius utilitatem, non poteris exigere compensationem pro tuis rebus deperditis. Quia cum jactura tuarum rerum minoris, vel æqualis valoris, teneris alterum præstare indemnem, cum tantum occasione tui commodi, res ejus in periculum inciderit.

3tio: Quando res tua est æque prætiosa quam aliena deposita apud te, conducta, commodata, potes illam præferre alienæ, si res aliena sit apud te in commodum solius domini illius, vel in commodum commune utriusque tui & illius: si vero sit in commodum tui solius, teneris tunc eam tuis præferre rebus. Quia rem alienam in tui solius commodum acceptam, teneris diligentia maxima servare, nec tunc ille tenetur compensare, cum res illius, tui solius causa periclitaretur, & cum tu solus commodum sentias ex re aliena, æquum est, ut solus etiam damnum patiaris, præstando id, ad quod tenebaris.

Commodato simile est precarium, quo usus rei alteri conceditur, ad nutum concedentis revocabilis. Differt tamen à Commodato, quia res precario ad usum concefsa, quolibet tempore, ad nutum concedentis revocari potest, res vero commodata revocari nequit, nisi elapso tempore, quod constitutum est. Unde etiam cum precarium hoc habeat onus anexum, ut semper revocari pofsit ad nutum concedentis, merito sancitum est, ut in con-

tractu precario, non teneatur quis ad restituendum, nisi ex dolo, & culpa lata. Aliud vero est de commodato: commodans enim rem commodatam revocare non potest, nisi post usum rei commodatæ, & tempus de quibus conventum est, adeoque cum ex hac parte commodans plus habeat oneris, ex alia minus sustinere debet incommodi, unde in contractu commodati, etiam ex culpa levissima, ad restituendum commodatarius tenetur.

ARTICULUS 3tius

De fidejussione, assecuratione, Pignore, & Sponsione.

Quæres 1mo: Quid sit fidejussio?

Resp: Fidejussio, vulgo *Porẑka*, est contractus, quo quis aliquam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis eam non impleat exg. debitam pecuniam enumerandi, si ipse debitor eam non solverit. Et talis fidejussio, ex libero partium consensu constituitur.

Circa fidejussionem hæc tenenda sunt 1mo. non obligatur fidejussor *Porẑcznik*, si fidejussio sit invalida, propter dolum, fraudem, aut si obligatio debitoris principalis jam extincta fuerit condonatione, compensatione, quia fidejussor non intendit se obligare pro illo, qui reipsa non debet. Idem dicendum, si nulla sit debitoris obligatio, fidejussor etiam obligari non potest exg. si equus pro cujus commodato Petrus se sponsorem fecit, casu fortuito pereat, ad nihil tenetur, nisi commodatarius fuerit in mora reddendi, tunc enim in ejus defectum tenetur.

2do: Fidejussor non potest ad plus obligari, quam principalis debitor, sive ratione quantitatis rei debitæ, sive ratione loci, temporis, quia plus in accessione esse non debet, quam in principali. Jam vero fidejussio est accessorium obligationis quam habet principalis debitor.

3tio: Fidejussor non potest conveniri ad solvendum debitum, nisi prius debitor principalis conveniatur, & constiterit eum solvere non posse. Nisi tamen principalis debitor longe absit, ut conveniri non possit. Hoc enim est veluti conditio fidejussionis, ut fidejussor nonnisi in defectu debitoris principalis teneatur.

4to: Si multi sint fidejussores, quorum unus solvendo non sit par, cæteri in solidum tenentur, omnes tamen conveniri debent.

Præ-

Præcipua autem fidejussoris jura hæc sunt *1mo*: agere potest contra debitorem pro quo se obligaverat, ut sibi restituat tum illud omne quod pro eo solverat, tum damna quæ inde paſsus est, debitor siquidem fidejuſsorem ſuum indemnem servare debet. *2do*: Potest exigere á creditore, cui se pro debitore obligaverat, ut sibi cedat omnem actionem, & jus quod ad debitorem habet ratione ejusmodi debiti, pro quo spoponderat. *3tio*: Non manet obligatus, si Creditor novum cum debitore contractum ineat circa rem pro qua fidem dederat, vg. domum denuo seu expreſsa, seu tacita reconductione locando. Peccat autem graviter fidejuſsor, qui certus de sua impotentia ad solvendum pro alio, ejus se fidejuſsorem constituit, nam creditorem injuste decipit, falsam rei securitatem offerendo, & dat ei occasionem periculi, & damni.

Quæres 2do: An liceat pro fidejussione pretium aliquod exigere?

Resp: Id licitum est, quia obligatio solvendi debitum alterius, est onus prætio estimabile, neque fidejuſsor tenetur illud gratis in se suscipere, ergo pretium pro illo juste exigi potest. Neque id exigitur pro solutione pecuniæ loco alterius datæ, vel dandæ, nam hoc eſset usurarium, cum tunc aliquid pro mutuo data pecunia exigeretur, sed pro onere & obligatione quam fidejuſsor in se suscipit alterius solvendi debitum. Id tamen quod pro fidejuſsione exigitur, debet eſse moderatum, & exigendum pro quantitate debiti, & pro ratione periculi. Unde si fidejussor sciat nullum ſubeſse periculum, nihil potest exigere, quia tunc obligatio quam in se suscipit, nullum ei affert onus, quod compensari debeat.

Quæres 3tio: Quid sit aſsecuratio?

Resp: Aſsecuratio est contractus, quo quis alienæ rei periculum in se ſuscipit, obligando se vel gratis, vel pacto pretio ad eam si perierit compensandam. Quando hæc obligatio pacto pretio suscipitur, est contractus similis venditioni, nam venditur obligatio præstandi domino rem illius indemnem, quæ est pretio æstimabilis.

Porro ut istiusmodi contractus licite fiat, hæc requiruntur. *1mo*: Ut periculum subsit saltem probabile amittendæ rei, pro qua datur aſsecuratio, aut ab utroque judicetur ſubeſse, ita ut rei eventus sit utrique incertus. Si enim ante datam aſsecurationem constaret aſsecuranti, rem alterius, pro qua exigitur aſsecuratio, eſse extra omne periculum, peccaret, & teneretur restituere acce-

ptum pro aſsecuratione pretium. Nam tunc nullus est titulus accipiendi pretii, cum in hoc casu aſsecuratio non sit pretio digna. Idem dic de eo qui sciens rem suam periiſse, pacisceretur cum altero de illius aſsecuratione, quia tunc ridicula, & inanis est rei aſsecuratio, quæ jam periit, hæc enim potest eſse de re dumtaxat, cujus periculum imminet, & quod caveri potest, atque tunc reipsa fraus & dolus interveniunt, quibus dans aſsecurationem seducitur. *2do*: Requiritur ut pretium pro aſsecuratione sit proportionatum periculo, pro quo cavetur, spectata æstimatione rei, quæ aſsecuratur, alioquin non servaretur æqualitas.

Quæres 4to: *Quid sit pignus, hypotheca?*

Resp: Pignus est contractus, quo debitor rem aliquam mobilem *Zastaw*, tradit creditori ad securitatem debiti, pro quo sic obligatus remanet, ut poſsit ex ea solutio peti, si debitor non solverit. Hypotheca *Ewikcya*, est contractus, quo res immobilis obligatur creditori ad securitatem debiti, ita ut jus habeat ex ea solutionem petendi. Differunt autem inter se *1mo*: quod in pignore, res tradatur creditori, in hypotheca vero, res sola conventione creditori obligatur, sine traditione. *2do*: Pignus est rei mobilis, hypotheca vero rei immobilis. Hypotheca alia est universalis, per quam omnia bona tum præsentia, tum futura obligantur: alia particularis, qua hæc nonnisi in specie bona obligantur, & hæc semper afficit illa bona ad quemcumque perveniant, donec debitum solvatur.

Quæres 5to: *Quænam sunt obligationes dantis, & accipientis pignus, vel hypothecam?*

Resp: *1mo:* Ex parte dantis, seu debitoris, hæ sunt obligationes *1mo:* non licet eandem rem dare pluribus in hypothecam, nisi sit ſufficiens pro pluribus debitis. Nam ideo res subiicitur hypothecæ, ut creditor ex ea solutionem capiat. Plures autem creditores non poſsunt solutionem accipere ex re pro pluribus debitis ſupportandis inſufficiente. *2do*: Debitor tenetur creditori restituere impensas in pignoris conservationem, ne deterius fiat, factas. Nec potest pignus repetere, donec debitum integre solverit. *3tio*: Non licet ei vendere rem hypotecatam, nisi monito emptore de hypotheca, quia illum deciperet, cum emptor putaret, bona ab omni onere eſse libera, cum teneretur ex iis debita hypothecata solvere, res enim ad emptorem transit cum suo onere reali.

2do:

2do: Accipiens pignus, seu hypothecam, idest: creditor, tenetur *1mo:* Diligenter servare pignus, & curare ne pereat, aut deterius fiat, alioquin tenebitur de damno secuto ex culpa lata & levi, non tamen levifsima, quia contractus cedit in utriusque partis utilitatem. Potest autem pignus acceptum alteri obligare, sed non pro maiore summa. *2do:* Non potest uti re oppignorata, sine consensu debitoris, nisi utatur in gratiam debitoris, ne scilicet res deterior fieret. Quia est res aliena ad securitatem tantum, non ad usum concefsa, injustum autem est uti re aliena sine consensu domini ipsius. *3tio:* Non potest vendere pignus, nisi debitor tempore constituto non solverit, tunc tamen præmonendus est: quodsi pluris vendat, quam est debitum, tenetur excefsum debitori refundere. *4to:* Soluto integre debito, debet pignus statim restituere, nam tunc nullum habet jus illud retinendi. *5to:* Tandem tenetur fructus ex pignore perceptos, domino pignoris reddere, vel si eos consumpsit, in partem debiti computare.

Quæres 6to: Quid sit sponsio?

Resp: Sponsio est contractus, quo duo, vel plures, de veritate, aut eventu alicuius rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut id sit ejus, qui veritatem afsecutus fuerit, & id vulgo dicitur *iść w zakład.* Ut vero hic contractus juste fiat, necefse est *1mo:* Ut res de qua agitur in eodem sensu ab utroque accipiatur, nam alioquin nullus efset contractus sponsionis, siquidem spondentes neque se invicem intelligerent, neque in unum consentirent, cum diversimode rem acciperent. *2do:* Ut res de qua contenditur, sit utrique contrahentium incerta, alioquin jam non efset æqualitas in spe, & periculo, quæ ad justitiam sponsionis requiritur, sponsio siquidem est contractus onerosus, quo emitur spes lucri periculo amissionis, & damni. Hinc si quis certus de rei veritate, & de eventu, aliquid sponsione lucratus est, tenetur id restiture, etiamsi de sua certitudine alterum monuifset, qui nihilominus vult contendere. Cum enim in sponsione ematur & vendatur spes lucri periculo damni, veluti mero pretio, si nullum sit periculum perdendi, nihil emitur, & nihil venditur, ac proinde contractus est invalidus. Quod si tamen ille, qui à principio certus erat de veritate rei quam sustinet, sed altero pertinaciter contradicente, incipiat dubitare, quia advertit alias non semel contigifse, ut in iis etiam quæ certa sibi videbantur,

tur, deceptus fuerit, potest licite ex sponsione lucrari, ob periculum quod tunc imaginatur, & cui se ultro exponit.

Quæres 7mo. Quid sit Ludus?

Resp: Ludus est certamen ad animi relaxationem institutum, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori res quasi præmii loco cedat, quam exposuerant. Porro triplex est ludorum genus, alii mere pendent ab industria, nihil, aut fere nihil à fortuna, ut ludus pilæ: alii mere pendent à fortuna, & nihil aut fere nihil ab industria, ut ludi taxillorum, & multi chartarum ludi: alii demum mixti sunt, & partim á fortuna, partim ab industria pendent, ut plures etiam chartarum ludi. Ex his autem omnibus ludis, nullus est, qui ex natura sua illicitus sit. Quia sicut potest quisque rem suam alteri simpliciter & absolute donare, sic potest eam in alium transferre, sub aliqua conditione, videlicet si ludendo victor existat. Verum tamen ut ludus licitus sit, oportet 1mo: Ut sit moderatus, ac proinde nec sæpius, nec diutius ludatur, quam exigit necefsitas reficiendi vires animi honesta relaxatione. *2do*: Ut non sit occasio peccandi, nec scandalum, aut damnum cuiquam pariat. *3tio*: Ut modus debitus, decorum, ac honestum servetur. *4to:* Tandem ut congruat personæ, tempori, & loco. Unde Clericis inhibitum est, ne in publico ludant, pila, chartis, maxime cum Laicis ob indecentiam. Et communiter Laici etiam qui ludis deserviunt, in periculo gravifsimorum peccatorum versantur, ut enim inquit S. Bonaventura: *in ludo multa commituntur peccata, scilicet: fraus, mendacium, perjurium; blasphemia, amifsio temporis, & ira frequenter.*

Quæres 8vo: Quæ requiruntur ut ludus sit justus?

Resp: Ut ludus sit justus conditiones requisitæ, & omnino necefsariæ sunt 1mo: Ut ludentes habeant proprietatem, & liberam dispositionem eorum, quæ ludo exponunt, & id perdere pofsint absque eo quod suis desint officiis, quia alia habent, unde familiam suam alant, debita solvant, & cæteris quibus obligati sunt satisfaciant. Hinc qui lucratur à filio familias, à Religioso, qui neque proprietatem, neque liberam bonorum habent administrationem, peccat, & ad restituendum tenetur, nisi hi quibuscum lusit, eorum à quibus pendent, sufficientem consensum obtinuerint, aut nisi id, quod ab iis deperditum est, modicum sit, de quo præsumi pofsit, quod exg. Patres, Tutores, non curarent.

2do:

2do: Ut summa quæ ludo exponitur, sit modica secundum unius cujusque facultatem ac conditionem, & non major quam opus sit ad animi relaxationem. Qui enim majores summas exponunt, præter multa quibus se exponunt peccandi pericula, lucrum avide & principaliter intendunt, cum ludus nonnisi ad animi relaxationem institutus sit.

3tio: Ut absit omnis fraus, & dolus. Unde qui decipiunt in numero calculorum, qui chartas abscundunt, easque speciali, quo distingvi pofsint, signo notant, peccant graviter, & ad restituendum tenentur, tum lucrum hac arte acquisitum, quia inique acquisitum est, tum id quod alter certo, aut probabiliter acquisiturus erat. Quædam tamen sunt astutiæ, quæ ex communi consvetudine adhibentur, & noscuntur abhiberi, & hæ non censentur efse injustæ, ut si quis sciens se meliores habere chartas, timorem simulet, quo alter ad augendam sponsionem impellatur.

4to: Ut inter ludentes sit æqualitas moralis in spe lucrandi, & in periculo perdendi, quia conventio quæ est inter ludentes, est utrinque onerosa, & in ea quasi emitur spes lucrandi periculo perdendi, ideoque requirit æqualitatem inter spem & periculum. Unde tenetur ad restitutionem, qui certo sciens se alterum peritia notabiliter excedere, ita ut moraliter sit certus de victoria, silet, & illum non præcavet, quia tunc error dat causam, occasionemque ludendi, alter enim non voluit ludere, nisi quia putavit se æqualem in ludendo efse. Cum vero uterque ignorat notabilem excefsum peritiæ alterius in ludendo, lucrum est justum etiam in peritiore, quia uterque tunc se sponte exponit periculo perdendi, & sicut lucranti occurrit imperitior, ita poterat occurrere peritior, atque sic conventio, ac ludus fuit fortunæ, & ex utraque parte æqualis.

5to: Absit coactio, & alter alterum ad ludum vel incipiendum, vel continuandum non pertrahat per injurias, fraudes, convicia, aut preces adeo importunas, ut alter mallet rem suam periclitari; quam tantis affici molestiis. Et qui sic alterum ad ludendum pertrahit, aut qui minatur se id, quod jam perdidit non soluturum, nisi alter in ludo persistat, ad restituendum tenetur, quia qui alterum invitum, aut quasi invitum ad ludum traxit, est iniqua illi damno causa, si vero ipse attrahens perdide-

diderit, attractus restituere non tenetur, quia vere & absque cujusquam injuria, lucratus est.

Quæres 9no: An qui ludo aliquid lucratus est, potest illud retinere, & qui in ludo perdidit, teneatur id solvere?

Resp: Etiam magna pecuniæ summa, ludo, dummodo justo, acquisita, ac recepta, potest retineri. Quia ludi conventio jure naturali transfert proprietatem, & dominium rei ludo expositæ ab uno in alterum, idque ex libero consensu ludentium. Et hoc verum est, etiamsi lege aliqua positiva ludus esset prohibitus, si tamen aliunde justitia servata fuerit. Quia ut docet S. Thomas Doctor, non ideo semper acquisitio est invalida, quia id, ex quo acquiritur prohibitum, & illicitum est. Jlle quoque qui ludendo notabilem pecuniæ summam perdidit, si solum jus naturale spectetur, solvere tenetur. Quia conventio, & pactum fuit validum, ae proinde ex illo victor comparavit sibi jus ad id, quod lucratus est. Præterea, qui ludendo perdidit, in solutionem illius debiti consensit, ergo illam adimplere tenetur. Verum multis in locis, quemadmodum etiam in nostris regionibus, quando causa pro debito ex ludo contracto ad judicium devolvitur, illud cassari, & annulari solet.

CAPUT QUARTUM

De Contractibus gratuitis.

Quæres Qui sunt Contractus gratuiti?

Resp: Contractus gratuiti sunt: promissio, donatio, his accedunt, dispositiones ultimæ voluntatis, seu testamenta, & legata.

ARTICULUS 1mus

De promissione & donatione.

Quæres 1mo: Quid sit promissio?

Resp: Promissio est actus voluntatis exterius delibe-

rate

rate manifestatus, quo quis se obligat alteri ad aliquid; sive est deliberata fidei obligatio, facta alteri, de re aliqua licita, & pofsibili. Debet itaque promifsio exterius significari, nam alioquin non pofset ab altero cui fit, acceptari. Hinc si promifsio sit mere interna, non obligat, nisi facta sit Deo, à quo utpote cordium inspectore, statim acceptatur. Quare si promifsio cui fiat, solum ob honorem Dei, exg. promittit Petrus pauperi eleemosynam ob Dei amorem se daturum, talis promifsio statim obligat, antequam à paupere acceptetur, quia talis promifsio censetur efse Deo facta, quæ statim ab ipso acceptatur, & obligat.

Quæres 2do: Quæ requiruntur, ut promifsio sit valida, & obliget?

Resp: Ut promifsio sit valida, & obliget, sequentia requiruntur *1mo*: Voluntas se obligandi. Nam omnis obligatio quæ non est ex lege vel præcepto, oritur ex privata hominis voluntate. Unde non satis est dicere: *Promitto hoc me facturum*, si solum quis intendat significare animi propositum, non autem se obligare intendat, nam simplex propositum est mera voluntas faciendi aliquid, sed absque animo se ad id obligandi. Sufficit autem voluntas implicita ac virtualis se obligandi, quam habet, qui sciens promifsionem obligare, aliquid alteri promittit, neque contrariam in se habet voluntatem, se nimirum non obligandi, nam hoc ipso vult se obligare. Idem dicendum est, si quis ignoret obligationem ex promifsione oriri, modo velit facere promifsionem, qualis ab aliis communiter fieri solet, nam tunc habet voluntatem implicitam se obligandi.

2do: Requiritur plena deliberatio, & advertentia ad id quod promittitur. Quia cum obligatio ex promifsione promanans, sit onus quoddam, quod voluntarie suscipitur, non debet censeri impositum, nisi adsit plenus consensus, qui nequit efse sine plena advertentia, & ideo promifsio debet etiam efse libera, cum sit actus quo homo voluntarie se obligat. Debet quoque in promifsione abefse error & dolus circa substantiam rei, & causam promifsionis finalem, alioquin tunc deefset consensus, sine quo promifsio subsistere nequit. Quod si etiam promifsio efset per vim vel metum extorta, non obligaret saltem irrevocabiliter, & firmiter, unde sic facta pofset irritari à promittente, qui ob injuriam sibi illatam, habet jus ut ab ea liberetur, neque enim æqui-

tas

tas patitur, ut quæ gratuito, & ex liberalitate fiunt, coacte fiant. Ad vim autem, cum agitur de promiſsione pure gratuita, quæ omnino spontanea eſse debet, revocatur metus reverentialis, ex quo quis repugnante voluntate, promittit, eo quod non audeat contradicere: item preces valde importunæ, quibus promiſsio obtinetur, repugnante voluntate promittentis, & solum promittitur ad molestiam precum repellendam, quæ aliter sine majore incommodo repelli nequit.

3tio: Ut sit de re licita, & poſsibili. Nam nemo potest obligari ad rem illicitam, vel impoſsibilem. Hinc nulla est promiſsio rei jam alteri promiſsæ. Quod si res promiſsa partim licita sit, partim illicita, quod licitum est fieri debet, quod illicitum omitti, quia utile non debet per inutile vitiari. Si promiſsio majoris boni impeditiva sit, non desinit obligare, modo sit de re bona, quia minus bonum plus aliquando homini placet, quam majus.

4to: Ut ab homine cui fit, acceptetur. Quia sine utriusque partis consensu, pactum obligans nullum est. Præterea quemadmodum quælibet onerosa obligatio hanc habet tacitam conditionem adjectam, si alter viciſsim se velit obligare, sic etiam gratuita promiſsio, & donatio hanc habet tacite adjectam conditionem, si ab eo acceptetur cui fit, qui enim promittit, vel donat, non censetur habere animum se obligandi, si alter oblatum beneficium respuerit, adeoque tunc nonnisi sua promissione ligatur, cum alter illam acceptando declaraverit rem promiſsam gratam sibi eſse. Hinc promiſsio, pariter & donatio non obligant, & revocari poſsunt ante acceptationem. Promiſsio tamen moraliter durat, quamdiu non revocata fuerit, vel ab alio non censeatur recusari, unde si illa nondum revocata sit, & post aliquod temporis intervallum acceptata fuerit, perinde obligabit, ac si statim acceptata fuiſset. Sic autem acceptatio fieri debet, ut promitenti, vel donanti innotescat, unde si promiſsarius aut donatarius, promiſsioni, aut donationi præsens sit, verbis aut signis debet exprimere eam sibi acceptam eſse, ut sic duorum voluntates in unum concurrant. Porro ut promiſsio gratuita, & non onerosa censeatur acceptata, regulariter sufficit taciturnitas eius, cui fit, ex regula juris 42. in 6to: *Qui tacet consentire videtur:* quæ precipue valet in iis quæ solum tacentis commodum continent, aliud est si promiſsio eſset onerosa,

rosa, tunc enim alia hæc juris sequenda est regula: *Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.* Quodsi promittens, aut donator absit, debet ipse sive per se, sive per nuntium, promiſsarium vel donatarium de promiſsione, & donatione facta certiorem facere, nec sufficeret, quod alius tertius promiſsionis conscius eam proprio motu referret, sicut nec satis eſset, si promissarius, vel donatarius, acceptationem faceret coram aliis qui promittentem, donantem, non repræsentant.

Quæres 3tio: Utrum quævis promiſsio, etiam gratuita obliget?

Resp: Quævis promiſsio etiam gratuita, valida, & acceptata obligàt, & quidem graviter in re, & materia gravi. Omnia siquidem pacta obligant. Porro in promiſsione acceptata, est pactum mutuo initum. Ergo obligat pro ratione materiæ, scilicet graviter in re gravi, leviter in materia levi. Et hæc obligatio, est justitiæ obligatio. Namque obligatio justitiæ ea est, quæ alteri dat jus aliquid ab alio exigendi. Promiſsio autem etiam gratuita, modo acceptata fuerit, hoc jus parit, atque inducit. Promittere siquidem non est solum affirmare se daturum aliquid, aut facturum, sed est insuper se alteri obligare, ideoque ei jus tribuere, ad illud exigendum, unde conqueri solent homines, factam sibi eſse injuriam dum facta illis, & ab ipsis acceptata, violatur promiſsio. Jam vero obligatio justitiæ in re gravi, gravis est. Ea promiſsio itaque etiam gratuita, ab eo cui fit, acceptata, ex justia in materia gravi, graviter obligat. Attamen obligatio promiſsionis gratuitæ maxime pendet ab intentione promittentis, quia est quasi lex privata, quam sibi quisque prout vult imponit, & non est ex justitia stricta, qualis est obligatio ex promiſsione ab utrinque onerosa proveniens: quare licet teneatur & promiſsionem factam adimplere, & damna resarcire, si quæ secuta sunt, ex non adimpleta promiſsionne, non tamen debet compensare lucrum ceſsans, ex eo profluens, quod res liberaliter promiſsa, non fuerit suo tempore data.

Promiſsio vero quæ non fuit acceptata, justitiæ obligationem non inducit, quia promittens non censetur habere animum se obligandi, nisi alter promiſsionem acceptaverit. Obligat tamen ex veracitate, quatenus quilibet dictum suum verificari tenetur, nisi adsit rationabilis causa dictum suum mutandi. Hæc tamen obligatio levis est, & ut communiter docent Theologi, non obli-

obligat sub gravi, nisi inde oriretur grave proximo damnum: ut si Medicus promiserit subventurum ægro graviter periclitanti, qui spe frustratus notabiliter læsus sit. Promiſsio quoque facti alieni, ut cum Petrus promittit Paulum hoc, vel illud facturum, daturum eſse, obligat ad sincere procurandum, & satagendum, ut illud reipsa fiat, quia sic promittens censetur se obligare ad illud totis viribus procurandum, alioquin ad nihil obligaret illa promiſsio, & vana eſset, non enim potest obligari ad ipsum factum alienum, quia non est in promittentis potestate, ergo obligat ad illud procurandum, ut reipsa fiat.

Quæres 4to: Quænam promiſsiones invalidæ sunt & nullatenus obligant?

Resp: Sunt nonnullæ promiſsiones quæ jure positivo nullæ ſunt, sic ex Concilio Lateranensi 3tio Beneficii Ecclesiastici nondum vocantis promiſsio, quovis modo facta, etiamsi nullum in particulari exprimatur, nulla, & irrita est. Pariter omnis promiſsio, & pactio de re illicita facienda, nulla est, & irrita jure naturali. Quia nemo potest obligari ad peccandum, & quamvis eſset jurata non stringit, quia juramentum nequit eſse vinculum iniquitatis. Imo promiſsor tenetur statim retractare promiſsionem ſuam, utpote iniquam & ad peccandum allicientem. Et quamvis opus malum perpetratum fuerit, promittens ad nihil tenetur. Quia cum istiusmodi promiſsiones, ante mali operis executionem nullæ, & invalidæ sunt, non convalidantur ex post per mali operis perpetrationem, quia ex regula juris 18 in 6to *non firmatur tractu temporis id, quod ab initio non valuit.* Hinc in jure canonico, istiusmodi promiſsiones, pacta, decernuntur nullius eſse momenti, nullam obligationem inducére, nullam vim habere.

Quæres 5to: Quandonam promiſsio etiam acceptata, & valida, desinit obligare, & revocari potest?

Resp: Promiſsio valida etiam, & acceptata desinit obligare, & revocari potest. *1mo:* Si res promiſsa fiat inutilis, aut nociva ei, cui promiſsa est, vel etiam si promiſsionis impletio fiat illicita, vel impoſsibilis, quia nemo tenetur ad aliquid illicitum, aut impoſsibile: promittens etiam vult gratiam præstare illi cui aliquid promittit, jam vero per rem inutilem, aut ei noxiam, nulla ipsi gratia præstari potest. Ergo tunc promiſsio ruit. *2do:* Cum is, cui facta est promiſsio, & in cujus com-

modum

modum cedere debebat, illam remittit, nam tunc cedit juri suo, & sic tollit obligationem promittentis. *3tio:* Quando causa finalis, propter quam facta est promiſsio, non subsistit, aut cum unus alteri quidpiam promisit, quia ex errore facti putabat illum de se bene meritum eſse, cum nihil boni ab ipso perceperit, tunc promiſsio non tenet, quia error est in causa finali, & in motivo principalis. Idem dicendum est, quando causa finalis ceſsat, quæ fuit principale faciendæ promiſsionis motivum, ut si quis ob paupertatem puellæ, dotem illi se daturum promiserit, & hæc paupertas jam sublata est, quia ipsi pingvis obvenerat hereditas, nam non intenderat se obligare, nisi subsistente causa finali. *4to:* Quando duo sibi viciſsim aliquid promiserunt, & alter non vult promiſsa præstare. Nam tunc fit mutua compensatio, & frangenti fidem, fides, non est servanda, & promittens non censetur se obligaſse, nisi sub ista tacita conditione, quod alter promiſsum ex sua parte adimpleat. *5to:* Si status rerum, & personarum, ita mutetur, ut promittens juxta prudentum judicium non censeatur voluiſse se pro tali rerum eventu obligare, & promiſsio non obligat ultra intentionem promittentis, nec habet vim nisi ex intentione quam expreſse, vel implicite habuit dum promiserat. Neque etiam vir prudens pro omni eventu se obligare præsumitur, unde hæc tacite adjecta reputatur conditio, nisi quid eveniat, aut quidpiam detegatur, quod à promiſsione deterreat, unde etiam in regula juris 81. in 6to. dicitur: *quod in generali conceſsione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non eſset conceſsurus, si in specie peterentur*: nec proinde etiam in promiſsione comprehensi reputantur ii eventus, qui si menti occurrerent, â promiſsione deterrerent. Unde qui promisit se alteri mutuo pecuniam daturum, hanc postea dare non tenetur, si ipse illa indigeat ob gravem, & inopinatam neceſsitatem. Pariter promiſsis stare non tenetur, qui rem promiſsam, quam vilioris pretii eſse crediderat, multo maioris eſse deprehendit; qui puellæ, quam virginem eſse existimabat, nuptias promisit, quam corruptam eſse agnovit, haud certe promiſsurus, si corruptam eſse sciviſset. Atque hoc verum est etiamsi promiſsio sit jurata, quia juramentum firmat promiſsionem tantum in eo sensu, quo facta est, & secundum intentionem promittentis, qua censetur eſse facta, & non alias. Quare si promiſsio habeat tacitam aliquam conditionem, sive ex mente promitten-

tis,

tis, sive ex natura rei, juramentum non tollit eam conditionem, sed solum secundum eam firmat promiſsionem.

Quoniam vero arctior est obligatio promiſsionis onerosæ, quam gratuitæ, proinde etiam strictior debet illius eſse interpretatio, quam huius, & facilius in gratuita promiſsione subintelliguntur aliquæ conditiones, quæ ex prudentum consensu ei ineſse censentur, quam in onerosa, unde etiam ipsa non obligat, quando impleri non potest sine gravi damno non præviso, & quando supervenit rationabilis causa illam non implendi.

Quæres 6to: Quid, & quotuplex est donatio?

Resp: Donatio, est liberalis alicuius rei alteri collatio, liberalis inquam, & gratuita, quando donum aliquod alicui confertur, quod neque ei ex justitia debetur, neque obligationem justitiæ imponit, quamvis ex ea oriatur obligatio gratitudinis. Unde donatio proprie dicta, est rei, aut juris alicuius gratuita concesio. Donatio dividitur *1mo:* in realem, quæ fit cum traditione rei donatæ, unde transfert dominium in donatarium: & verbalem quæ fit solis verbis aut scriptis sine traditione rei donatæ, & hæc solum parit jus ad rem, illa jus in re. *2do:* in pure liberalem, quæ in donante nullam supponit obligationem, & in remuneratoriam seu antidoralem, quæ supponit obligationem gratitudinis, & qua proinde compensantur beneficia, & obsequia præstita. *3tio:* Dividitur in donationem inter vivos, & donationem causa mortis; prima est illa, qua quis sic aliquid donat, ut velit rei donatæ dominium se vivente in donatarium transferre. Secunda est ea, qua quis actualiter quidem rem aliquam donat, sed tamen vult, nonnisi se mortuo dominium in alium transferri. In nostris Regionibus istiusmodi donationes causa mortis vigent, maxime inter Conjuges, & vulgo dicuntur *darowizna na przeżycie, dożywocie.*

Quæres 7mo: Quæ requiruntur ut valida sit donatio?

Resp: Ut donatio undequaque valida sit, sequentia requiruntur. *1mo:* ut donator sit ad donandum habilis, unde generaliter illi solum inter vivos donationem facere poſsunt, qui liberam habent de rebus suis disponendi facultatem. Sed ad id quædam adhuc requiruntur, quarum defectu, invalida est donatio, illa vero se tenent vel ex parte animi vel corporis, aut ex parte formalitatum, quæ legibus positivis præscriptæ sunt: de quibus Constitutiones Poloniæ, & Statutum M. D. Lithvaniæ videri debent. *2do:* ut donatarius donum recipere non prohibeatur,

tur,

tur, unde nonnullæ donationes ideo nullæ sunt, quia donatarius, donum recipere prohibetur. *3tio*: Ut res quæ donatur, donari permittatur. Hinc donatio in fraudem Creditorum facta, elevari & irritari in judicio potest, quia etiam reipsa injuriosa est. *4to*: tandem necefsaria est acceptatio, quia invito beneficium non datur. Verum in his spectandæ & servandæ sunt leges, ac consvetudines locorum.

ARTICULUS 2dus.

De testamentis, & legatis.

Quæres 1mo: Quid sit testamentum?

Resp. Testamentum est ultimæ voluntatis dispositio, de rebus suis facta, atque de iis, quæ quis post mortem suam vult fieri. Ad valorem testamenti jure naturæ sufficit, ut indubie constet de voluntate testatoris. Verum positivis Nostrarum Regionum legibus, quam plurimæ præscripræ sunt formalitates, juxta quas testamenta fieri debent, quæ si non observentur, nullitati obnoxia sunt, & sæpius in judiciis irritantur.

Quæres 2do: Circa testamenta, quæ præcipue considerari, & observari debent?

Resp: Sequentia *1mo*: Ut testamenta secundum formam à legibus præscriptam fiant, & ordinate conscribantur: quia alias nulla reputantur, nullumque valorem habent in quovis judicio, sive seculari, sive spirituali, unde fit, ut piæ testatorum dispositiones frustrentur. *2do*: Ut fiant præmature, ac spontanèe, ac proinde non quasi in extremo agone, non ex circumventione, & deceptione, fraudibus, infirmum ad testandum inducendo. *3tio*: Ut fiant sine injuria cujusvis tertii, maxime legitimorum hæredum, alias inde emergunt lites, difsidia, & innumera mala.

Quæres 3tio. Utrum testamentum ad piam causam, sine requisitis solemnitatibus confectum, in foro etiam interiori nullum sit, ita ut defuncti hœredes, etsi cognitam habeant testatoris voluntatem, non teneantur illud exequi?

Resp: Leges, quæ facta sine debitis sollemnitatibus testamenta, nullitati subijciunt, non videntur ipso facto

ea

ea irritare, sed solum per sententiam Judicis irritanda declarant; ideo hæredes testatoris, & testamenti executores, hortandi sunt, & in foro conscientiæ adigendi, ut quando certo constat de voluntate testatoris, ac legatoris, istiusmodi testamenta, ac legata adimpleant, quia legata hæc sæpe sunt ad salutem testatoris necessaria, semper autem multum utilia, ac nonnunquam continent in se restitutionem ex justitia debitam, & á Confessario præceptam. Quare etiam qui vigore hujusmodi testamenti ac legati ad pias causas facti, quamvis non juxta legum præscriptum conscripta fuerint, quidpiam afsecutus est, atque obtinuit, potest illud tuta conscientia retinere, donec per sententiam Judicis ab eo abjudicetur. Certe communi sensu, ac opinione, constanti usu ac praxi, quæ est optima legum interpres, qui aliquid contractu, donatione, legato, obtinuerunt, & afsecuti sunt, licetsi non ad præscriptum legum hæc facta sint, pacata retinent, ac pofsident conscientia, donec per sententiam Judicis, istiusmodi donatio, legatum, nulla atque irrita declarata fuerint.

Quæres 4to: Quid sit legatum?

Resp: Legatum est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator, aliquid cuipiam dat, donat, ac inscribit *vg.* certam pecuniæ summam. Circa legata hæc tenenda & servanda sunt. *1mo:* Legata ex justitia solvi debent, & quidem sine mora. Quare si hæres testatoris, aut executor testamenti, exsolvere negligat, peccat & tenetur de damno inde secuto, nam agit contra proprium officium in damnum alterius. Executor enim constituitur ad præstandum id omne, quod testator fieri voluit. Quodsi nullus constitutus sit Executor, hæres testatoris omnia exequi tenetur, nam hereditatem captando, censetur se obligare ad implenda onera ei annexa.

2do: Legatum cum onere factum, obligat ad illud adimplendum, quia testator præsumitur voluifse obligare legatarium ad onus legati annexum implendum. Verum quando testator obligat ad onus legati implendum, aliquando ita obligat, ut velit nullum efse legatum, si onus ipsius negligatur, aliquando non ita, unde tunc legatarius tantum peccat, non adimplendo onus legati, sed legatum stat immobile, in priori vero casu legatum restituendum est. Hæc vero pendent ab intentione testatoris, quæ arbitrio prudentis viri, ex ejus verbis, & aliis

aliis conjecturis, ac circumstantiis colligi debet. Porro quando legatum relictum est Ecclesiæ, Monasterio, & ad piam causam sub certo onere factum, & obligans, nisi testator aliud clare expreſserit, non censetur voluiſse, ut legatum revocetur, si onus non impleretur.

3tio: Si legatum ad certam piam causam factum, nequeat ei applicari, debet converti in aliam piam causam. Nam defunctus censetur in tali casu voluiſse, ut alteri piæ causæ applicaretur, cum id æque Deo sit gratum, & animæ illius utile. Quare si Ecclesia legatum sibi cum onere factum acceptare nolit, legatum alteri Ecclesiæ est deferendum, quod si & illa cum tali onere acceptare nolit, minuendum est legati onus, idque fiet ad mentem legantis, qui præsumitur de Ecclesia bene mereri voluiſse, & ex errore solum, vel inadvertentia nimium onus imposuit.



TRACTATUS

DE

JURE ET JUSTITIA.

Quæres: Jus & justitia in quo fundantur?

Resp: Jus fundatur *in proprietate rei*, ideo namque jus ad rem aliquam habeo, atque de illa pro libitu disponere poſsum, quia mea est propria. Hoc jus qui lædit, hanc proprietatem qui violat, injustus est, injustitiam perpetrat, unde injustitia est alieni juris læsio, ac propterea justitia in eo consistit, ut jus cuiusque intactum servetur.

CAPUT PRIMUM

De Jure & Dominio.

Quæres: Quid sit jus, & quotuplex?

Resp: Jus est *legitima potestas disponendi de re tanquam nostra, adeo ut nemo nobis rationabiliter invitis, de eadem disponere poſsit.* Nomine autem rei id omne intelligitur, quod ad nos utcunque pertinere potest, sive sit res ipsa in se spectata, ejusque proprietas, sive rei tantummodo usus: quomodo jus habet in hortum, qui ejus usum habet sibi a proprietario conceſsum. Et jus non solum respicit ea, quæ actu, & facto poſsidemus, sed etiam illa, quæ ut nobis debita & obligata, prosequi poſsumus. Unde jus duplex est, *jus in re*, & *jus ad rem.* Jus *ad rem* est illud quod quis habet ut res sua fiat, & hoc jus non dat actionem in rem, sed in personam à qua res repetenda est. Jus *in re* illud est, quod quis habet in re iam obtenta, & à se poſseſsa, & hoc jus dat actionem in rem, quæ quocunque transeat, repeti potest ab eo, qui tale in ipsa jus habet. Ad jus in re revocantur dominium rei, usus & usus fructus illius, servitutes, & alia.

AR-

ARTICULUS 1mus

De Dominio & modis illud acquirendi.

Quæres 1mo: Quid sit dominium, & quotuplex?

Resp: Dominium ex jure, quod quis rei alicuius habet, profluit, quare est *potestas disponendi de re sua, pro libitu suo vel ex toto, vel ex parte.* Unde dominium aliud est *plenum*, aliud *non plenum*. Dominium *plenum*, est jus disponendi de re, & commodis eius vg: usu, usu fructu, unde continet proprietatem, tum rei, tum commodorum ipsius. Dominium *non plenum* est illud, quo vel tantum proprietas rei habetur, vel ejus dumtaxat usus, aut usus fructus, hinc dominium semiplenum subdividitur in *directum & utile*, *directum* est illud, quo habetur sola rei proprietas, tale est dominium quod habet Dominus in agro, quem tradidit in emphyteusim. Dominium *utile*, solam rei commoditatem. & utilitatem complectitur, tale est quod habet emphyteuta in agro sibi ad emphyteusim tradito. Quare dominium plenum, prout complectitur directum & utile, est jus in re extendens se ad omnem ipsius usum.

Sed præterea dominium dividitur, in *altum & humile*, *altum* illud est, quod habet Princeps, vel Respublica in bona privatorum, de quibus disponere poſsunt, cum id exigit bonum commune. *Humile* est illud, quod habet unusquisque in rem suam, qua uti potest pro suo libitu.

Quæres 2do: Quæ requiruntur ad acquirendum dominium?

Resp: Ad dominii acquisitionem requiritur *apprehensio*, quoties agitur de re quæ nullius erat. Si vero agatur de Dominio alicuius rei ab uno in alium transferendo, tunc duo requiruntur, *titulus* videlicet & *traditio.* Et quidem neceſsarius est *titulus* seu id, in quo totum jus ad rem fundatur, & quod est ratio ac causa, cur alicui in hanc rem dominium competat, ut est emptio, donatio, hæreditaria succeſsio. *Traditio* vero, quia ex communi lege, traditionibus, non autem nudis pactis dominia rerum transferuntur. Aliquando tamen sine traditione acquiritur rei dominium, sed in his consulendæ sunt leges locorum.

Quæres 3tio: Quæ subiacent dominio hominis?

 Resp:

Resp: Res omnes usibus humanis subjectæ, jure naturæ subsunt dominio hominis, bestiæ, aves, agri, flumina, plantæ, omnia siquidem hæc potestati hominis á Deo subiecta sunt. Vitæ tamen suæ homo potestatem non habet, sed solus Deus. Unde Sapientiæ cap: 16. dicitur. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem:* famæ vero suæ ac honoris, potestatem homo habet, nam illa propria industria, virtute, ac labore sibi comparat & acquirit, unde etiam ejus restitutionem, si ab alio læsa fuerit, condonare potest. Jure naturæ homo in hominem dominium habere nequit. Quia omnes homines jure naturæ pares sunt, cum sint ejusdem naturæ, ab eodem parente progeniti, & in eundem finem á Deo conditi. Potest autem homo jure gentium, aut vi legum Civilium in alios homines dominium habere, & sic in Nostris Regionibus Kmethones dominio Nobilium subsunt. Sed hoc dominium quod Nobiles in Kmethones habent, est legibus circumscriptum, unde se non extendit, neque ad vitam eorum, neque ad bona ipsorum, quæ labore ac industria sibi compararunt, sed sola spectat opera diurna perficienda, & annuos census persolvendos. Non enim sunt mancipia, aut servi stricte tales, sed nonnisi adscripticii glebæ, quare fugere nequeunt, & Dominus illorum, semper habet jus illos repetendi.

Quæres 4to: Qui sunt capaces dominii?

Resp: Omnis, & solus homo capax est dominii, quia dominium est facultas disponendi de rebus suis pro suo arbitratu, hoc autem soli homini competit, & quamvis infantes, & amentes usum dominii non habent, unde actu de rebus suis per se ipsos disponere nequeunt, radicalem tamen disponendi potestatem habent. Unde qui loco ipsorum de rebus ad ipsos pertinentibus disponunt, omnia nomine illorum ordinant, quare penes illos est dominium, penes hos nonnisi administratio, quapropter qui bona infantium, amentium, usurpat, surripit, ipsis injuriam facit.

Quæres 5to: Filiifamilias qualium bonorum dominium habent?

Resp: Filiifamilias hic illi spectantur, qui sub Patris degunt potestate, unde non dum sunt sui juris. Bona vero quæ ad illos pertinere possunt, quadruplicis sunt generis, *Castrensia* videlicet, *quasi castrensia*, *adventitia*, & *profectitia*. Bona *castrensia* ea sunt, quæ à filio in militia, vel occasione militiæ comparantur, qualia

su-

sunt stipendia militum, prædæ de hostibus, donativa Ducum, aut commilitonum, mobilia à Parentibus intuitu militiæ filio concefsa. Castrense etiam dicitur id omne quod filiusfamilias acquirit in obsequio & aula Principis, aut ipsius largitione, & quidquid ex iis sic afsecutis bonis, propria industria lucratur. Bona *quasi castrensia* illa dicuntur, quæ acquiruntur ratione militiæ Sacræ, togatæ, vel literariæ, unde bonorum quasi castrensium quadruplex est genus. *Clericale* quod filiusfamilias acquirit post adeptum clericatum, sive ex beneficio Ecclesiastico, sive aliunde, unde quidquid in aliis filiis adventitium foret illud post Clericatum quasi castrense est. *Forense* quod acquiritur in foro, vel ratione officii publici, puta Judicis, Afsefsoris, Notarii. *Palatinum* est id, quod datur á Rege, Principe. *Scholasticum* quod aquiritur occasione artium liberalium. Bona *adventitia* sunt ea, quæ non proveniunt à Patre, sed aliunde filio obveniunt. Talia sunt ea, quæ filius vel proprio labore, non ex rebus patris, vel etiam succefsione, donatione sibi facta, acquirit, vel quæ filio fortuito obveniunt, ut si thesaurum inveniat, aut quæ propria acquirit industria, ut si ex pecunia mutuo accepta, negotiando lucretur. Bona *profectitia* ea sunt, quæ filius acquirit ex bonis Patris *vg:* negotiando, aut ea administrando.

Igitur *1mo*: filiifamilias bonorum Castrensium, & quasi castrensium, plenum, ac perfectum habent dominium. Unde pro nutu suo de iis pofsunt disponere ea alienando, donando, nisi lex ob tenellam eorum ætatem resistat, quemadmodum in nostris Regionibus resistit, nam ex Statuto Lithvaniæ nemo potest de bonis suis disponere, nisi octodecim annos vitæ compleverit, & in Polonia quamvis quindecim completis ætatis annis, jam de bonis disponere valeat, sed illa ante annum vigesimum quartum consummatum, sine consilio propinquorum, vel amicorum, alienare non valet. Si itaque pater ex bonis Castrensibus, aut quasi Castrensibus filii, aliquid subtrahat, ad restitutionem tenetur.

2do: Ex jure communi filiifamilias bonorum adventitiorum solam habent proprietatem, non usumfructum, profecticiorum vero nec usumfructum, nec proprietatem. Unde filiusfamilias sine consensu Patris non potest disponere de bonis adventitiis, quia eorum utilitas pertinet ad Patrem, Pater tamen, licet fructus horum bonorum percipere pofsit, & de iis rationem reddere non teneatur;

sed

sed si ipsa bona adventitia dilapidet, ad restituendum filio obligatur, quia proprietas eorum penes filium est. Jam vero bonorum profectitiorum, cum penes Patrem & proprietas, & utilitas sit, penes filium sola erit administratio. Verum in his locorum leges, ac consvetudines attendendæ sunt. Certe cum in nostris Regionibus variis modis fieri soleat filiorum emancipatio, qua à Patria potestate eximuntur, & sui juris constituuntur, nimirum officio, matrimonio, manumissione, cum videlicet filius publicum obtinuit officium, matrimonium contrahit, à Patre exdivisa obtinet bona, aut etiam statum Ecclesiasticum ingressus est, sic enim emancipati filiifamilias, & iam sui juris constituti, non solum bonorum castrensium, aut quasi castrensium, sed etiam adventitiorum, atque profectitiorum, quæ scilicet, sciente, & volente Patre, ex ejus bonis lucrantur, plenum, & perfectum dominium habent.

Quæres 6to: An quæ filius paterna in domo lucratur, pertineant ad ipsum, an ad Patrem, an non, dum præ ceteris filiis laborat, aliquid sibi retinere possit instar solarii?

Resp: Lucra non ex bonis Patris, sed ex propriis operibus, filii industria acquisita, puta si filius sit musicus, numerari debent inter adventitia bona, ac proinde ad filium pertinere, unde post mortem Patris potest illa repetere, deductis tamen expensis, quas in eo alendo pater fecit, quia non tenetur Pater alere filium habentem propria bona Castrensia scilicet, quasi castrensia, sive adventitia. Si tamen filius opificis operam suam Patri præstet, nulla, neque tacite, neque expresse petita mercede, præsumitur illam Patri remittere titulo pietatis, unde si mortuo patre, illam à fratribus repetere velit, non est audiendus. Filius vero exg: fabri, aut sartoris, sive mercatoris, qui ex bonis paternis, ipso patris nomine, & authoritate lucratur, jus habet in ejusmodi lucri partem, quæ labori & industriæ ejus respondet, quia filius non debet esse deterioris conditionis extraneo, qui dubio procul pro labore suo debito non careret stipendio, quare si Pater nullam lucri hujus partem quasi societatis jure filio largiatur, tantum ei solarii debet, quantum extraneo. Attamen si filius teneatur egeno Patri aut Matri operam suam gratis, & pietatis studio præstare, nullam lucri partem potest sibi appropriare.

Quæ-

Quœres 7mo: Quorum bonorum, uxor, vivente marito, dominium habet?

Resp: Uxor vivente marito dominium dotis, alias *wniesienie,* suæ quam attulerat, habet, sed illius administratio, & usufructus est penes Maritum, quoniam ad sustinenda Matrimonii onera data est, post mortem vero Mariti, plenam dotis suæ administrationem habet, potestque de illa pro arbitratu suo disponere. Pariter bonorum quæ parapharnalia vulgo *Wyprava, Oprawa,* dicuntur & consistunt in rebus mobilibus, quæ ad ornatum, & usum muliebrem pertinent, & quæ ipsa præter dotem secum attulit, non solum usum, sed & dominium habet, atque de illis disponere potest. Tandem si Uxor præter dotem alia à Parentibus suis sibi data habeat bona, aut succeſsione ei obvenerint, illorum dominium & usufructus penes ipsam manet. Post mortem vero Mariti bona in quibus dos ipsius aſsecurata fuit, & illa in quibus similis & æqualis doti jure reformationis à Marito illi inscripta est summa, alias *Dotalitium, Wiano,* ac denique bona supra quibus jus ad vitalitium sibi à Marito conceſsum habet, ipsius subiacent administrationi, atque regimini. Denique medietas illorum bonorum, quæ vel labore aut industria simul cum Marito comparavit, aut emptione pro sociali summa acquisivit, post mortem Mariti ad ipsam pertinet, & de hac pro suo arbitratu disponere, & ordinare valet.

Quœres 8vo: Qui sunt acquirendi dominii modi?

Resp: Bona quorum dominium acquiri potest, multiplicis sunt generis *1mo:* enim sunt, quæ nullum unquam Dominum habuerunt, aut saltem nullum habuiſse censentur, ut feræ complures, Insulæ hactenus inhabitatæ, metalia, gemmæ in terra aquisque delitescentes. *2do:* quædam sunt, quæ Dominum habuerunt, sed vel iam pridem, veluti thesauri, vel non ita pridem, ut bona defectu hæredum; & de quibus ab ultimo poſsesore nulla relicta est dispositio, vacantia, quæque nullius eſse censentur. Item bona derelicta, & nuper amiſsa. *3tio:* demum quædam habent Dominum, & nihilominus absque ejus consensu ad alterum transferuntur. Bona quæ nullius fuerunt, dicuntur occupari; quæ iam pridem poſseſsore carent, aut nuper ammiſsa sunt, inveniri; quæ vero sine domini Consensu ad alium deveniunt, præscribi. Itaque dominium rerum acquiritur occupatione, inventione, & præscriptione.

Quœ-

Quæres 9no: Quæ occupatione acquiruntur?

Resp: Animalium & Bestiarum dominium occupatione nonnunquam acquiritur. Sed animalium, ac bestiarum, aliæ natura sua sunt feræ, ut cervi, & lepores, aliæ cicures, seu domesticæ, ut oves, & gallinæ, aliæ ex feris cicurantur, & domesticæ fiunt, aliæ ex domesticis, feræ evadunt. Itaque *1mo.* Bestiæ ex natura sua feræ, volucres, & pisces, ac omnia animalia, quæ in aquis, & super terram nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius eſse incipiunt, à quo capta fuerunt, quod enim ante nullius est, nullumque dominum habuit, id naturali ratione primo occupanti conceditur. Idem dicendum de animalibus feris, & sylvestribus, quæ aliquando alicujus fuerunt, sed jam naturalem suam libertatem recuperarunt, quia cum jam naturali gaudeant libertate, nullius sunt, ac proinde primi occupantis fiunt, nisi lex specialis obstet, aut consvetudo. Recuperaſse autem pristinam libertatem censentur, quando tam difficilis est modo eorum prosecutio, ac antea erat, cum prima vice occuparentur. Hinc examen opum quamvis avolet ex alveario tuo, tamdiu manet tuum, quamdiu in conspectu tuo versatur, nec difficilis est ejus prosecutio, quod si jam dificile sit illud insequi, & recuperare, potest à quovis capi. Quare etiam animalia si redeundi consvetudinem amiserint, censentur recuperaſse pristinam libertatem, & sic sunt primi occupantis. Nam jam nullius sunt, & in ordine ad priorem dominum ita se habent, ac si nunquam ob eo capta fuiſsent, veluti avis, quæ ex cavea in liberam aream evasit, vel piscis quæ e vivario in liberum flumem transiit. Licet ergo & columbas retinere, quæ sponte, & non attractæ se sociaverunt tuis columbis, & ad proprium columbarium redire desierunt. Sed animalia, licet ex natura sua fera, & sylvestria, quæ ejus à quo capta sunt custodia detinentur, vel loco concluso coercentur, non licet occupare, tales enim feræ non minus à dominis poſsidentur, quam animalia domestica, hinc etiam non licet pisces capere in alieno vivario. Qui feram læsit, quantum satis est ad capiendum, & læsam insequitur, cum morali certitudine eam capiendi, illius est, quia per vulnus inflictum censetur jam ab illo capta, unde si ab alio capiatur, illi restituenda est. Item si fera laqueo sit ita capta, ut non sit evasura, illius est, cujus est laqueus, unde non potest ab alio capi, sicut nec piscis

per

per illius rete conclusus, possumus enim sicut manibus, ita & per instrumenta res apprehendere. Quod si fera facile erat e laqueo evasura, aut vulnus illi inflictum, non erat nocivum, est primi occupantis, quia naturalem libertatem suam non amisit.

2do. Animalia vero naturaliter mansveta & domestica, etiamsi dominorum potestatem longius evaserint, occupari ab alio non possunt, quia cum natura sua domestica sint, etiamsi longius affugerint, non censentur libertatem afsecuta, quare semper remanent in potestate domini sui, unde non licet ea capere, detinere, & ad restituendum tenetur, qui horum animalium lanam, plumas, vel ova in suos usus convertit.

3tio: Animalia cicurata, & domestica facta, quæ consvetudinem habent revertendi, aut facile reducuntur, non cedunt capienti, sed priori domino restituenda sunt, secus si amiserint animum revertendi, nam quamdiu habent animum, ex libera vagatione redeundi, & solent reverti, tamdiu consentur naturali carere libertate, & illius esse, à quo primo apprehensa sunt, ideoque ab alio occupari non possunt. Hinc peccant qui illecebris, & fraude aliorum columbas ad suum columbarium attrahunt, in eo illas detinent, pariter qui eas in agris suis occidunt, & ii ad restituendum obligantur, quia dominus earum jus habet, ne ex illius dominio extrahantur, aut occidantur, licet tamen eas de agro abigere, neque rei sunt, si solum melius pabulum suis columbis ponant, aut columbarium in loco commodiori ædificent, per quod aliæ alliciuntur.

Porro quandonam animalia cicurata animum revertendi censentur exuisse, arbitrio viri prudentis & experti definiri debet. Columbæ quæ tribus, aut quatuor diebus continuis ad suum columbarium non revertuntur, videntur nonnunquam amisisse revertendi animum, secus de cervis, & apris, qui licet per dies aliquot juxta domum vagentur, & sponte non redeant, facile tamen se reduci permittunt.

Quæres 10mo: Utrum peccent qui in alienis Sylvis venantur.

Resp: 1mo: Peccat qui in alterius fundo muris, aut sepe circumcluso venatur, & ad restituendum animalia quæ ibidem capta, aut occisa sunt, tenetur. Quia dominus istius fundi, vere est dominus animalium, quæ in illo circumclusa sunt, nam illa, cum voluerit facile apprehen-

hendere potest. Pariter etiam peccat qui piscatur in alieno vivario, piscina, & quolibet loco concluso.

2do: Peccat etiam qui in alieno fundo, etiam non circumcluso, veluti Sylva, invito domino fundi, venatur. Quia domino fundi, ipso rationabiliter invito, sic agendo, injuriam facit. Jure tamen naturali ad ferarum restitutionem non tenetur, quia animalia quæ ex uno loco in alium quotidie transmigrant, reipsa nullius sunt domini, nec sunt fructus Sylvarum, aut agrorum, adeoque sunt primi, occupantis. Verum positivis Nostrarum Regionum legibus, non solum prohibita est venatio in alienis Sylvis, ſed etiam pretium solvendum pro occisis feris statuitur. Similiter prohibitum est in alienis stagnis, lacubus, rivulis, & aquis fluentibus, piscari, & pro captis piscibus â Judice decerni ſolutio mandatur, quia per hæc violentia domino lacus, ac stagni irrogatur, injuria ei fit, ac proinde non solum pænas in Judicio luere debet, ſed & reipsa peccat, quia jus alienum lædit

Quœres 11mo: Utrum peccent qui in alienis Sylvis ligna cædunt?

Resp: Legibus nostrarum Regionum, ligna in alienis Sylvis cædere, severe prohibitum est, & penæ in eos, qui sive furtivo modo, sive etiam violenter ex alienis Sylvis ligna evehunt, constitutæ sunt. Quare indubitatum est, quod peccent pro ratione illati damni, si quidem damnum grave illatum fuerit, graviter, si vero leve nonnisi irrogatum sit damnum, leve erit peccatum. Gravitas autem ac levitas damni decidi debet, vel ex multitudine lignorum, etiam nonnisi usui communi inservientium, vel etiam ex genere lignorum, si quamvis in parva quantitate excidantur, pretio æstimabilia ſunt, videlicet *Drzewo towarne.* Si tamen pauperes Rustici evehant ligna exigui momenti, & quidem gravi preſsi neceſsitate, adeo ut Sylvarum domini obsistere nequeant, sine immani quadam duritie, â peccato immunes ſunt, quod si etiam tunc Domini Sylvarum resistant, irrationabiliter inviti ſunt.

Magis autem peccant, qui Sylvas incendunt, & si quidem id de industria fecerint, aut ex propria gravi culpa, omne damnum resarcire tenentur, si vero nonnisi casu fortuito, â compensatione damnorum immunes eſse censentur.

Quœres 12mo: Quœ inventione acquiruntur?

Resp: Inventione acquiruntur, *1mo*: Lapilli, gemmœ, quæ

quæ in littore maris aut in visceribus terræ inveniuntur, & jure naturali sunt inventoris. Quod vero ſpectat venas auri, ac argenti, juxta antiquas harum Regionum leges, quæ reperiuntur in Bonis ut olim vocitabantur, Regalibus, nunc *Skarbowe*, *vel Kazienne*, ad ſupremum Imperantem spectant, quæ vero in Bonis hæreditariis privatorum inveniuntur, hæc ad bonorum hæriditarios dominos spectant.

2do: Inventione acquiruntur thesauri. Est autem thesaurus, vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, & quæ idcirco jam dominum non habet, hinc res nuper reconditæ, quæ dominum habent, illum scilicet qui recondidit, aut ejus hæredes, nomine thesauri venire nequeunt Jure antiquo nostrarum Regionum, de thesauris hæc statuta sunt. 1mo: thesaurus in proprio fundo inventus, totus pertinet ad inventorem, si vero quis thesaurum invenerit in alieno fundo, tunc inventori medietas, & altera medietas inventi thesauri Domino fundi cedere debet. Similiter si in fundo in hypothecam dato inventus thesaurus fuerit, per medium dividi debet. Istiusmodi autem leges in conscientia obligant, & ante sententiam Judicis, quia non sunt leges penales, sed definitivæ & proprietatis rerum distributivæ. Hinc qui emit agrum sciens in eo thesaurum latere, & postea eum detexerit, illius dominus est, quia in agro proprio illum invenit, neque ideo pretium agri augere debet, quia prætium cujuslibet rei ex communi estimatione, non ex accidentali aliquo fructu sumi debet. Pariter si artifex in veteri quam diſsolvit arca, gemmas, aut vasa aurea, argenteaque inveniat, siquidem arca hæc pertineat ad alterum, qui originem hujus thesauri ignorat, nec prudenter suspicari poſsit, eum a majoribus suis reconditum fuiſse, medietas illius thesauri pertinebit ad inventorem, medietas ad dominum arcæ, quia nihil refert, an thesaurus in terra lateat, an in re aliqua mobili, ex:g. arca. Unde si artifex ille arcam hanc bona fide emiſset, non teneretur reperti postea thesauri partem restituere arcæ venditori, ut qui nunquam vere ejus dominus fuit, cum rei prorsus ignotæ, nulla sit poſseſsio. Quod si vero in domo aliqua occultata inveniatur pecunia, cujus depositio non sit antiqua, illa non est invenientis, cum pro thesauro reputari nequeat, utpote non vetus depositio, quare si homines ejusdem familiæ in illa domo continuo & diuturno tempore habitaverint, hæredibus illius familiæ restitui debet,

nam

nam prudenter præsumitur ab aliquo ex hac familia fuiſse locata, & occultata. Si vero plurimi, & diversæ familiæ in eadem domo habitaverint, nec ulla haberi poſsit præsumptio, ad quam familiam inventa pecunia pertineat, tunc illa distribui debet pauperibus, vel applicari aliis bonis operibus proximo utilibus, quia est bonum alienum inventum, & incertum. Bona vero aliena inventa, quorum dominus vel ejus hæres cognosci non potest, in pias causas impendi debent.

Quæres 3tio: Quid dicendum de rebus recenter deperditis, & ab alio inventis?

Resp: 1mo: debent domino suo, si fieri potest, restitui, unde dominus rei magis aut minus inquirendus est, pro qualitate rei, idque non solum in loco, ubi res inventa est, sed etiam in locis vicinis, si sit spes, aut suspicio futurum, ut dominus detegi poſsit, præsertim cum res est magni valoris. Hæc autem inquisito fieri debet expensis rei restituendæ.

2do: Post ſufficientem inquisitionem, res inventa, cujus dominus non comparet & cognosci nequit, pauperibus est eroganda, aut in pios usus impendenda, quia qui rem amisit, ac deperdidit, manet illius dominus, & cum illam rehabere non poſsit, piam ipsius erogationem merito velle præsumitur. Hinc graviter peccant, qui bona inventa in suos uſus convertunt, & ad restituendum obligantur. Si tamen inventor vere pauper sit, & egenus, potest sibi partem rei inventæ, aut etiam totam, si parvi momenti sit, applicare, hoc tamen, propter periculum deceptionis, cum consilio Confeſsarii faciendum est. Quocunque vero modo applicatio rei inventæ facta fuerit, semper hanc includit conditionem. *Si dominus rei non compareat:* ex quo sequitur, ut si dominus comparuerit, res quæ adhuc apud pauperes in se, sive in æquivalenti extat, domino restitui debeat.

Quæres 4to: Estne aliquid restituendum domino comparente, postquam res inventa consumpta fuerit?

Resp: Qui adhibita ſufficienti diligentia, in inveniendo domino rei inventæ, eam bona fide in bona opera expenderat, ad nihil tenetur, secus si non adhibita debita diligentia illam pauperibus distribuerat, tunc enim illata est domino injuria, qui jus habet ne bona ſua præpropere distrahantur. Quod si etiam quis à principio dominum rei inventæ non satis quæsivit, & postea omnem in eo inveniendo adhibeat diligentiam, sed inutiliter, ita ut rem inven-

inventam pauperibus, vel in alia bona erogare necesse sit, domino comparente ad restitutionem non tenetur. Verum ut omnis adimatur scrupuli occasio, sequendum est id in praxi, quod docet S. Thomas Opusc: 73. Cap: 26. *Si forte quibus facienda est restitutio, nescitur, ad ipsam Ecclesiam facienda est, hoc tamen addito, quod debet ei Ecclesia promittere restitutionem faciendam, si necesse aliquando fuerit in tempore futuro, per inopinatam reversionem eorum, quibus de jure facienda erat.*

Quæres 25to: Possitne inventor aliquid sibi ex re inventa retinere, aut exigere pro inventionis præmio?

Resp: Potest inventor repetere expensas quas fecerat in rei inventione, secus nihil retinere potest. A domino autem comparente potest inventor aliquid exigere titulo gratitudinis, quo ettam titulo tenetur dominus aliquid eidem rependere, at nihil exigere potest inventor quasi ex justitia debitum, quia dominus rem quæ tota ipsius est, nequidem ex parte emere tenetur. Hinc si Dominus præmium promiserit, inventor debet ei relinquere omnimodam libertatem illud designandi, & conferendi.

Quæres 26to: Bona naufragantium, an pro derelictis reputanda sint?

Resp: Bona naufragantium; aut quæ per aquarum abluvionem auferuntur, pariter & ea, quæ propter incendium eiiciuntur, pro derelictis haberi nequeunt, unde retineri nequeunt, etiamsi aliunde, si non fuissent apprehensa, peritura erant, sed domino restituenda sunt, quia res tamdiu domini est, quamdiu non est consumpta. Nihilominus unusquisque id retinere potest, unde compensetur labor, aut periculum, quod in re alterius extrahenda, & conservanda subiit.

Quæres 27mo: Utrum præscriptione dominium rerum acquiratur?

Resp: Indubitatum est, rerum dominium præscriptione acquiri, & id constat ex legibus, usu, atque universalissima omnium Nationum, & Regionum consvetudine, unde præscriptio jure Gentium roborata est. Quare licet rem legitime præscriptam retinere, etiamsi postea cognoscatur fuisse alterius. Porro præscriptio est acquisitio dominii & juris per possessionem tempore à legibus præscripto continuatam. Sed ad legitimam præscriptionem tria potissimum necessaria sunt, videlicettitulus, possessio & bona fides. *Titulus* est id, quod ex se est habile ad tribuen-

tribuendum dominium exg. emptio, permutatio. Quadruplex autem distinguitur titulus, scilicet: *verus*, *coloratus* seu apparens, *existimatus*, ac denique *præsumptus*. Titulus *verus* est ille, qui á parte rei subsistit, & qui ex se sufficit ad fundandum jus quod quis habere contendit, talis est emptio valida. Titulus *coloratus* est ille, qui bona fide creditur valere, & sufficiens esse, licet ob latentem defectum, nihil valeat: talis est venditio ab eo facta, qui contra communem existimationem, vel rei venditæ dominus non erat, vel potestate illam alienandi carebat. Titulus *existimatus* seu *putativus*, est, cum nec vere, nec apparenter quidquam præcessit, quod dominium rei tribuere possit, sed tamen errore probabili creditur præcessisse, ut si Petrus possideat rem putans illam à servo suo emptam esse, & ille ipsam surripuit. Titulus denique *præsumptus* ille est, quem leges propter temporis diuturnitatem intervenisse præsumunt, etsi tamen forte non intervenit.

Possessio autem est detentio rei tamquam suæ. Ad possessionem igitur requiritur apprehensio, seu traditio rei, quia ut res incipiat possideri, debet aliquo modo apprehendi, & detineri eo animo, ut reputetur esse sua.

Bona fides, est persvasio, qua quis prudenter existimat rem, quam possidet, esse suam, licet forte sua non sit, ut cum quis absque ulla suspicione emit equum, quem nescit furtivum esse.

Quæres 28vo: Ad præscriptionem qualis titulus est necessarius, & quæ requiritur possessio?

Resp: Ad præscriptionem ordinarie requiritur *titulus*. Quia nemo potest reputari dominus rei, nisi, quidquam occurrat, quo dominium rei, ab uno ad alterum transfertur exg. emptio, donatio, quod titulus dicitur. Certe quomodo potest quispiam bona fide se credere hujus rei dominum, & jus illam possidendi se habere, nisi ipsi persvasum sit, hoc aut illo modo se illum acquisiisse, ac proinde, nisi habeat rationem, causamque existimandi ipsam esse suam. Non requiritur autem titulus verus, is enim si esset, puta si res fuisset empta a legitimo illius domino, opus non esset præscriptione ad illius acquirendum dominium. Sufficit ergo, & omnino requiritur titulus saltem coloratus, & apparens, qualis est donatio ab eo facta, qui putabatur esse rei dominus, licet reipsa non esset. Jam vero titulus in præscriptionibus brevioris temporis, videlicet trium, aut decem annorum, probari debet; at

in

in præscriptionibus quæ vocantur longiſsimi temporis exg. triginta, aut quadraginta annorum, opus non est ut probetur titulus, quia ipsa poſseſsio tam longa, locum habet tituli, & merito, quia verus titulus per tempus adeo longum innumeris modis perire potuit, atque vix credibile est, poſseſsionem tam longo tempore durantem, sine titulo inchoari potuiſse, nisi præsumptio juris stet contra præscribentem.

Præterea ad præscriptionem neceſsaria est poſseſsio. Porro poſseſsio ad prœscriptionem neceſsaria debet eſse *1mo:* cum bona fide cæpta, & toto tempore ad præscribendum requisito continuata, quia poſseſsor malæ fidei, nunquam præscribere potest, alias fur, latro, qui res alienas diu detinent, illas præscriberent, quod juri naturali repugnat. Ut itaque legitima sit præscriptio, neceſse est ut ille quia rem poſsidet, prudenter judicet illam eſse suam, & à se licite retineri poſse, quare siquis ex ignorantia craſsa, aut affectata, vel ex inordinata cupiditate existimat rem eſse ſuam, & non alienam, non est bona fides, prudens enim persvasio rem eſse nostram requiritur ut bonæ fidei censeatur eſse poſseſsio, & talis omnino ad legitimam præscriptionem neceſsaria est.

2do: Debet poſseſsio per tempus à lege constitutum, cum bona item fide, continuári, quod diversum est pro diversitate rerum præscribendarum. Nam ex jure communi ad præscribendas res mobiles ſufficit poſseſsio triennalis, jam vero ad præscribendas res immobiles, poſseſsio triginta annorum, & nonnunquam quadraginta, & amplius, neceſsaria est. Porro non est necessarium ut poſseſsio ad præsribendum lege constituta ab eadem persona continuetur, potest enim secundus poſseſsor, annos quibus poſsidet conjungere iis, quibus poſsedit ſuus prædeceſsor. Debet tamen eſse non interrupta. Hinc si quis re, quam per aliquod tempus legitime poſsederat, juste privaretur, & eam iterum deinceps poſsideret, non poſset annos prioris poſseſsionis computare & conjungere cum annis ſubsequentis poſseſsionis, quia tunc poſseſsio non eſset continuata.

3tio: Poſseſsio hæc inchoari, & continuari debet proprio nomine. Hinc Tutor, quia non sibi, sed pupillis poſsidet, non sibi, sed illis præscribit.

Quœres 29no: Utrum dubium tollat bonam fidem ad prœscribendum neceſsariam?

Resp: Vel dubium præcedit poſseſsionem, vel poſseſsioni bona fide inchoatæ ſupervenit. *Si primum*, faten-

tur

tur omnes, bonam fidem ea dubitatione impediri, nec proinde cum ipsa præscriptionem inchoari poſse. Quia bona fides non stat cum peccato, peccat autem qui apprehendit rem, de qua dubitat, an ſua sit. *Si secundum*, censent multi eum qui dubium habet grave, & probabile, an res, quam poſsidet ſua sit, nec ne, eo ipso non habere bonam fidem, nec præscribere poſse, ac proinde, eum non poſse rem totam retinere, ſed ipsum teneri vel cum altero aliquam compositionem facere, vel rem pro rata dubii dividere. Quia ad bonam fidem requiritur ut quis quiete, & tranquille judicet rem eſse ſuam, jam vero in dubio fundato, & probabili, non potest hoc quietum judicium eformari sed vacillans tantummodo, & qui dubium grave & discretum habet, exponit se periculo rem alienam retinendi. Ergo illam retinere nequit. Non tamen tenetur statim rem illam abdicare, ſed eam tamdiu retinere potest, donec adhibita ſufficienti diligentia, dignoscere poſsit, an res ſua sit, an alterius.

Quæres 20mo: An qui bona fide aliquid ad poſsidendum ab authore malæ fidei obtinet, illud præscribere valeat?

Resp: Qui ab authore malæ fidei aliquid ad poſsidendum obtinet, jure hæreditatis, illud præscribere nequit, quia hæres censetur una eſse persona cum defuncto ſuo Anteceſsore, eique ſuccedit quemadmodum in omnia jura, ita etiam in omnia onera, & obligationes reales, unde cum defunctus Anteceſsor contraxerit obligationem restituendi rem male partam, eadem obligatio & hæredem tenet, unde eam præscribere nequit, hinc in Jure l. 11. Cod. de acquir. & retin. poſs: dicitur: *Vitia poſseſsionum à majoribus contracta perdurant, & ſucceſsorem, authoris sui culpa comitatur.*

Sed qui rem à poſseſsore malæ fidei, bona fide accipit illamque obtinet alio quam hæreditatis titulo sive gratuito, sive oneroso, puta donatione, emptione, legato, sive ex testamento, ex dispositione inter vivos, in re quadam particulari, non autem in omnibus bonis alteri cuipiam succedendo, potest eam præscribere tempore à lege constituto, non quidem prædeceſsoris ſui poſseſsionem computando, ſed præscriptionem incipiendo à propria ſua poſseſsione.

Quæres 21mo: Hæc quæ de præscriptione exposita sunt, habentne locum in nostris Regionibus?

Resp: Hæc quæ de præscriptione exposita ſunt, licetsi

aliis conjecturis, ac circumstantiis colligi debet. Porro quando legatum relictum est Ecclesiæ, Monasterio, & ad piam causam sub certo onere factum, & obligans, nisi testator aliud clare exprefserit, non censetur voluifse, ut legatum revocetur, si onus non impleretur.

3tio: Si legatum ad certam piam causam factum nequeat ei applicari, debet converti in aliam piam causam. Nam defunctus censetur in tali casu voluifse, ut alteri piæ causæ applicaretur, cum id æque Deo sit gratum, & animæ illius utile. Quare si Ecclesia legatum sibi cum onere factum acceptare nolit, legatum alteri Ecclesiæ est deferendum, quod si & illa cum tali onere acceptare nolit, minuendum est legati onus, idque fiet ad mentem legantis, qui præsumitur de Ecclesia bene mereri voluifse, & ex errore solum, vel inadvertentia nimium onus imposuit.



TRACTATUS

DE

JURE ET JUSTITIA.

Quœres: Jus & justitia in quo fundantur?

Resp: Jus fundatur *in proprietate rei*, ideo namque jus ad rem aliquam habeo, atque de illa pro libitu disponere poſsum, quia mea est propria. Hoc jus qui lædit, hanc proprietatem qui violat, injustus est, injustitiam perpetrat, unde injustitia est alieni juris læsio, ac propterea justitia in eo consistit, ut jus cuiusque intactum servetur.

CAPUT PRIMUM

De Jure & Dominio.

Quœres: Quid sit jus, & quotuplex?

Resp: Jus est *legitima potestas disponendi de re tanquam nostra, adeo ut nemo nobis rationabiliter invitis, de eadem disponere poſsit.* Nomine autem rei id omne intelligitur, quod ad nos utcunque pertinere potest, sive sit res ipsa in se spectata, ejusque proprietas, sive rei tantummodo usus: quomodo jus habet in hortum, qui ejus usum habet sibi a proprietario conceſsum. Et jus non solum respicit ea, quæ actu, & facto poſsidemus, sed etiam illa, quæ ut nobis debita & obligata, prosequi poſsumus. Unde jus duplex est, *jus in re*, & *jus ad rem*. Jus *ad rem* est illud quod quis habet ut res sua fiat, & hoc jus non dat actionem in rem, sed in personam à qua res repetenda est. Jus *in re* illud est, quod quis habet in re iam obtenta, & à se poſseſsa, & hoc jus dat actionem in rem, quæ quocunque transeat, repeti potest ab eo, qui tale in ipsa jus habet. Ad jus in re revocantur dominium rei, usus & usus fructus illius, servitutes, & alia.

AR-

ARTICULUS Imus

De Dominio & modis illud acquirendi.

Quæres 1mo: Quid sit dominium, & quotuplex?

Resp: Dominium ex jure, quod quis rei alicuius habet, profluit, quare est *potestas disponendi de re sua, pro libitu suo vel ex toto, vel ex parte*. Unde dominium aliud est *plenum*, aliud *non plenum*. Dominium *plenum*, est jus disponendi de re, & commodis eius vg: usu, usu fructu, unde continet proprietatem, tum rei, tum commodorum ipsius. Dominium *non plenum* est illud, quo vel tantum proprietas rei habetur, vel ejus dumtaxat usus, aut usus fructus, hine dominium semiplenum subdividitur in *directum & utile, directum* est illud, quo habetur sola rei proprietas, tale est dominium quod habet Dominus in agro, quem tradidit in emphyteusim. Dominium *utile*, solam rei commoditatem. & utilitatem complectitur, tale est quod habet emphyteuta in agro sibi ad emphyteusim tradito. Quare dominium plenum, prout complectitur directum & utile, est jus in re extendens se ad omnem ipsius usum.

Sed præterea dominium dividitur, in *altum & humile*, *altum* illud est, quod habet Princeps, vel Respublica in bona privatorum, de quibus disponere pofsunt, cum id exigit bonum commune. *Humile* est illud, quod habet unusquisque in rem suam, qua uti potest pro suo libitu.

Quæres 2do: Quæ requiruntur ad acquirendum dominium?

Resp: Ad dominii acquisitionem requiritur *apprehensio*, quoties agitur de re quæ nullius erat. Si vero agatur de Dominio alicuius rei ab uno in alium transferendo, tunc duo requiruntur, *titulus* videlicet & *traditio*. Et quidem necefsarius est *titulus* seu id, in quo totum jus ad rem fundatur, & quod est ratio ac causa, cur alicui in hanc rem dominium competat, ut est emptio, donatio, hæreditaria succefsio. *Traditio* vero, quia ex communi lege, traditionibus, non autem nudis pactis dominia rerum transferuntur. Aliquando tamen sine traditione acquiritur rei dominium, sed in his consulendæ sunt leges locorum.

Quæres 3tio: Quæ subiacent dominio hominis?

Resp: Res omnes usibus humanis subjectæ, jure naturæ subsunt dominio hominis, bestiæ, aves, agri, flumina, plantæ, omnia siquidem hæc potestati hominis á Deo subiecta sunt. Vitæ tamen suæ homo potestatem non habet, sed solus Deus. Unde Sapientiæ cap: 16. dicitur. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem:* famæ vero suæ ac honoris, potestatem homo habet, nam illa propria industria, virtute, ac labore sibi comparat & acquirit, unde etiam ejus restitutionem, si ab alio læsa fuerit, condonare potest. Jure naturæ homo in hominem dominium habere nequit. Quia omnes homines jure naturæ pares sunt, cum sint ejusdem naturæ, ab eodem parente progeniti, & in eundem finem á Deo conditi. Potest autem homo jure gentium, aut vi legum Civilium in alios homines dominium habere, & sic in Nostris Regionibus Kmethones dominio Nobilium subsunt. Sed hoc dominium quod Nobiles in Kmethones habent, est legibus circumscriptum, unde se non extendit, neque ad vitam eorum, neque ad bona ipsorum, quæ labore ac industria sibi compararunt, sed sola spectat opera diurna perficienda, & annuos census persolvendos. Non enim sunt mancipia, aut servi stricte tales, sed nonnisi adscriptícii glebæ, quare fugere nequeunt, & Dominus illorum, semper habet jus illos repetendi.

Quæres 4to: Qui sunt capaces dominii?

Resp: Omnis, & solus homo capax est dominii, quia dominium est facultas disponendi de rebus suis pro suo arbitratu, hoc autem soli homini competit, & quamvis infantes, & amentes usum dominii non habent, unde actu de rebus suis per se ipsos disponere nequeunt, radicalem tamen disponendi potestatem habent. Unde qui loco ipsorum de rebus ad ipsos pertinentibus disponunt, omnia nomine illorum ordinant, quare penes illos est dominium, penes hos nonnisi administratio, quapropter qui bona infantium, amentium, usurpat, surripit, ipsis injuriam facit.

Quæres 5to: Filiifamilias qualium bonorum dominium habent?

Resp: Filiifamilias hic illi spectantur, qui sub Patris degunt potestate, unde non dum sunt sui juris. Bona vero quæ ad illos pertinere possunt, quadruplicis sunt generis, *Castrensia* videlicet, *quasi castrensia*, *adventitia*, & *profectitia*. Bona *castrensia* ea sunt, quæ á filio in militia, vel occasione militiæ comparantur, qualia sunt

sunt stipendia militum, prædæ de hostibus, donativa Ducum, aut commilitonum, mobilia à Parentibus intuitu militiæ filio concefsa. Castrense etiam dicitur id omne quod filiusfamilias acquirit in obsequio & aula Principis, aut ipsius largitione, & quidquid ex iis sic afsecutis bonis, propria industria lucratur. Bona *quasi castrensia* illa dicuntur, quæ acquiruntur ratione militiæ Sacræ, togatæ, vel literariæ, unde bonorum quasi castrensium quadruplex est genus. *Clericale* quod filiusfamilias acquirit post adeptum clericatum, sive ex beneficio Ecclesiastico, sive aliunde, unde quidquid in aliis filiis adventitium foret, illud post Clericatum quasi castrense est. *Forense* quod acquiritur in foro, vel ratione officii publici, puta Judicis, Afsefsoris, Notarii. *Palatinum* est id, quod datur á Rege, Principe. *Scholasticum* quod aquiritur occasione artium liberalium. Bona *adventitia* sunt ea, quæ non proveniunt à Patre, sed aliunde filio obveniunt. Talia sunt ea, quæ filius vel proprio labore, non ex rebus patris, vel etiam fuccefsione, donatione sibi facta, acquirit, vel quæ filio fortuito obveniunt, ut si thesaurum inveniat, aut quæ propria acquirit industria, ut si ex pecunia mutuo accepta, negotiando lucretur. Bona *profectitia* ea sunt, quæ filius acquirit ex bonis Patris *vg:* negotiando, aut ea administrando.

Igitur *1mo*: filiifamilias bonorum Castrensium, & quasi castrensium, plenum, ac perfectum habent dominium. Unde pro nutu suo de iis pofsunt disponere ea alienando, donando, nisi lex ob tenellam eorum ætatem resistat, quemadmodum in nostris Regionibus resistit, nam ex Statuto Lithvaniæ nemo potest de bonis suis disponere, nisi octodecim annos vitæ compleverit, & in Polonia quamvis quindecim completis ætatis annis, jam de bonis disponere valeat, sed illa ante annum vigesimum quartum consummatum, sine consilio propinquorum, vel amicorum, alienare non valet. Si itaque pater ex bonis Castrensibus, aut quasi Castrensibus filii, aliquid subtrahat, ad restitutionem tenetur.

2do: Ex jure communi filiifamilias bonorum adventitiorum solam habent proprietatem, non usumfructum, profecticiorum vero nec usumfructum, nec proprietatem. Unde filiusfamilias sine consensu Patris non potest disponere de bonis adventitiis, quia eorum utilitas pertinet ad Patrem, Pater tamen, licet fructus horum bonorum percipere pofsit, & de iis rationem reddere non teneatur,

sed

sed si ipsa bona adventitia dilapidet, ad restituendum filio obligatur, quia proprietas eorum penes filium est. Jam vero bonorum profectitiorum, cum penes Patrem & proprietas, & utilitas sit, penes filium sola erit administratio. Verum in his locorum leges, ac consvetudines attendendæ sunt. Certe cum in nostris Regionibus variis modis fieri soleat filiorum emancipatio, qua à Patria potestate eximuntur, & ſui juris constituuntur, nimirum officio, matrimonio, manumiſsione, cum videlicet filius publicum obtinuit officium, matrimonium contrahit, à Patre exdivisa obtinet bona, aut etiam statum Ecclesiasticum ingreſsus est, sic enim emancipati filiifamilias, & iam ſui juris constituti, non solum bonorum castrensium, aut quasi castrensium, sed etiam adventitiorum, atque profectitiorum, quæ scilicet, sciente, & volente Patre, ex ejus bonis lucrantur, plenum, & perfectum dominium habent.

Quæres 6to: An quæ filius paterna in domo lucratur, pertineant ad ipsum, an ad Patrem, an non, dum præ ceteris filiis laborat, aliquid sibi retinere poſsit instar solarii?

Resp: Lucra non ex bonis Patris, sed ex propriis operibus, filii industria acquisita; puta si filius sit musicus, numerari debent inter adventitia bona, ac proinde ad filium pertinere, unde post mortem Patris potest illa repetere, deductis tamen expensis, quas in eo alendo pater fecit, quia non tenetur Pater alere filium habentem propria bona Castrensia scilicet, quasi castrensia, sive adventitia. Si tamen filius opificis operam suam Patri præstet, nulla, neque tacite, neque expreſse petita mercede, præsumitur illam Patri remittere titulo pietatis, unde si mortuo patre, illam à fratribus repetere velit, non est audiendus. Filius vero exg: fabri, aut sartoris, sive mercatoris, qui ex bonis paternis, ipso patris nomine, & authoritate lucratur, jus habet in ejusmodi lucri partem, quæ labori & industriæ ejus respondet, quia filius non debet eſse deterioris conditionis extraneo, qui dubio procul pro labore suo debito non careret stipendio, quare si Pater nullam lucri hujus partem quasi societatis jure filio largiatur, tantum ei solarii debet, quantum extraneo. Attamen si filius teneatur egeno Patri aut Matri operam suam gratis, & pietatis studio præstare, nullam lucri partem potest sibi appropriare.

Quæ-

Quœres 7mo: Quorum bonorum, uxor, vivente marito, dominium habet?

Resp: Uxor vivente marito dominium dotis, alias *wniesienie,* suæ quam attulerat, habet, sed illius administratio, & usufructus est penes Maritum, quoniam ad sustinenda Matrimonii onera data est, post mortem vero Mariti, plenam dotis suæ administrationem habet, potestque de illa pro arbitratu suo disponere. Pariter bonorum quæ parapharnalia vulgo *Wyprava, Oprawa,* dicuntur & consistunt in rebus mobilibus quæ ad ornatum, & usum muliebrem pertinent, & quæ ipsa præter dotem secum attulit, non solum usum, sed & dominium habet, atque de illis disponere potest. Tandem si Uxor præter dotem alia à Parentibus suis sibi data habeat bona, aut succeſsione ei obvenerint, illorum dominium & usufructus penes ipsam manet. Post mortem vero Mariti bona in quibus dos ipsius aſsecurata fuit, & illa in quibus similis & æqualis doti jure reformationis à Marito illi inscripta est summa, alias *Dotalitium, Wiano,* ac denique bona supra quibus jus ad vitalitium sibi à Marito conceſsum habet, ipsius subiacent administrationi, atque regimini. Denique medietas illorum bonorum, quæ vel labore aut industria simul cum Marito comparavit, aut emptione pro sociali summa acquisivit, post mortem Mariti ad ipsam pertinet, & de hac pro suo arbitratu disponere, & ordinare valet.

Quœres 8vo: Qui sunt acquirendi dominii modi?

Resp: Bona quorum dominium acquiri potest, multiplicis sunt generis *1mo:* enim sunt, quæ nullum unquam Dominum habuerunt, aut saltem nullum habuiſse censentur, ut feræ complures, Insulæ hactenus inhabitatæ, metalia, gemmæ in terra aquisque delitescentes. *2do:* quædam sunt, quæ Dominum habuerunt, sed vel iam pridem, veluti thesauri, vel non ita pridem, ut bona defectu hæredum, & de quibus ab ultimo poſsesore nulla relicta est dispositio, vacantia, quæque nullius eſse censentur. Item bona derelicta, & nuper amiſsa. *3tio:* demum quædam habent Dominum, & nihilominus absque ejus consensu ad alterum transferuntur. Bona quæ nullius fuerunt, dicuntur occupari; quæ iam pridem poſseſsore carent, aut nuper ammiſsa sunt, inveniri; quæ vero sine domini Consensu ad alium deveniunt, præscribi. Itaque dominium rerum acquiritur occupatione, inventione, & **præscriptione.**

Quœ-

Quæres 9no: Quæ occupatione acquiruntur?

Resp: Animalium & Bestiarum dominium occupatione nonnunquam acquiritur. Sed animalium, ac bestiarum, aliæ natura sua sunt feræ, ut cervi, & lepores, aliæ cicures, seu domesticæ, ut oves, & gallinæ, aliæ ex feris cicurantur, & domesticæ fiunt, aliæ ex domesticis, feræ evadunt. Itaque *1mo*: Bestiæ ex natura sua feræ, volucres, & pisces, ac omnia animalia, quæ in aquis, & super terram nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius eſse incipiunt, à quo capta fuerunt, quod enim ante nullius est, nullumque dominium habuit, id naturali ratione primo occupanti conceditur. Idem dicendum de animalibus feris, & sylvestribus, quæ aliquando alicujus fuerunt, sed jam naturalem suam libertatem recuperarunt, quia cum jam naturali gaudeant libertate, nullius sunt, ac proinde primi occupantis fiunt, nisi lex specialis obstet, aut consvetudo. Recuperaſse autem pristinam libertatem censentur, quando tam difficilis est modo eorum prosecutio, ac antea erat, cum prima vice occuparentur. Hinc examen opum quamvis avolet ex alveario tuo, tamdiu manet tuum, quamdiu in conspectu tuo versatur, nec difficilis est ejus prosecutio, quod si jam dificile sit illud insequi, & recuperare, potest à quovis capi. Quare etiam animalia si redeundi consvetudinem amiserint, censentur resuperaſse pristinam libertatem, & sic sunt primi occupantis. Nam jam nullius sunt, & in ordine ad priorem dominum ita se habent, ac si nunquam ob eo capta fuiſsent, veluti avis, quæ ex cavea in liberam aream evasit, vel piscis quæ e vivario in liberum flumem transiit. Licet ergo & columbas retinere, quæ sponte, & non attractæ se sociaverunt tuis columbis, & ad proprium columbarium redire desierunt. Sed animalia, licet ex natura sua fera, & sylvestria, quæ ejus à quo capta sunt custodia detinentur, vel loco concluso coercentur, non licet occupare, tales enim feræ non minus â dominis poſsidentur, quam animalia domestica, hinc etiam non licet pisces capere in alieno vivario. Qui feram læsit, quantum satis est ad capiendum, & læsam insequitur, cum morali certitudine eam capiendi, illius est, quia per vulnus inflictum censetur jam ab illo capta, unde si ab alio capiatur, illi restituenda est. Item si fera laqueo sit ita capta, ut non sit evasura, illius est, cujus est laqueus, unde non potest ab alio capi, sicut nec piscis per

per illius rete conclusus, possumus enim sicut manibus, ita & per instrumenta res apprehendere. Quod si fera facile erat e laqueo evasura, aut vulnus illi inflictum, non erat nocivum, est primi occupantis, quia naturalem libertatem suam non amisit.

2do. Animalia vero naturaliter mansveta & domestica, etiamsi dominorum potestatem longius evaserint, occupari ab alio non possunt, quia cum natura sua domestica sint, etiamsi longius affugerint, non censentur libertatem assecuta, quare semper remanent in potestate domini sui, unde non licet ea capere, detinere, & ad restituendum tenetur, qui horum animalium lanam, plumas, vel ova in suos usus convertit.

3tio: Animalia cicurata, & domestica facta, quæ consvetudinem habent revertendi, aut facile reducuntur, non cedunt capienti, sed priori domino restituenda sunt, secus si amiserint animum revertendi, nam quamdiu habent animum, ex libera vagatione redeundi, & solent reverti, tamdiu censentur naturali carere libertate, & illius esse, à quo primo apprehensa sunt, ideoque ab alio occupari non possunt. Hinc peccant qui illecebris, & fraude aliorum columbas ad suum columbarium attrahunt, in eo illas detinent, pariter qui eas in agris suis occidunt, & ii ad restituendum obligantur, quia dominus earum jus habet, ne ex illius dominio extrahantur, aut occidantur, licet tamen eas de agro abigere, neque rei sunt, si solum melius pabulum suis columbis ponant, aut columbarium in loco commodiori ædificent, per quod aliæ alliciuntur.

Porro quandonam animalia cicurata animum revertendi censentur exuisse, arbitrio viri prudentis & experti definiri debet. Columbæ quæ tribus, aut quatuor diebus continuis ad suum columbarium non revertuntur, videntur nonnunquam amisisse revertendi animum, secus de cervis, & apris, qui licet per dies aliquot juxta domum vagentur, & sponte non redeant, facile tamen se reduci permittunt.

Quæres 2omo: Utrum peccent qui in alienis Sylvis venantur.

Resp: 1mo: Peccat qui in alterius fundo muris, aut sepe circumcluso venatur, & ad restituendum animalia quæ ibidem capta, aut occisa sunt, tenetur. Quia dominus istius fundi, vere est dominus animalium, quæ in illo circumclusa sunt, nam illa, cum voluerit facile appre- hen-

hendere potest. Pariter etiam peccat qui piscatur in alieno vivario, piscina, & quolibet loco concluso.

2do: Peccat etiam qui in alieno fundo, etiam non circumcluso, veluti Sylva, invito domino fundi, venatur. Quia domino fundi, ipso rationabiliter invito, sic agendo, injuriam facit. Jure tamen naturali ad ferarum restitutionem non tenetur, quia animalia quæ ex uno loco in alium quotidie transmigrant, reipsa nullius sunt domini, nec sunt fructus Sylvarum, aut agrorum, adeoque sunt primi, occupantis. Verum positivis Nostrarum Regionum legibus, non solum prohibita est venatio in alienis Sylvis, ſed etiam pretium solvendum pro occisis feris statuitur. Similiter prohibitum est in alienis stagnis, lacubus, rivulis, & aquis fluentibus, piscari, & pro captis piscibus à Judice decerni ſolutio mandatur, quia per hæc violentia domino lacus, ac stagni irrogatur, injuria ei fit, ac proinde non solum pænas in Judicio luere debet, ſed & reipsa peccat, quia jus alienum lædit

Quæres 11mo: Utrum peccent qui in alienis Sylvis ligna cædunt?

Resp: Legibus nostrarum Regionum, ligna in alienis Sylvis cædere, severe prohibitum est, & penæ in eos, qui sive furtivo modo, sive etiam violenter ex alienis Sylvis ligna evehunt, constitutæ sunt. Quare indubitatum est, quod peccent pro ratione illati damni, si quidem damnum grave illatum fuerit, graviter, si vero leve nonnisi irrogatum sit damnum, leve erit peccatum. Gravitas autem ac levitas damni decidi debet, vel ex multitudine lignorum, etiam nonnisi usui communi inservientium, vel etiam ex genere lignorum, si quamvis in parva quantitate excidantur, pretio æstimabilia ſunt, videlicet *Drzewo towarne.* Si tamen pauperes Rustici evehant ligna exigui momenti,. & quidem gravi preſsi neceſsitate, adeo ut Sylvarum domini obsistere nequeant, sine immani quadam duritie,. à peccato immunes ſunt, quod si etiam tunc Domini Sylvarum resistant, irrationabiliter inviti ſunt.

Magis autem peccant, qui Sylvas incendunt, & si quidem id de industria fecerint, aut ex propria gravi culpa, omne damnum resarcire tenentur, si vero nonnisi casu fortuito, à compensatione damnorum immunes eſse censentur.

Quæres 12mo: Quæ inventione acquiruntur?

Resp: Inventione acquiruntur, *1mo*: Lapilli, gemmæ, quæ

quæ in littore maris aut in visceribus terræ inveniuntur, & jure naturali sunt inventoris. Quod vero ſpectat venas auri, ac argenti, juxta antiquas harum Regionum leges, quæ reperiuntur in Bonis ut olim vocitabantur, Regalibus, nunc *Skarbowe*, *vel Kazienne*, ad ſupremum Imperantem spectant, quæ vero in Bonis hæreditariis privatorum inveniuntur, hæc ad bonorum hæriditarios dominos spectant.

2do: Inventione acquiruntur thesauri. Est autem thesaurus, vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, & quæ idcirco jam dominum non habet, hinc res nuper reconditæ, quæ dominum habent, illum scilicet qui recondidit, aut ejus hæredes, nomine thesauri venire nequeunt. Jure antiquo nostrarum Regionum, de thesauris hæc statuta sunt. 1mo: thesaurus in proprio fundo inventus, totus pertinet ad inventorem, si vero quis thesaurum invenerit in alieno fundo, tunc inventori medietas, & altera medietas inventi thesauri Domino fundi cedere debet. Similiter si in fundo in hypothecam dato inventus thesaurus fuerit, per medium dividi debet. Ejusmodi autem leges in conscientia obligant, & ante sententiam Judicis, quia non sunt leges penales, sed definitivæ & proprietatis rerum distributivæ. Hinc qui emit agrum sciens in eo thesaurum latere, & postea eum detexerit, illius dominus est, quia in agro proprio illum invenit, neque ideo pretium agri augere debet, quia prætium cujuslibet rei ex communi estimatione, non ex accidentali aliquo fructu sumi debet. Pariter si artifex in veteri quam diſsolvit arca, gemmas, aut vasa aurea, argenteaque inveniat, siquidem arca hæc pertineat ad alterum, qui originem hujus thesauri ignorat, nec prudenter suspicari poſsit, eum a majoribus suis reconditum fuiſse, medietas illius thesauri pertinebit ad inventorem, medietas ad dominum arcæ, quia nihil refert, an thesaurus in terra lateat, an in re aliqua mobili, exg. arca. Unde si artifex ille arcam hanc bona fide emiſset, non teneretur reperti postea thesauri partem restituere arcæ venditori, ut qui nunquam vere ejus dominus fuit, cum rei prorsus ignotæ, nulla sit poſseſsio. Quod si vero in domo aliqua occultata inveniatur pecunia, cujus depositio non sit antiqua, illa non est invenientis, cum pro thesauro reputari nequeat, utpote non vetus depositio, quare si homines ejusdem familiæ in illa domo continuo & diuturno tempore habitaverint, hæredibus illius familiæ restitui debet,

nam

nam prudenter præsumitur ab aliquo ex hac familia fuiſse locata, & occultata. Si vero plurimi, & diversæ familiæ in eadem domo habitaverint, nec ulla haberi poſsit præsumptio, ad quam familiam inventa pecunia pertineat, tunc illa distribui debet pauperibus, vel applicari aliis bonis operibus proximo utilibus, quia est bonum alienum inventum, & incertum. Bona vero aliena inventa, quorum dominus vel ejus hæres cognosci non potest, in pias causas impendi debent.

Quæres 3tio: Quid dicendum de rebus recenter deperditis, & ab alio inventis?

Resp: 1mo: debent domino suo, si fieri potest, restitui, unde dominus rei magis aut minus inquirendus est, pro qualitate rei, idque non solum in loco, ubi res inventa est, sed etiam in locis vicinis, si sit spes, aut suspicio futurum, ut dominus detegi poſsit, præsertim cum res est magni valoris. Hæc autem inquisito fieri debet expensis rei restituendæ.

2do: Post ſufficientem inquisitionem, res inventa, cujus dominus non comparet & cognosci nequit, pauperibus est eroganda, aut in pios usus impendenda, quia qui rem amisit, ac deperdidit, manet illius dominus, & cum illam rehabere non poſsit, piam ipsius erogationem merito velle præsumitur. Hinc graviter peccant, qui bona inventa in suos uſus convertunt, & ad restituendum obligantur. Si tamen inventor vere pauper sit, & egenus, potest sibi partem rei inventæ, aut etiam totam, si parvi momenti sit, applicare; hoc tamen, propter periculum deceptionis, cum consilio Confeſsarii faciendum est. Quocunque vero modo applicatio rei inventæ facta fuerit, semper hanc includit conditionem. *Si dominus rei non compareat:* ex quo sequitur, ut si dominus comparuerit, res quæ adhuc apud pauperes in se, sive in æquivalenti extat, domino restitui debeat.

Quæres 4to: Estne aliquid restituendum domino comparente, postquam res inventa consumpta fuerit?

Resp: Qui adhibita ſufficienti diligentia, in inveniendo domino rei inventæ, eam bona fide in bona opera expenderat, ad nihil tenetur, secus si non adhibita debita diligentia illam pauperibus distribuerat, tunc enim illata est domino injuria, qui jus habet ne bona ſua præpropere distrahantur. Quod si etiam quis à principio dominum re inventæ non satis quæsivit, & postea omnem in eo inveniendo adhibeat diligentiam, sed inutiliter, ita ut rem inven-

inventam pauperibus, vel in alia bona erogare necesse sit, domino comparente ad restitutionem non tenetur. Verum ut omnis adimatur scrupuli occasio, sequendum est id in praxi, quod docet S. Thomas Opusc: 73. Cap: 26. *Si forte quibus facienda est restitutio, nescitur, ad ipsam Ecclesiam facienda est, hoc tamen addito, quod debet ei Ecclesia promittere restitutionem faciendam, si necesse aliquando fuerit in tempore futuro, per inopinatam reversionem eorum, quibus de jure facienda erat.*

Quæres 15to: Possitne inventor aliquid sibi ex re inventa retinere, aut exigere pro inventionis præmio?

Resp: Potest inventor repetere expensas quas fecerat in rei inventione, secus nihil retinere potest. A domino autem comparente potest inventor aliquid exigere titulo gratitudinis, quo ettam titulo tenetur dominus aliquid eidem rependere, at nihil exigere potest inventor quasi ex justitia debitum, quia dominus rem quæ tota ipsius est, nequidem ex parte emere tenetur. Hinc si Dominus præmium promiserit, inventor debet ei relinquere omnimodam libertatem illud designandi, & conferendi.

Quæres 16to: Bona naufragantium, an pro derelictis reputanda sint?

Resp: Bona naufragantium; aut quæ per aquarum abluvionem auferuntur, pariter & ea, quæ propter incendium eiiciuntur, pro derelictis haberi nequeunt, unde retineri nequeunt, etiamsi aliunde, si non fuissent apprehensa, peritura erant, sed domino restituenda sunt, quia res tamdiu domini est, quamdiu non est consumpta. Nihilominus unusquisque id retinere potest, unde compensetur labor, aut periculum, quod in re alterius extrahenda, & conservanda subiit.

Quæres 17mo: Utrum præscriptione dominium rerum acquiratur?

Resp: Indubitatum est, rerum dominium præscriptione acquiri, & id constat ex legibus, usu, atque universalissima omnium Nationum, & Regionum consvetudine, unde præscriptio jure Gentium roborata est. Quare licet rem legitime præscriptam retinere, etiamsi postea cognoscatur fuisse alterius. Porro præscriptio est acquisitio dominii & juris per possessionem tempore à legibus præscripto continuatam. Sed ad legitimam præscriptionem tria potissimum necessaria sunt, videlicettitulus, possessio & bona fides. *Titulus* est id, quod ex se est habile ad tribuen-

tribuendum dominium exg. emptio, permutatio. Quadruplex autem distinguitur titulus, scilicet: *verus*, *coloratus* seu apparens, *existimatus*, ac denique *præsumptus*. Titulus *verus* est ille, qui á parte rei subsistit, & qui ex se sufficit ad fundandum jus quod quis habere contendit, talis est emptio valida. Titulus *coloratus* est ille, qui bona fide creditur valere, & sufficiens eſse, licet ob latentem defectum, nihil valeat: talis est venditio ab eo facta, qui contra communem existimationem, vel rei venditæ dominus non erat, vel potestate illam alienandi carebat. Titulus *existimatus* seu *putativus*, est, cum nec vere, nec apparenter quidquam præceſsit, quod dominium rei tribuere poſsit, sed tamen errore probabili creditur præceſsiſse, ut si Petrus poſsideat rem putans illam á ſervo suo emptam eſse, & ille ipsam ſurripuit. Titulus denique *præsumptus* ille est, quem leges propter temporis diuturnitatem interveniſse præsumunt, etsi tamen forte non intervenit.

Poſseſsio autem est detentio rei tamquam ſuæ. Ad poſseſsionem igitur requiritur apprehensio, seu traditio rei, quia ut res incipiat poſsideri, debet aliquo modo apprehendi, & detineri eo animo, ut reputetur eſse sua.

Bona fides, est persvasio, qua quis prudenter existimat rem, quam poſsidet, eſse suam, licet forte sua non sit, ut cum quis absque ulla ſuspicione emit equum, quem nescit furtivum eſse.

Quæres 2do: Ad præscriptionem qualis titulus est neceſsarius, & quæ requiritur poſseſsio?

Resp: Ad præscriptionem ordinarie requiritur *titulus*. Quia nemo potest reputari dominus rei, nisi, quidquam occurrat, quo dominium rei, ab uno ad alterum transfertur exg. emptio, donatio, quod titulus dicitur. Certe quomodo potest quispiam bona fide se credere hujus rei dominum, & jus illam poſsidendi se habere, nisi ipsi persvasum sit, hoc aut illo modo se illum acquisiiſse, ac proinde, nisi habeat rationem, causamque existimandi ipsam eſse suam. Non requiritur autem titulus verus, is enim si eſset, puta si res fuiſset empta a legitimo illius domino, opus non eſset præscriptione ad illius acquirendum dominium. Sufficit ergo, & omnino requiritur titulus saltem coloratus, & apparens, qualis est donatio ab eo facta, qui putabatur eſse rei dominus, licet reipsa non eſset. Jam vero titulus in præscriptionibus brevioris temporis, videlicet trium, aut decem annorum, probari debet; at in

in præscriptionibus quæ vocantur longiſsimi temporis exg. triginta, aut quadraginta annorum, opus non est ut probetur titulus, quia ipsa poſseſsio tam longa, locum habet tituli, & merito, quia verus titulus per tempus adeo longum innumeris modis perire potuit, atque vix credibile est, poſseſsionem tam longo tempore durantem, sine titulo inchoari potuiſse, nisi præsumptio juris stet contra præscribentem.

Præterea ad præscriptionem neceſsaria est poſseſsio. Porro poſseſsio ad præscriptionem neceſsaria debet eſse *1mo:* cum bona fide cæpta, & toto tempore ad præscribendum requisito continuata, quia poſseſsor malæ fidei, nunquam præscribere potest, alias fur, latro, qui res alienas diu detinent, illas præscriberent, quod juri naturali repugnat. Ut itaque legitima sit præscriptio, neceſse est ut ille quia rem poſsidet, prudenter judicet illam eſse suam, & à se licite retineri poſse, quare siquis ex ignorantia craſsa, aut affectata, vel ex inordinata cupiditate existimat rem eſse ſuam, & non alienam, non est bona fides, prudens enim persvasio rem eſse nostram requiritur ut bonæ fidei censeatur eſse poſseſsio, & talis omnino ad legitimam præscriptionem neceſsaria est.

2do: Debet poſseſsio per tempus à lege constitutum, cum bona item fide, continuári, quod diversum est pro diversitate rerum præscribendarum. Nam ex jure communi ad præscribendas res mobiles ſufficit poſseſsio triennalis, jam vero ad præscribendas res immobiles, poſseſsio triginta annorum, & nonnunquam quadraginta, & amplius, neceſsaria est. Porro non est necessarium ut poſseſsio ad præsribendum lege constituta ab eadem persona continuetur, potest enim secundus poſseſsor, annos quibus poſsidet conjungere iis, quibus poſsedit ſuus prædeceſsor. Debet tamen eſse non interrupta. Hinc si quis re, quam per aliquod tempus legitime poſsederat, juste privaretur, & eam iterum deinceps poſsideret, non poſset annos prioris poſseſsionis computare & conjungere cum annis ſubsequentis poſseſsionis, quia tunc poſseſsio non eſset continuata.

3tio: Poſseſsio hæc inchoari, & continuari debet proprio nomine. Hinc Tutor, quia non sibi, sed pupillis poſsidet, non sibi, sed illis præscribit.

Quæres 29no: Utrum dubium tollat bonam fidem ad præscribendum neceſsariam?

Resp: Vel dubium præcedit poſseſsionem, vel poſseſsioni bona fide inchoatæ ſupervenit. *Si primum,* fatentur

tur omnes, bonam fidem ea dubitatione impediri, nec proinde cum ipsa præscriptionem inchoari pofse. Quia bona fides non stat cum peccato, peccat autem qui apprehendit rem, de qua dubitat, an fua sit. *Si secundum*, censent multi eum qui dubium habet grave, & probabile, an res, quam pofsidet fua sit, nec ne, eo ipso non habere bonam fidem, nec præscribere pofse, ac proinde, eum non pofse rem totam retinere, fed ipsum teneri vel cum altero aliquam compositionem facere, vel rem pro rata dubii dividere. Quia ad bonam fidem requiritur ut quis quiete, & tranquille judicet rem efse fuam, jam vero in dubio fundato, & probabili, non potest hoc quietum judicium eformari sed vacillans tantummodo, & qui dubium grave & discretum habet, exponit se periculo rem alienam retinendi. Ergo illam retinere nequit. Non tamen tenetur statim rem illam abdicare, fed eam tamdiu retinere potest, donec adhibita fufficienti diligentia, dignoscere pofsit, an res fua sit, an alterius.

Quæres 20mo: An qui bona fide aliquid ad pofsidendum ab authore malæ fidei obtinet, illud præscribere valeat?

Resp: Qui ab authore malæ fidei aliquid ad pofsidendum obtinet, jure hæreditatis, illud præscribere nequit, quia hæres censetur una efse persona cum defuncto fuo Antecefsore, eique fuccedit quemadmodum in omnia jura, ita etiam in omnia onera, & obligationes reales, unde cum defunctus Antecefsor contraxerit obligationem restituendi rem male partam, eadem obligatio & hæredem tenet, unde eam præscribere nequit, hinc in Jure l. 11. Cod. de acquir. & retin. pofs: dicitur: *Vitia pofsefsionum à majoribus contracta perdurant, & succefsorem, authoris sui culpa comitatur.*

Sed qui rem à pofsefsore malæ fidei, bona fide accipit illamque obtinet alio quam hæreditatis titulo sive gratuito, sive oneroso, puta donatione, emptione, legato, sive ex testamento, ex dispositione inter vivos, in re quadam particulari, non autem in omnibus bonis alteri cuipiam succedendo, potest eam præscribere tempore à lege constituto, non quidem prædecefsoris fui pofsefsionem computando, fed præscriptionem incipiendo â propria fua pofsefsione.

Quæres 21mo: Hæc quæ de præscriptione exposita sunt, habentne locum in nostris Regionibus?

Resp: Hæc quæ de præscriptione exposita funt, licetsi

alio diligentiore se offerente, quia tunc censetur eandem promisiſse diligentiam, quam ille diligentior spoponderat Ex culpa autem levi tenentur, qui ex Officio aliquid faciunt mercede conducti, ut Tutores, Medici, Advocati, Artifices, Architecti. Quia cum ex officio ſuo aliquid emalumenti percipiant, maiorem adhibere debent diligentiam, quam si nullum inde lucrum reportarent. Unde licetsi Advocatus: qui bona fide id omne prestitit, quod vere prudentes præstare tenentur, cum causam amittit, non teneatur ad restituendum, tametsi quidpiam omiserit, quod diligentiſsimi non omisiſsent, ſed si eam non adhibuerit diligentiam, quam diligentiores adhibere solent, ad restituendum obligatur, quia nimirum ex culpa levi tenetur, non ex leviſsima.

Sunt etiam varii casus in quibus artem, aut munus quodpiam gerens, etiam ex leviſsima culpa tenetur, ut exg. *1mo:* Si se profiteatur diligentiorem, & peritiorem aliis, tunc enim promittit saltem implicite se plus præstiturum quam præstent alii. *2do:* Si operam ſuam offerat in re tanti valoris, ut ex natura ſua singularem custodiam requirat, vg. si agatur de lite ex qua sequi debeat familiæ alicujus dedecus & infamia, aut bonorum amiſsio, aut si transferenda sit columna sive res fragiles quam sine grandi periculo transferri non poſse, manifestum est, in his enim casibus tacita eſse videtur diligentiæ maximæ expostulatio, & appromiſsio.

Quæres 9no: Quid sentiendum est de iis, qui suo consilio, aliis nocuerunt, ex qua culpa ad restituendum tenebuntur?

Resp: Si agitur de iis, ad quos ratione officii, muneris, aut profeſsionis, ſpectat consilium dare, quales ſunt Confeſsarii, Theologi, Juris consulti, imo etiam qui pro idoneis se gerunt consiliariis, illi tenentur ex culpa lata, quia qui ex officio consilium dant, eam saltem adhibere debent diligentiam, quam paſsim adhibent diligentes ejusdem profeſsionis viri, ergo si eam non adhibuerint, ad restituendum obligantur, hinc Cap: 9. de injur. dicitur: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter poſse contingere vel jacturam.*

Imo, qui mercede seu stipendio conductus est, ut Medici, Advocati, & malum consilium dedit, videtur de

culpa etiam levi teneri. Unde multum sibi metuere debent ii omnes, qui ratione officii sui sunt imperitorum consiliarii, ex iis enim multi per liberiora consilia, frequentem injustitiis causam præbent. Qui tamen bona fide exequitur id, quod ex decisione Confesſarii, vel Advocati, licitum eſse putat, non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus habet aliquid rei alienæ, aut ex ea ditior factus est. Advocatus vero & quilibet alius ex officio consulens, tenetur ad totum damnum compensandum.

Ab hac tamen ob datum consilium restituendi obligatione, immunes ſunt 1mo: qui indicant se dubitare de proposito casu. 2do: Qui dicunt ita quidem sibi rem propositam videri, at statim monent, ut alii consulantur. 3tio: Ii ad quos ratione officii, ac profeſsionis non pertinet consilium dare, quales ſunt idiotæ, rustici, mulieres, & qui pro idoneis consultoribus non se gerunt. Si tamen agitur de damno tertii, puta si svadeas alteri, ut non restituat, peccas graviter, & ad restituendum teneris, quia illi tertio damnum infers, nec obstat, quod veritatem ignores inculpate, quia nihilominus imprudenter agis, utpote qui in rebus, in quibus non es versatus, aliis consilium præbere audes.

ARTICULUS 2dus.

De iis qui ad restitutionem obligantur.

Quæres 1mo: Qui ad restituendum tenentur?

Resp: Ad restituendum teneri poſsunt, rei alienæ, bonæ, aut malæ, vel etiam dubiæ fidei poſseſsores, ac tandem ii omnes qui alterius damno cooperantur.

Quæres 2do Quis sit poſseſsor bonæ fidei?

Resp: Poſseſsor bonæ fidei ille dicitur, qui alienum aliquid poſsidet, quod sine dolo, & fraude ſuum eſse putat, licet sit alterius. De eo hæc certa ſunt. 1mo: Non peccat rem alienam apud se retinendo, ea utendo, vendendo, quamdiu durat bona fides. 2do: etiamsi rem alienam publice emerit, gratis restituere illam debet statim ac ceſsat bona fides. Deduci tamen debent expensæ, quas in conservatione rei bona fide emptæ, fecerat. 3tio: Si cum dominus rei comparet, res quæ bona fide empta fuit, jam alteri ab eo revendita est, debet resciſso contractu, secundo emptori pecuniam restituere, quia venditor em-

pte-

ptorem indemnem servare debet. Quodsi is, qui rem furtivam à poſseſsore bonæ fidei secundo loco emerat, cum eam jam non compareat, poſseſsor bonæ fidei, qui primus illam emerat, id solum vero rei domino restituere debet, quo factus est ditior, quia id solum penes se habet alieni boni. 4to: Tandem si is, qui rem alterius bona fide comparavit, eandem legitimo domino, quem deinceps cognoscit, restituere culpabiliter moretur, jam erit poſseſsor malæ fidei.

Quæres 3tio: An qui rem alienam bona fide poſsederat, fructus ejus restituere teneatur?

Resp: Nomine fructuum intelligitur omnis utilitas, quæ ex aliqua re colligi potest, deductis expensis, quæ fieri solent. Istiusmodi autem fructus, alii ſunt *naturales*, alii *industriales*, alii denique *mixti & civiles*. *Naturales* ii ſunt, qui natura ſola, aut fere sola natura operante proveniunt. Tales ſunt fætus animalium, fructus arborum. *Industriales* ii ſunt, qui per hominis industriam, proveniunt, ex re mere sterili. Tale est lucrum ex negotiatione, ex artificioso uſu alicujus instrumenti. *Mixti* ii ſunt, qui partim naturaliter, partim ex industria proveniunt, sive æqualiter à natura, & indutria proveniunt, sive paulo plus ab una, quam ab altera, ubi tamen non parum est industriæ, licet plus sit naturæ, habenda est adhuc ratio industriæ. *Civiles* denique fructus, ſunt redditus, qui ex certo jure alicui conceſso ſecundum leges, percipiuntur.

Igitur *1mo:* poſseſsor bonæ fidei, non tenetur restituere fructus pure industriales. Nemo enim tenetur restituere id, quod ſuum est. Porro fructus mere industriales ſunt illius â cujus industria prodierunt. Unde qui alterius instrumento uſus est ad opus aliquod artificiale efficiendum, opus illud sibi retinere potest. Et hoc extenditur etiam ad poſseſsorem malæ fidei, quare si quis ex aliena pecunia; etiam inique parta, lucratus sit, ludendo, vel mercaturam exercendo, non tenetur ad restitutionem hujus lucri.

2do: Poſseſsor bonæ fidei, tenetur restituere fructus naturales, si extant. Quia res quælibet domino ſuo fructificat. Qui autem rem alienam bona fide poſsidet, non est illius rei dominus, ergo non ipsi, ſed vero ſuo domino fructificat, illi ergo, ipsius fructus restitui debent, sive adhuc pendeant, sive jam collecti sint, modo adhuc extent. Deducendæ tamen ſunt expensæ, quæ fieri debent,

& solent ut fructus colligantur. Quod si fructus naturales jam non extant, quia illos poſseſsor bonæ fidei consumpsit, restituere debet id, quo factus est ditior. Quia nemo ditior fieri debet ex alienis bonis, unde id, quo quis factus est ditior, restituendum est, alioqui poſsideretur alienum saltem in æquivalenti.

Porro censetur poſseſsor rei alienæ ex ea ditior eſse factus, qui adhuc habet valorem rei alienæ sibi donatæ, quam vendidit, quive consumendo rem alienam, pepercit ſuæ, aut ſumptibus. quos ex propriis rebus feciſset, adeoque restituere debet, quantum propriis rebus pepercit. Si quis vero occasione rei alienæ, quam bona fide ſuam eſse putabat, majores fecerit ſumptus, quam alioqui feciſset, si se crediidiſset minus habere, non tenetur ad restituendum, quia nec habet apud se alienum, neque ex alieno factus est ditior.

3tio: Poſseſsor bonæ fidei fructus mixtos, sive adhuc extent, sive iis ditior factus ſit, restituere debet secundum id, quod ſunt naturales, non vero prout ſunt industriales, quia quatenus ſunt industriales, ſunt poſseſsoris, quatenus naturales, ſunt illius qui verus est rei dominus.

4to. Tandem fructus Civiles á poſseſsore bonæ fidei, restitui debent. Quia fructus Civiles ad naturales multum accedunt, & sæpe cum iis confunduntur. Semper tamen deduci debent expensæ, si quœ factæ sint.

Quœres 4to: Quas expensas poſseſsor bonœ fidei repetere potest?

Resp: Qui sive bona, sive mala fide, rem alterius poſsidet, potest circa eam triplicis generis expensas facere, nimirum neceſsarias, utiles, & voluptarias. *Neceſsariœ* illæ ſunt, quæ si factæ non sint, res aut peritura, aut deterior futura sit, ut si ædificium ruens reparatum fuerit, unde industria, & labor in re conservanda, in fructibus colligendis, inter expensas neceſsarias numerari debent. *Utiles* illæ ſunt, quæ licet neceſsariæ non sint, rem tamen meliorem faciunt, & ejus reditus augent. *Voluptuariœ* denique eæ ſunt, quas aliquis ad ſuam voluptatem facit, & quæ ſpeciem dumtaxat rei ornant, non fructum augent. Ut ſunt picturæ, & alia. Fatendum tamen est, ex expensis voluptuariis, multas eſse, quæ cum valorem rei adaugeant, inter expensas utiles recenseri deberi, quia si dominus rem picturis, viridariis instructam vendere velit, majus pro ea pretium accipiet. Itaque *1mo:* poſseſsor bonæ fidei, potest repetere expensas in rem alie-

alienam factas tum necessarias tum utiles, quia illius sunt propriæ, & domino rei proficuæ. Verum circa hæc quædam animadvertenda. Et *1mo:* tenetur quidem is qui rem suam repetit, refundere valorem expensarum in meliorationem rei suæ factarum, sed ipsum valorem meliorationis refundere non obligatur, sæpe enim melioratio rei pluris valet, quam expensæ in re melioranda factæ, major autem ille valor, ipso facto pertinet ad dominum rei. *2do:* Si expensæ superent valorem meliorationis, dominus nihil debet pro hoc excessu, alioqui tenetur rem suam emere pluris quam reipsa valeat, quod absurdum est. *3tio:* Si dominus rei minori pretio, puta dimidio, meliorationem hanc per se facturus esset, non tenetur nisi ad refundendum dimidium pretii, quod in his expensis insumpsit alter. *4to:* Si possessor ex fructibus rei tantum percepit, & consumpsit, quantum expendit, nihil pro expensis exigere potest, quia per hoc, eas sibi compensavit.

2do: Expensæ quoque voluptuariæ, repeti possunt, si illæ auferri possunt absque rei deterioratione. Sic qui domum, hortum, tabellis, statuis instruxit, hæc repetere potest, quod verum est etiam de possessore malæ fidei. Si vero meliorationes ita rei, fundo, adhæreant, ut ab eo vel nullatenus, vel non sine gravi lesione separari possint, possessor etiam bonæ fidei damnum hoc pati debet. Non enim tenetur dominus rei sumptus nulla urgénté rationé, sed voluptatis causa factos, à quibus ipse abstinuisset, solvere, attamen ipsa æquitas, postulare videtur, ut si fieri potest, horum sumptuum ratio habeatur.

Quæres 5to: Ad quid tenetur possessor malæ fidei?

Resp: Possessor malæ fidei ille est, qui alienum accipit iniquæ, cum judicet, vel cognoscere ac judicare possit, hoc non esse suum. Sed & ille malæ fidei possessor est, qui licet rem alienam inique non acceperit, injuste tamen illam retinet, ut depositarius, qui est in mora culpabili depositum reddendi.

Itaque possessor malæ fidei tenetur *1mo:* rem ipsam restituere, si extet, si vero non extet, pretium æquivalens reddere debet, etiamsi res ea casu fortuito perierit. Quia nemo locupletari debet, cum alterius injuria, & qui alteri sua culpa damnum intulit, illud reparare, & resarcire tenetur.

2do: Tenetur restituere fructus omnes, tum civiles tum naturales, & mixtos etiam qua parte naturales sunt, quia res domino suo fructificat. Et hoc verum est *1mo:* etiam-

etiamsi dominus hos fructus percepturus non fuiſset, quia eo ipse, quod producti ſunt, in solius domini ſui commodum producti ſunt. Deduci tamen debent expensæ factæ. *2do:* Etiamsi malæ fidei poſseſsor eos fructus non peceperit, modo tamen rei dominus eos percepturus fuiſset, ſecus si eos dominus de facto percepturus non erat, tunc enim nec lucratus est poſseſsor malæ fidei, id quod erat alienum, nec amisit dominus quod ſuum erat. *3tio:* Etiamsi poſseſsor malæ fidei ditior inde factus non sit, qui enim rem alienam conſumpsit mala fide, eam restituere obligatur.

3tio: Tenetur præterea poſseſsor malæ fidei ad resarcienda lucra ceſsantia, & damna emergentia, quia alioqui non constitueretur debita æqualitas inter illatam injuriam, & factam restitutionem.

Quæres 6to: An poſseſsor malæ fidei factas expensas detrahere, & repetere poſsit?

Resp: Expensæ etiam voluptuariæ, si à re in qua aut circa quam factæ ſunt, ſeparari valeant, repeti poſsunt, & à fortiori æquum videtur ut restituantur expensæ neceſsariæ, & utiles. Quia æquitas exigit, ut dominus rei contentus sit rem ſuam sibi secundum se, & quoad fructus totam restitui, absque eo quod ditior fiat ex alieno, equidem illud alienum ipso invito, & nesciente rebus ejus immixtum est, ſed tamen alienum est, ergo non satis æquum est, si tales expensas verus rei dominus sibi retineat, nihilque ei restituat, qui ut conscientiam ſuam exoneret, totum restituit. Et in hoc omnes fere Theologi conveniunt.

Quæres 7mo: Cum malæ fidei poſseſsor, si res ipsa aliena jam apud ipsum non extet, pretium ipsius æquivalens reddere debeat, igitur qui triticum, equum, boves, & similia octo ab hinc annis furatus est, quomodo pretium æquivalens refundere valet?

Resp: Restituendum est pretium non ſupremum, neque infimum, ſed medium, quo res vendebantur cum furto ſubreptæ ſunt. Quod si res furto subrepta, ad præsens usque tempus servari debuerat, valor ejus quem hodie habet, restituendus est, etiamsi forte multo major sit, quam erat tempore ipsius furti, res enim domino ſuo crescit, & decrescit. Hinc etiam qui subripuit, & statim vendidit pullum equinum, quem dominus usque ad annos perfecti valoris ſervaturus erat, tenetur restituere perfecti equi valorem, quia alioqui inter illatum da-

damnum, & restitutionem faciendam, non esset vera æqualitas. Hic tamen 1mo: deduci debent expensæ quas pulli dominus in eo aliendo, fovendo, facturus esset. 2do Cum id quod est in spe, non æquivaleat ei, quod est in re, restitutio hæc ad arbitrium viri prudentis temperari debet.

Sed quid si triticum exg. vilioris erat pretii quando subreptum est, nempe 10- florenis mensura quædam vendebatur, & postea cum apud furem esset, crevit usque ad florenos 20. ac demum decrevit ad florenos 10. quis valor tritici restitui debet?

Resp: 1mo: Si dominus rem suam exg. triticum servaturus erat usque ad tempus incrementi, & tunc eam venditurus, aut consumpturus, malæ fidei possessor tenetur ad refundendum totum illius valoris incrementum. Idem dicendum est, si res apud furem passa sit, etiam ex casu fortuito detrimentum, quod apud dominum passura non fuisset, quia malæ fidei possessor, tenetur domino restituere & lucra cessantia, & damna emergentia, & quisquis est in mora culpabili rem alienam restituendi, tenetur etiam de casibus fortuitis. Sed etiamsi detrimentum hoc res in manu ipsius domini passa quoque fuisset, adhuc restitutio facienda est juxta illum valorem, quem habuit, quando subrepta est. Hinc qui furatus est rem valentem 20. florenos, quæ paulo post decrevit usque ad 10. non satisfaceret reddendo 10. florenos, etiamsi res ea idem in manibus domini sui detrimentum passura fuisset. Quia fur tenebatur rem restituere quando 20. florenis constabat, quia statim ac illam injuste abstulit, reddere debebat, obligatio autem istiusmodi semel contracta, sola illius adimpletione & non alias extingvitur, ergo licet postea valor ipsius usque ad 10. florenos diminutus sit, primum ejus valorem reddere debet. Atque in tali casu, si ipsa quoque res ablata extaret, non sufficeret ipsam domino restituere, sed deberet superaddi aliquid, quo compensetur valor pristinus, à quo res exciderat. Quia tamen hic non nihil occurrit dubii, quia videlicet res, quæ valoris detrimentum in manu furis passa est, etiam in manibus domini sui passura erat, ac proinde sufficere videtur secundum hoc detrimentum valorem rei domino reddere, cum tunc totius damni quod dominus ablatæ rei patitur, fiat compensatio, ideo in tali casu cum obligatis ad restitutionem mitius est agendum, & non severe prædicta exigenda compensatio.

2do: Si fur vendiderit rem subreptam tempore maioris

ioris valoris, quam dominus tempore quo vilioris erat pretii vendidiſset, restitutio facienda est, secundum valorem quo à fure vendita est, quia sicut res est domini quo ad ſubstantiam, sic & est domini quoad ſuum statum, igitur cum est in statu optimo, restituenda est domino, aut in se, aut secundum pretium ei æquivalens.

3tio: Si fur vendiderit rem primo tempore quo minoris valebat, ſufficit ut valorem hunc refundat, si rei Dominus rem illam eodem tempore venditurus, aut consumpturus erat. Quod si rei pretium in manu furis creverit, & postea decreverit restitutio fieri debet ſecundum majus pretium. Quia obligatio ſemel â fure contracta, non extingvitur per fortuitum rei interitum, aut illius subsequentem deteriorationem. Porro fur tenebatur ad restituendam rem eo tempore, quo pluris apud ipsum extans, valebat. Ergo licet postea ejus pretium diminutum fuerit, juxta majus, restitutio facienda est; res enim sive ab intrinseco, sive ab extrinseco melioratur, Domino suo melioratur, eique pluris valet.

Quæres 8vo: An res quæ apud furem periit, restituenda sit, si etiam apud Dominum peritura erat?

Resp: 1mo: Si dubium sit, ac incertum, an res apud Dominum peritura fuiſset, neceſsario restituendum est, quia in dubio melior est conditio innocentis. Sed si res etiam apud Dominum certo peritura erat, ſed injuste peritura eſset, puta quia ab alio furanda, rapienda erat, non excusatur fur a restituendo, quia qui alterius injustitiam prævenit, non desinit ad restitutionem obligari.

2do: Si res non perierit apud furem, quo tempore apud Dominum peritura erat, ſed postea, adhuc fur, obnoxius est restitutioni, quia res quam fur exg. ex incendio eripuit, non desinebat eſse Domini sui, ergo eidem restituenda erat, ac proinde si illam restituere fur omiserit, fuit in mora culpabili, unde si postea perierit, etiam casu fortuito, ad illam præstandam obligatur.

3tio: Si res, quæ apud injustum poſseſsorem periit, simul eodem casu apud suum Dominum fuiſset peritura, adhuc restitutio facienda est, quia qui vere damnum intulit, illud reparare debet. Porro fur in casu præsenti damnum vere intulit. Neque casus ſubsequens efficit, ut damnum non intuliſse ſupponatur, sicut enim quod Titius hora tertia occidatur â Petro, eadem hora occidendus â Joanne, non facit, quod Petrus non sit vere homicida, ita pariter, qui hora tertia furatus est Petro aureos centum

tum

tum, licetsi eadem hora eos alter furatus fuiſset, non desinit fur eſse, & injustus damnificator. Cum itaque vere intulerit damnum, illud resarcire & compensare tenetur. Quoniam vero & hic aliquid dubii nonnulli agnoscunt Theologi, in tali casu restitutio moneranda est, & mitius imponenda.

Quæres 9no: Quis censeri debeat poſseſsor dubiæ fidei?

Resp: Poſseſsor dubiæ fidei is est, qui vel acquisivit rem de qua dubitabat, an non eſset aliena, vel postquam bona fide rem aliquam acquisivit, dubitare incipit, an aliena sit nec ne. De primo, qui videlicet rem acquisivit de qua dubitabat num eſset aliena, hæc certo tenenda sunt. 1mo: eum peccare cum acquirit rem de qua dubitat num sit aliena, exg: furtiva, an non, quia se exponit periculo rem alienam poſsidendi, & apud se invito rationabiliter ipsius Domino detinendi. Tenetur itaque homo in hoc dubii casu malum quem habuit animum deponere, deinde ſufficientem adhibere diligentiam, ut rei veritatem comperiat. Si autem adhibita convenienti diligentia, perseveret dubium, videtur aliquam illius rei partem sibi servare poſse, quantitati dubii sui proportionatam, eam enim alteri ad quem ut pertinere, sic & non pertinere potest, totam cedere, pæna est, quæ ante Judicis ſententiam, ſubiri non ſolet. Hæc tamen procedunt de casu æqualis, aut pene æqualis dubii. Si enim rebus omnibus mature pensatis, longe probabilius appareat, rem furtivam eſse, res tota vel Domino, si cognoscitur, vel si ignoretur, pauperibus eroganda est, quia tunc nemo potest prudenter judicare suum eſse, quod multo magis apparet, alienum eſse. Si vero e contra longe probabilius appareat rem non eſse alienam, videtur illam ab eo qui ipsam acquisivit, & multo plus á poſseſsore, qui eam inter sua bona reperiſset, retineri poſse, quia in pari causa par judicium eſse debet.

Quod si cum dubitare quis incipit; an res penes ipsum existens, aliena sit, rei veritatem neglexerit inquirere, quam postea detegere non valet, talis 1mo: peccat, exponendo se periculo, rem alienam detinendi, & alterum re sua privandi. 2do: tenetur & rem & rei fructus naturales ac mixtos restituere Domino rei, ab ipso concepti dubii tempore perceptos, neque eos solum fructus quos actu percipit, ſed & illos, quos Dominus percepturus erat, si rem suam habuiſset, reddere debet, quia ex tunc

fuit

fuit poſseſsor malæ fidei, & justitiam violavit, jus alterius non expendendo.

2do: Si Dominus rei compareat, sua illi res restituenda est, & quidem gratis, cum legitimus rei Dominus rem suam solvere etiam bonæ fidei poſseſsori, non tenetur.

Porro qui dubitans, an res aliena eſset, eam emit, non animo retinendi, ſed illam Domino, si comparuerit, reddendi, talis quidem rem Domino cum apparuerit, reddere tenetur, sed si perierit, aut deterior facta fuerit, de casu fortuito non tenetur, ſed solum de culpa lata, cum se habeat veluti depositarius, qui rem servat in utilitatem Domini. Potest etiam exigere pretium, quod ſervandis alteri rebus suis impendit, non enim tenebatur dispendio proprii boni, alterius jacturam avertere. In his tamen habenda est ratio circumstantiarum, qui enim justo, aut etiam majori pretio rem à fure emeret reddendam Domino de ea parum laboranti, utiliter Domini hujus negotia non gereret, unde tunc ſufficiet ut Dominus rei partem pretii refundat, ad arbitrium viri prudentis, ſecus si rem pluris emiſset, quia noverat eam Domino gratiſsimam eſse, aut valde neceſsariam.

Quantum vero attinet alterum dubiæ fidei poſseſsorem, qui videlicet postquam bona fide rem comparaverat, dubitare incipit an non sit aliena. Is debet *1mo:* veritatem omni, quo poterit modo inquirere. *2do:* durante hac inquisitione non potest illa re uti, si sit usu consumptibilis, ſecus si non sit usu consumptibilis. An autem debeat dicti usus pretium solvere, definiendum est ex natura ejusdem rei usus, durum enim videretur, si quis equo ad modicum iter usus sit, eum cogere ad compensandum, secus si eo diu usus sit ad trahendum vehiculum, sive alia quæ pænosa, & extenuantia sunt. *3do.* si post ſufficientem inquisitionem, subsistat idem dubium, res vel æqualiter dividenda erit, vel tota ei cedenda cujus jus longe probabilius fuerit. Quodsi vendatur, ut vendi potest, monendus erit emptor de conditione rei, ut nimirum eam Domino, si comparuerit, restituat, & ideo minoris vendenda erit, quia ratione vitii hujus, non tanti valet, ac reipsa valeret, si hoc vitio non laboraret.

Quæres 10mo: Quinam prætereа ad restituendum obligantur?

Resp: Ii omnes qui ad inferendum proximo damnum cooperantur, quia non solum illi ad restituendum obligan

gantur, qui per se, & proxime, damnum alteri inferunt, sed & ii etiam qui ipsis cooperantur, unde Innocentius XImus hanc damnavit propositionem: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Ii vero cooperari damno dicuntur, qui jubendo, svadendo, causa sunt, cur alius damnum proximo inferat, quod quidem novem modis contingere potest, qui his comprehenduntur versibus.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Primi autem sex, directe, & positive concurrunt, tres alii solum privative. Qui dato pretio alterum allicit ad inferendum proximo damnum, revocari potest ad mandantem, quia alium sibi subiicit, veluti ministrum voluntatis suæ, revocari etiam posset ad consulentem, quod ex circumstantiis æstimari debet.

Porro de cooperantibus hæc generatim statuuntur. 1mo: Non omnes cooperatores eodem ordine & modo ad restituendum obligantur, quia ii ceteris in restituendo præire debent, qui sunt principalis causa damni. 2do: neminem ex his, qui damno cooperantur ad restituendum teneri, nisi qui fuerit efficax damni causa. Sed ille censetur efficax damni causa, qui vel per se, damnum infert, vel sic cooperatur aliis, ut ex ejus cooperatione physica vel morali, reipsa sequatur damnum alterius, sive interim alii per se solos id facturi fuissent, sive non. Unde si quis ad malum jam ita determinatus fuerit, ut datum ab alio consilium nihil influxerit, in ejus peccaminosam actionem, consilium dans non tenetur ad restituendum. Ita S. Thomas Doctor 2. 2dæ quæst: 62. Art: 7.

Unde colligitur cooperatorem plus, vel minus teneri ad restituendum, prout plus, vel minus in actionem damnosam influxit. Quare si influat solum in partem damni, tenebitur solum ad restitutionem partis, si influat in modum, exg: si causa sit cur ille cui mors certo inferenda erat, citius aut atrocius occidatur, tenebitur solum in quantum intererat occiso, ne tam cito, vel tam alacriter occideretur, si denique cooperetur ad inferendum damnum, quantum est in se, ipsius tamen actio sit prorsus inefficax, ad nihil tenebitur.

Quæres 1mo: Quid, si dubium occurat circa mandatum, consilium aut auxilium?

Resp:

Resp: Restituendum eſse pro rata dubii, sive dubitas, an mandatum, consilium, auxilium iniquæ damnificationis executori dederis, sive certus te mandatum, consilium, auxilium dediſse, dubites an in effectum influxerit. Quia qui dubitat an fuerit causa alieni damni non potest se ita gerere ac ille, qui certus est nulli se nocuiſse, ac proinde debet aliquid restituere secundum gradum dubii sui, attendendo vg: an & quousque exitialia aliis consilia dare solitus eſset. Innocenti etiam magis favendum est, quam reo. Porro reus est, qui mandatum, consilium de se damnificativum dedit, & potius judicare debet illum effectu suo non caruiſse. Ergo pro rata dubii ſui restituere tenetur.

Aliquando tamen valde probabiliter æstimari potest, consilium, aut mandatum nihil influxiſse in damnum alterius, veluti *1mo:* si damnificator neget se alieno mandato, consilio motum fuiſse, ei enim, si aliunde fidem meretur, in foro interiori credi potest. *2do:* si homicida vg. post mandatum, vel acceptum consilium, inimicum non occiderit, etsi opportuna illius occidendi ſese obtulerit occasio, sed solum ad facinoris executionem devenerit, ob novas, quæ inter utrumque exortæ sunt diſsensiones, vel propter vetera odia, quæ ex nova occasione recruduerunt.

Quodsi certum sit injustæ damnificationis causam ab uno ex pluribus cooperatoribus positam fuiſse, ſed dubitant illi â quo præcise posita fuerit, omnes tenentur ad partem damni restituendam pro ratione damni, & dubii, quia tunc vel omnes restituere debent, vel omnes â restituendo liberi erunt. Porro hoc posterius eſse nequit, quia prædictum dubiumillati damni omnes afficit, indubio autem an quis damnum intulerit, à restitutione totaliter eximi nequit. Ergo æquum est, ut omnes partem damni illati restituant. Injuste tamen agunt qui dum nobiles, qui certi quod furtum ab uno è famulis illatum sit, sed incerti à quo præcise commiſsum sit, stipendii partem unicuique famulorum subtrahunt, cum plerumque non omnes damni causa fuerint.

Quæres 12mo: Quomodo mandans ad restituendum teneatur?

Resp: Per mandantem hic intelligitur, quisquis *explicite*, vel *implicite* præcipit, & præcipiendo movet ad actionem injuste damnificativam. *Explicite* mandat, qui mandat expreſsis verbis. *Implicite*, qui mandat signis, &

& nutibus, aut qui manifestat inferiori, gratum sibi fore, si hoc faciat. Hinc implicite mandant Magnates, cum erumpunt in verba quæ vindictæ desiderium spirant, & malevoli animi affectum designant.

De mandante hæc communiter tenentur *1mo*: restituere debet omne damnum, quod ex mandato ejus secutum est, non minus ac si ipsemet in propria persona illud intulisset. Actio enim ex mandato facta, magis tribuenda est mandanti, quam exequenti, cum mandans se habeat ad exequentem, ut causa primaria ad instrumentalem.

2do: Non tantum tenetur de damno quod jussit, sed etiam de illo, quod habita circumstantiarum ratione, prævidere potuit ex mandato suo secuturum. Hinc si famulis suis iracundis præceperit, ut aliquem baculi ictibus insigniter percutiant, tenebitur etiam de morte, licet contra ejus prohibitionem evenerit, Quod si mandatum de se periculosum non erat, & mandatarius præ malitia sua plus effecerit, quam fuerat ipsi imperatum, mandans non tenebitur, nisi pro ratione damni quod mandavit.

3tio: Qui mandatum suum revocavit, communiter non tenetur ad restituendum, etiam secuto effectu. Quia mandans tunc non est damni causa, sed exequens ac mandatarius solum, utpote qui suo nomine, non autem mandantis egerit. Porro mandatum revocari potest vel expresse, vel æquivalenter, ut si mandans cum adversario affinitatem contraxisset, aut aliter cum eo in gratiam sincere rediisset. Si tamen mandatarius cognita principalis sui indole dolosa, revocationem hanc crederet non serio fieri, sed ut facilius alii insidiæ struerentur, mandans adhuc teneretur de damno, quia illud vi mandati poneretur.

Verum adhuc in multis casibus mandans revocato etiam mandato, ad restituendum tenetur, & quidem *1mo:* cum mandati revocatio mandatario non innotuit ex incuria, vel malitia illius, qui onus susceperat hancce revocationem mandatario notificandi. Sic qui propinavit alteri venenum, cujus effectum postea impedire conatus est, sed frustra, non desinit teneri ad restitutionem damni ex homicidio procreati. *2do*: Cum mandatum etiam revocatum in damnum influit permodum consilii, puta si mandans mandatarii voluntatem tam potenter commoverit, ut alio opus sit remedio, quam simplici

plici mandati revocatione, *3tio*: Qui vero mandatum jam revocare nequit, tenetur eum monere, qui injuriam accepturus est, ut sibi invigilet, quia qui damnum cum illatum est, reparare debet, idem cum nondum illatum fuit, impedire tenetur. Si tamen id fieri non poſset, sine longe graviori mandantis detrimento, morte vg. aut gravifsima infamia, aliter est sentiendum, quia ut non tenetur quis ad restituendum hic & nunc, cum id sine longe graviori proprio incommodo fieri non potest, sic nec alium in eodem casu monere tenetur, attamen tenetur ad resarciendum damnum quod eveniet ex illius mandato, quia illius vera est causa. Imo si absque damno longe graviori mandans damnum alterius avertere poterit, ad id omnino tenetur, quia pejor est ejus, quam innocentis conditio. Denique si mortem alterius nonnisi propriæ vitæ dispendio mandans avertere poſsit, potius moriendum est, quam permittendum, ut alter vi mandati ipsius occidatur. Sed etiam, si quis sciat nomine ipsius paratum eſse alterum alicui damnum inferre, nec id impedierit cum potest, tenetur ad restitutionem, quia tenetur quisque ex justitia impedire ne alius nomine ſuo damnum cuipiam inferat. Qui tamen damnum nomine suo illatum approbat, quod non mandavit, ad restitutionem non tenetur. Ratihabitio enim non est causa damni jam illati, ſed peccaminosa in eo complacentia, Si tamen ex ista ratihabitione moveretur damnificator ad non restituendum, jam eſset causa injustæ detentionis, ac proinde, ad restituendum obligaretur.

Quæres 3tio: Utrum mandans teneatur de damno quod mandatarius ob iniqui mandati executionem, patitur?

Resp: Si mandans authoritate & ſuperioritate polleat ſupra mandatarium, de damno illius tenetur. Quia ſubditus mandato Superioris quasi cogitur moraliter, ita ut fere invitus operari censeatur, & mandans virtualem cum ſervo ſuo conventionem inire videtur, qua eum à quocunque damno incolumem servare ſe obstrinxit. Quodsi mandans nullam in mandatarium Superioritatem habeat, sed eum stipendio conduxit, pollicitationibus attraxit, plures Theologi negant, tunc mandantem teneri ad restituendum mandatario quia mandatarius, cui liberum fuit periculo se exponere, vel illud declinare, omne quod patitur damnum, sibi imputare debet, cum volenti non fiat injuria.

Quæres 4to: Quid de Consulente sentiendum sit?

Resp:

Resp: Consulens est ille, qui alium ad damnificationem movet consilio, precibus, promiſsis, item hortando, motiva ſuggerendo, facilitatem ostendendo.

De Consulente hæc tenenda sunt. *1mo:* Tenetur ad restitutionem, quia est causa damni, moralis. Quod si plures rem injustam consuluerint, omnes ex æquo ad restituendum tenebuntur, quia ex æquo ad damnum concurrerunt.

2do: Consulens tenetur ad restitutionem secundum naturam damni, quod vi consilii ipsius illatum est, qui ergo consuluit alteri, ut aureos centum furaretur, totidem refundere debet. Qui jam vere determinato ad furandum aureos quiquaginta, persvasit ut centum subriperet, nonnisi quinquaginta restituere debet. Qui persuasit alicui ut decem aureos furaretur eo in loco, ubi majorem eſse ſummam noverat, quæ reipsa ablata per illum fuit, ad summæ totius restitutionem obligatur, quia consilium dedit periculosum.

3tio: Qui consuluit minus malum ei, qui jam ad majus inferendum determinatus erat, aliquando immunis est, à restituendo, aliquando non. Immunis quidem à restitutione est, si minus malum consulat, animo solum avertendi majoris damni, quia tunc rem proximi utiliter gerit. Sed immunis à restitutione non est. *1mo:* Si minus malum ex affectu nocendi consulat. Sic duo prædones quorum alter viatoris pecunia contentus, alterum à morte eidem inferenda averteret, ambo ad restituendum tenerentur. *2do:* Si consulat, ut minus malum inferatur alicui, de quo damnificator non cogitabat, non enim licet rem Petri utiliter curare, cum dispendio Pauli. Si tamen consuleret tantum, ut potius divitis, quam egeni bona quis auferret, aut si volenti egenum spoliare, diceret dumtaxat ut illum relinqueret, quia alii sunt ditiores, juxta multos Theologos, nulla tunc eſset restituendi obligatio, quia non tam hortaretur, ad spoliandos ditiores, quam ad parcendum pauperi.

Quæres 15to: An sit obligatio restituendi, revocato consilio, secuto tamen effectu?

Resp: Si consulens, ita consilium revocet, ut totum motivum, totamque quam dederat inferendi damni causam auferat, ad nihil tenetur, etiam secuto effectu, tenetur vero, si adhuc motivum, & data causa subsistat. Porro tunc sufficienter tollitur onus dati consilii motivum

tivum ac vis, cum motivum illius ac vis consistebat in solis precibus, blanditiis, aut promissis, vel etiam falsa doctrina, seductiva persvasione, quæ retractantur, secus si consilii motiva petita fuerint, ex damnificationis facilitate, utilitate. Et hæc utraque regula æquitati consentanea videtur. Si ergo consulueris Petro ut talem ineat contractum, putans illum justum ac licitum esse, & postea doctior factus, ostendas illi contractum hunc injustum, ac illicitum esse, rationesque in contrarium allatas destruxeris, certum est, quod quidquid faciat alter, te à restituendo liberum esse. Pariter si Paulum blanditiis aut promissionibus determinaveris ad inferendam alieni mortem, & serio hæc omnia revoces, jam Paulus siquid faciat mali, ad illud non movetur, nisi à se ipso. At vero si alteri malum consulueris, ostendendo quantum inde percepturus sit utilitatis, & commodi, item suggerendo modum, & vias faciles exequendi, tunc revocato etiam consilio, remanet obligatio restituendi, quia adhuc subsistere potest totum consilii robur, motivum, & impressio, quia cui dedisti tale consilium, eo etiam revocato, adhuc sentit, quam facile, quam impune alteri damnum inferre possit, & quantum inde capere valeat lucri & utilitatis. Quamdiu ergo momenta hæc per alia graviora non elidentur, tamdiu consulens damni causa merito judicabitur, quia non tam consilium revocavit, sed revocare conatus fuit.

Quæres 16to. Consentiens damno alteri inferendo, quando ad restituendum obligatur?

Resp: Consentiens hic is dicitur, qui externa approbatione efficacitev alium movet ad inferendum alieni damnum. Porro hujusmodi Consentientem ad restitutionem obligari, nemo ambigere potest, quia est causa damni alteri inferendi. Sed quia consensus aliquando est simplex complacentia, quæ cadit in actionem ita determinatam, ut in eam minime influat, quæri solet quandonam consensus censeri debeat efficax damni causa. Itaque tunc consensus censeri debet efficax damni causa, quando consentiens ex officio tenetur non consentire, & damnum impedire potest. Unde ad restituendum obligantur. *1mo:* Consiliarii Regum, Principum, & alii qui iniquæ causæ suffragantur, & damno tertii quod impedire possent. *2do*: Qui in Collegio, & Capitulo, consentiunt, ut vel indignus eligatur, vel reijciatur dignus. *3tio:* Qui præ metu hominum, suffragium suum supprimunt,

munt, ac ommittunt, ac propterea non avertunt damnum, quod avertere possunt, & ex officio avertere tenentur.

Quæres 27mo: An Judex, assessor, qui inter postremos suffragium ferens, consentit injuriæ, quæ jam irrevocabiliter decreta est sufficienti suffragantium numero, teneatur ad restituendum?

Resp: Certum est eum peccare, quia iniquitati consentit, sed etiam de damno tenetur *1mo*: si suum suffragium dederit, antequam damnum sufficienti calculorum, aut votorum numero decretum esset, quamvis non obstante ejus suffragio, damnum sufficienter ex aliis statuendum fuisset, quia licetsi sine ipso damnum illatum fuisset, ipse tamen vera illius causa fuit. *2do:* Si nesciat sufficientem esse sufragiorum numerum, ut si secreta ferentur suffragia, quia tunc etiam fuit, quantum de se erat, damni causa. *3tio:* Quamvis non dederit votum suum, nisi postquam jam mala causa sufficienter decisa, & decreta erat, adhuc tenebitur ad restitutionem, si tantæ erat authoritatis, ut priores suffragatores, à sua posset sententia revocare, tunc enim tenetur ad restituendum, non solum ut mutus, & non obstans, sed ut positive concurrens ad damnum, quod in prædicta hypotesi non fuisset irrevocabiliter decretum. Sed *4to:* etiamsi præcesserit sufficiens suffragantium numerus, qui á sententia deterreri non possent, adhuc ad restituendum tenetur, qui iniquæ causæ suffragatus est, quia promptius & alacrius iniqua sententia exequitur, cum omnes in eam consentiunt, & illi omnes ad restituendum tenentur, quorum nomine damnum infertur. Porro damnum etiam posteriorum suffragantium nomine infertur, & iniqua sententia mandatur, quia omnes in eam conspirarunt. Ergo omnes, etiam posteriores, ad restituendum tenentur.

Quæres 28vo: Quid sit palpo, & quando ad restituendum teneatur?

Resp: Palpo, seu adulator ille dicitur, qui laudibus, applausu, adulatione, ad inferendum damnum proximi, provocat, & accendit. Ad hoc genus damnificatorum referuntur, qui offenso, si suam non ulciscatur offensam, ignaviam exprobrant, qui uxoris adulterium marito obijciendo, causa sunt, ut illa occidatur. Hi ergo omnes ad restituendum tenentur, si contingat ut quispiam ex his laudibus, sive vituperationibus ad inferen-

dum alteri damnum incitatur, quia sunt moralis damni causa, atque sæpe efficacius ad injustum aliquod facinus determinant, quam si idem exprefse consulerent. Porro necefsarium non est, ut adulatores directe intendant alterius damnificationem, sed satis est, ut prævidere possint, & debeant, eam ex iniqua hac sua agendi ratione, sequi pofse.

Quod si palpo, & adulator, aliquem laudat de injustitia jam illata, non tenebitur ad restitutionem, quia damni causa non fuit, nisi forte alter hisce laudibus ad aliud crimen perpetrandum, aut ad non restituendum id, quod jam abstulit, impellatur.

Quæres 1gno: Quando receptans ad restituendum obligatur?

Resp: Receptans ille est, qui sive ante, sive post illatum damnum, securitatem, fiduciam, & commoditatem præbet damnificatori; ut vel damnum inferat confidentius, vel illatum non reparet. Tales sunt, qui malefactoribus auxilium promittunt, aut iisdem post patratum scelus, refugium præstant, sive personas eorum, sive res furtivas, sive maleficii instrumenta recipiendo, & occultando, tandem qui spolia, & rapinas emunt, aut conservant. Quod autem istiusmodi receptatores de damno illato teneantur, inde patet, quia ante furtum, *vg.* illatumque quodvis damnum, causa sunt injustæ acceptionis, & post illud causa sunt injustæ detentionis. Qua propter si prædam in manibus habeant, tenentur eam vero domino restituere, nisi graviora mala, incendium *vg.* aut mortem sibi à latrone inferenda, vereantur, tunc enim satis est, ut damnum postea compensent, ad quod non tenentur, qui bona fide rem, quam furtivam efse nesciebant, receperunt.

Hinc colligitur 1mo: inter receptantes merito numerari illos Advocatos, qui clientum suorum injustitiam, contra propriæ conscientiæ dictamen tuendo, causa sunt, quod parti læsæ non satisfaciant. Pariter legionum Præfecti, qui milites protegunt, eosque ad varias extorsiones implicite stimulant. Denique Magnates, qui officiarios suos, potentiæ suæ innixos, plures vident committere injustitias, nec tamen obsistunt, sicque causa sunt, cur malum eo libentius faciant, quo magis impune illud facere confidunt. Ii enim omnes ad restituendum obligantur.

2do: Eos, qui malefactorem hospitio reciperent titulo

tulo amicitiæ, consangvinitatis, aut qui eundem â Magistratu, vel Lictoribus quæsitum absconderent, aut fugiendi vias indicarent, non eſse vere & formaliter receptantes, tunc enim exercent actum charitatis, propter quem reprehendi non merentur. Quod si fur quem Magistratus ministris ſubtraxisti, denuo ad latrocinia revertatur, non teneberis propterea ad restitutionem, quia relapsus ille nonnisi per accidens ex tuo charitatis opere secutus est. Si tamen cognosceres, & præsentires, furem, ac latronem, ex tua benigna erga ipsum agendi ratione, occasionem arrepturum in nova proruendi crimina, tenereris de damno, quia tunc malefactis ejus concurreres.

Quæres 2omo: Quid de participante statuendum sit?

Resp: Participans aliquis dupliciter eſse potest. *1mo:* ratione rei acceptæ, licet non ratione actionis damnificativæ, ut cum, qui furatus non est, suam in præda habeat partem. *2do:* Ratione actionis damnosæ, cum quis quoquomodo alium juvat ad actionem injustam, sive aliquid de furto, rapina, accipiat, sive non.

De participante ratione rei acceptæ, idem dicendum est, quod de poſseſsoribus bonæ, vel malæ fidei dictum est. Nempe si rem furtivam bona fide acceperint, eam si adhuc extat, reddere debent, si non existat, satis est, ut restituant in quantum ditiores facti sunt. Si vero mala fide, tunc rem, vel ei æquivalens, etiamsi ditiores facti non sint, refundere debent, pro ratione damni, quod intulerunt. Unde si Petrus gallinam pullos 12. foventem occiderit, tenebitur de damno ipsius gallinæ, & pullorum. Paulus vero qui gallinæ partem cum Petro manducavit, nonnisi de hac parte tenebitur, quia eo usque, & non amplius alium damnificavit, nec alium in actione hac adjuvit, ut supponitur.

Quod spectat ad participantes in actione damnosa, videlicet: qui præbent auxilium, instrumenta, vel qui exploratores agunt. Certum est eos teneri ad resarciendum damnum, pro rata, imo totum, si alii suas partes non restituant, & hoc verum est, sive damnum sine iis nihilominus fuiſset illatum, sive non, quia reipsa damni hujus causa fuerunt.

Ex hoc capite ad restituendum tenentur *1mo:* faber ferrarius, qui adulterinas claves efficit. *2do:* Qui furi scalas applicat, & tenet, quive eunti comitem se facit, ut animos addat, aut qui exploratorem agit, portas aperit,

rit, aut efringit. *3tio*: Qui venenum præbet ei, quem eo usurum efse novit ad inimici sui mortem, aut qui arma subministrat homini jam ad occidendum alterum parato. *4to:* Famuli, qui aliis conservis bona Heri sui furantibus, præsto sunt, aut circumspiciendo impediunt, ne deprehendantur.

Quæres 2amo: Quid de muto, non obstante, nón manifestante, sentiendum sit?

Resp: Mutus hic ille dicitur, qui tacet, cum ex justitia loqui, difsvadendo, prohibendo, clamando, teneatur, ratione scilicet officii, muneris, pacti, contractus. Et talis ad restituendum tenetur, quia qui ex officio tenetur malum proximi impedire & non impedit, justitiam violat, quatenus non servat pactum, contractum, quod fecit de impediendo proximi malo. Unde ex ratione violatæ justitiæ, ad restituendum obligatur. Qui vero neque ex officio, neque ex contractu, tenetur malum proximi impedire, si non impediat, solum charitatem lædit, non justitiam. Qui tamen à latrone pecuniam accepit ne clamaret, ad restituendum tenetur ut positive influens in damnosam latronis actionem, quia per hoc suum silentium ex timido illum audaciorem facit. Jlle vero qui malum proximi non impedit, cum illud ex justitia impedire non teneatur, negative se prorsus habet. Ergo non obligatur ad restituendum etiamsi ex odio, vel invidia taceat, quia odium, & invidia solum efficiunt, ut graviter peccet, non vero ut ad restituendum teneatur.

Non obstans ille dicitur, qui ex officio, contractu, pacto, obstare tenetur *vg.* dando subsidium, aut operam ne proximo noceatur. Tales sunt Duces belli, Magistratus justitiæ, custodes Sylvarum, Hortorum, qui contractu quovis exprefso, vel implicito, aliorum saluti invigilare debent. Tales etiam sunt Patres respectu filiorum, Tutores respectu pupillorum, & Domini, qui non impediunt, ne famuli eorum, vel animalia sua, quorum ferocitatem norunt, proximo damnum inferant. Et tales ad restituendum tenentur, quia cum ex officio, contractu, damnum proximi impedire teneantur, & non impediunt, justitiam violant, & restituere debent.

Tandem non manifestans est ille, qui damnificatorem non manifestat, sive ante illatum damnum, ne inferatur, sive post illatum, ut resarciatur. Tales sunt iterum custodes Hortorum, Sylvarum, & quicunque ratione officii sui aut stipendii,

pendii, tenentur ad damnificatoris manifestationem. Et si taceant, & non manifestent damnificatorem, peccant. 1mo: contra justitiam, unde damnum sua negligentia illatum, resarcire debent. 2do: Contra religionem, quia violant juramentum, quod aliquando præstare solent. Ab utroque tamen peccato immunes eſse videntur, si damnum tam leve sit, aut illatum à persona tam paupere, ut præsumi rationabiliter poſsit, eum, à quo constituti sunt custodes, non eſse invitum. Sic excusantur, qui caduca, & inutilia ligna, ad vitæ sustentationem colligunt, unde & tunc excusari debent custodes.

Sed servus qui Domini sui bona dilapidari videt & tacet, peccat, atque ad restitutionem tenetur, 1mo: Cum Dominus illi particulariter quidpiam curandum commiserit. 2do: Etiamsi specialis ei rerum cura commiſsa non fuerit, maxime si ab extraneis Domino damnum inferri advertit. Quis enim famulum conducit, nisi cum pacto saltem tacito, ut bona ipsius servet, cum potest. 3tio: Longe quoque probabilius est, servum qui à conservis damnum Domino inferri videt, & tacet, teneri ad restituendum, quia quilibet servus ex pacto tenetur Domini sui damnum avertere, sive illud ab extraneis, sive à domesticis inferatur. Certe major est obligatio avertendi damnum quod facilius, & diutius Domino inferri potest. Porro á domesticis & facilius, & diutius inferri Domino potest damnum. Ergo major, ac strictior est obligatio illud avertendi, ac impediendi.

Præterea qui clamare contra fures volentem, aut damnificatorem manifestare cupientem, impediunt, ad restituendum tenentur. 1mo: Si ille ex officio clamare, damnum impedire, damnificatorem manifestare tenebatur. 2do: Etiamsi ad id ex officio non tenebatur, sed cum vi, dolo, incuſso metu, impedivit, & ab eo abstraxit; quia quilibet jus habet, ne ejus defensio vi, dolo, aut metu, impediatur.

Quæres 22do: An testis, qui rei veritatem non aperit, malefactorem non manifestat, ad restituendum teneatur?

Resp: 1mo: Si testis ultro ad testandum non prodeat, peccat quidem contra charitatem, sed non peccat contra justitiam stricte sumptam, quia qui damnum paſsus est, jus strictum non habet, ut damni ipsi illati testis, illud reparari curet.

2do: Testis legitime à Judice citatus, sive alio modo

do legitime, & juridice provocatus, si verum taceat, ad restituendum tenetur, quia qui juridice ac legitime in judicium vocatur, induit personam, atque officium publicum, ac proinde ex pacto quodam, non ex sola obedientia, veritatem aperire debet, & talis si vel falsum assereret, vel verum taceret, esset causa damnorum alteri inde provenientium, qui implorato legis, ac judicis auxilio, jus habet ut sibi succurratur.

3tio: Unde etiam talis à Judice, vel alias juridice ac legitime citatus ut verum dicat, si non compareat, cum comparere potest, probabilius est, quod ad restituendum teneatur, quia per juridicam citationem is, qui lesus est, jus acquirit, ut damnificator suus manifestetur, qui ergo se subtrahit ne illum manifestet, hoc jus ledit, proindeque ad restituendum obligatur.

ARTICULUS 3tius

De restitutionis affectionibus, circumstantiis, et causis ab ea eximentibus.

Quæres 1mo: Quæ sunt restitutionis affectiones, ac circumstantiæ?

Resp: Restitutionis faciendæ affectiones, ac circumstantiæ sunt, ordo qui à damnificatoribus servari debet, cum videlicet plures in idem damnum influxerunt, quis omnium primus restituere teneatur, pariter quis ordo servandus sit erga eos, quibus restituendum est, quantum, quando, ubi, cujus expensis, aut periculo, fieri debeat restitutio. Hæ sunt affectiones, ac circumstantiæ restitutionis.

Quæres 2do: Quem ordinem in restituendo damnificatores servare debeant?

Resp: Inter damnificatores, alii ad inferendum damnum concurrunt inæqualiter, ut cum unus mandat, alter exequitur, tertius consulit: alii concurrunt æqualiter, sive sint causæ magis principales, ut duo mandantes, sive causæ minus principales, ut duo consulentes. Porro qui prius in damnum influunt, primum etiam restituere debent. Is autem inter damnificatores ad restituendum primo loco teneri dicitur, qui sic restituere obligatur, ut eo restituente ceteri fiant liberi, alio autem restituente, ipse eidem refundere teneatur, is vero secundo loco restituere

stituere dicitur ,: quo restituente, ceteri, excepto primo, fiunt á restituendo immunes.

Itaque 1mo: is ad quem res furtiva pervenit, primo loco eam restituere tenetur, sive extet, sive non extet. Quia obligatio restituendi ratione rei acceptæ, est omnium maxima, cum res aliena semper ad Dominum suum clamat, unde facta rei restitutione ab eo, ad quem res illa pervenerat, ceteri damnificatores ab omni restitutione liberi sunt, hoc autem non eſset, nisi is, qui rem alienam habet, omnium primus ad restituendum obligaretur. Quodsi is ad quem res aliena pervenerat, eam consumpserat, non propterea à restituendo immunis est, quia quod eam Domino suo non reddiderit, sed consumpserit, nova est iniquitas, quæ eum à restituendi onere eximere nequit. Aliquando tamen à restitutione immunis eſse potest is, qui rem alienam consumpsit, neque inde factus est ditior. Sic: si Dominus ovem furto sublatam à famulo suo comedi præcipiat, eo ipso in se suscipere videtur obligationem restituendi loco famuli, qui rem alienam consumpsit.

2do: Cum plures æqualiter damno cooperati ſunt, æqualiter etiam restituere debent, quia non est ratio, cur unus plus restituat, quam alter. Uno autem eorum deficiente, ceteri tenentur in solidum: quæ obligatio restituendi in solidum, locum habet in illis etiam, qui minus quam alii, damno cooperati sunt. Quia singuli cooperatores sunt causa totius damni, non quidem totalitate causæ, sed totalitate effectus. Nam si exg: plures auferant trabem, quam quilibet eorum auferre non potuiſset, palam est quod totalitas effectus, videlicet, trabis asportatio, unicuique sit attribuenda, quia uno deficiente trabs à ceteris asportari non potuiſset. Pariter si duo, duas ponant damnosas actiones, quarum unaquæque per se ſolam satis fuiſset ad effectum ponendum, ut si exg: duo, letale vulnus homini seorsim infligant, evidens est utrumque, ita in effectum influere, ut quilibet eorum sit simpliciter causa illius. Denique si lignum duobus per se ablaturis, accedat tertius qui iisdem opem ferat, nulla est damni pars in quam ipse non influxerit. Cum itaque singuli cooperatores, totius damni sint causa, damnum totum, quod alii vel nolunt, vel non poſsunt resarcire, in solidum compensare obligantur. Quod autem quilibet ex cooperatoribus sit solum damni illati partialis causa, inde quidem consequitur, quemlibet illorum non teneri absolute ad to-

tius

tius damni restitutionem, sed non sequitur, quemlibet non teneri totum compensare damnum, in hypothesi quod alii non restituant.

3tio: Cum plures inæqualiter damno cooperati sunt, mandans primo loco restituere debet, deinde executor, tertio ceteri cooperantes. Etquidem *1mo:* mandans primo loco restituere debet, quia est principalis damni causa, cum nonnisi imperio ipsius damnum inferatur, & quidquid proximo infertur mali, propter mandantem inferri ſupponitur. Ergo ante ceteros cooperatores, primo loco restituere tenetur. Et hæc intelligenda sunt, non solum de mandante, qui authoritatem habet, qualis est Pater, Dominus, Præfectus militiæ, sed de eo etiam, qui vi, metu, fraude, alium impelit, & quasi cogit, ut malum proximo inferat, aut etiam qui svadet, rogat, ut nomine ejus damnum inferatur. Quia ii omnes & reipsa mandantes sunt, aut mandantibus æquivalent, ac totum restituendi onus in se suscipiunt. *2do:* post mandantem ſecundo loco restituere debet executor, utpote Physice in damnum influens, & post mandantem est primaria damni causa: unde consulenti, & ceteris cooperatoribus in restituendo præire debet. Si tamen multi uno consensu in damnum aliquod conspirent, illudque unus, ceterorum nomine exequatur, tunc omnes ad restituendum æqualiter tenentur, quia *nemo eorum* est, qui non sit primaria damni causa.. *3tio:* tandem, tertio loco post mandantem, & exequentem, ad restituendum tenentur, ceteri cooperatores, si enim nec mandans, nec executor restituere velint, aut poſsint, ſuperest, ut ceteri, qui damni causa sunt, restituere teneantur.

Quæres 3tio: Quis sit restituendi ordo inter eos, qui minus precipue damno cooperantur, sive positive, sive negative?

Resp: 1mo: Inter prædictos cooperatores, hunc eſse ordinem: ut positive cooperantes, ante eos qui negative solum cooperati sunt, restituere teneantur, quia positivi cooperatores prius influunt in damnum, quam negativi, cum isti ideo solum peccent quia aliorum actionem damnificantem non impediunt. Qui autem prius in damnum influunt, prius etiam illud reparare tenentur.

2do: Inter cooperatores positivos minus præcipuos, ad se invicem comparatos, non videtur aliquis eſse ordo, sed omnes in eodem gradu ad restitutionem obligandi sunt. Quia qui pari gradu in damnum influunt, pari etiam

gra-

gradu ad damni reparationem concurrere debent. Hinc consulens, palpo, cum pari gradu in damnum influant, quia nemo eorum alterius nomine operatur, nemo aliud agit, nisi ut alterum ad inferendum damnum impellet, pari etiam gradu ad restituendum obligantur. Hi vero ad malum impulsus, etsi alii aliis priores tempore eſse poſsunt, una tamen concurrunt ad movendam damnificatoris mentem. Igitur cum prædicti cooperatores non sic sibi subordinentur, ut alter ante alterum restituere teneantur, omnes in eodem gradu ad restitutionem obligantur, tenebitur tamen quilibet eorum restituere in aliorum defectum.

Verum tamen qui efficacius cooperatus est damno, plus restituere tenetur, quia qui magis contulit in damnum, maiorem restitutionis partem subire debet, qui minus, minorem. Unde fieri potest, ut consulens ad minus teneatur, quam palpo, quia viri nobilis adulatio, majorem, quam plebei consilium, efficaciam habere potest.

3tio: Si positivi cooperatores, restituere non poſsunt, is inter negativos ordo constitui potest, & *1mo*: restituat ſuperior, ex cujus incuria illatum est damnum. *2do:* custos rei. *3tio*: testis, qui juridice interrogatus, damnificatorem non manifestat. Verum hoc quoad ſuperiores, puta Magistratus, Politiæ Præfectos, tunc tantummodo locum habet, cum vel custodes constituere negligunt, vel iis non invigilant, alioquin enim custos particularis, qui non obstat, ante Magistratum, aut Militum Ducem, restituere debet, quia immediatius concurrit ad damnum, quod ille qui generaliter rebus prospicit, per se ipsum impedire non potest. Unde practica principiorum mox expositorum applicatio, magnam ad singulares circumstantias attentionem requirit. Sic qui negative solum ad inferendum damnum concurrerat, aliquando ad restitutionem prius, & potius teneri potest, quam ille qui ad illud concurrerat positive, ut si quis non obstiterit damno, & damnificator ex præterita ipsius negligentia, ad inferendum novum proximo malum, excitatur; profecto tunc non obstans, primaria damni causa evadet, adeoque ante alios ad restituendum obligabitur.

Quæres 4to: Utrum plures, qui ad damnum aliquod non idem in individuo, sed diversum concurrerunt, teneantur ad restituendum in solidum, puta: si plures latrones eandem domum deprædati sunt?

Resp: *1mo:* Ii, ad restituendum in ſolidum non te-

nen-

nentur, si alii aliis insciis, & nullo pacto moventibus, damnum intulerint; quia in hoc casu alii aliis cooperati non sunt.

2*do*: Si quis eorum, qui damnum intulerunt, primus alios moverit, videndum est, an moverit per modum causæ, an solum exemplo suo. Si moverit per modum causæ, rursum expendendum est, in quo genere causæ moverit, an imperando, ut nonnunquam pefsimi juvenes faciunt, qui alios ætate, & viribus inferiores, ad fcelus minis & imperio trahunt: an simpliciter consulendo, adulando. In his autem casibus, fequendum est, quantum circumstantiæ permittent, id quod mox dictum est de ordine inter damnificatores observando.

Quodsi quis alios exemplo folum moverit, ut faciunt ii, qui coram aliis furando, eosdem exemplo fuo ad furtum committendum excitant, probabilius videtur hic quoque efse obligationem restituendi, quia qui prævidere potuit probabiliter alium exemplo fuo movendum efse ad inferendum proximo damnum, iam culpa illius illatum efse censetur, & non minus quis exemplo alterum ad inferendum damnum movere potest, quam consilio, imo magis, quia exempla trahunt. Porro qui consilio fuo movet ad inferendum alteri damnum, ad restituendum tenetur. Ergo etiam qui ad illud fuo alium excitat exemplo, restituere obligatur.

3*tio*: Cum plures ad furtum aliquod, â singulis pro fe, peragendum conspirarunt communi consilio, & consensu, fed absque eo, quod alter, alterius motor principalis extiterit, aut etiam exemplo fuo traxerit, & hic etiam urget obligatio restituendi in solidum, quia singuli ex ipsa multitudine furandi, deprædandi, audaciam fumunt, & nisi tanta efset illorum copia, singuli nihil diriperent, facile enim impedirentur. Ergo singulorum influxus cum magni momenti sit, singuli etiam in solidum restituere obligantur.

Quæres 5to: An cum ille, qui damnum pafsus est, debitum relaxat uni ex cooperatoribus, alii à restituendo immunes sint?

Resp: 1mo: Si condonatio fiat ei, qui primo loco restituere tenebatur, ceteri post ipsum â restitutione liberantur, quia ceteri cooperatores in ejus tantummodo defectum, restituere debebant, ergo eo per condonationem, nihil amplius debente, ceteri quoque nihil debent, neque enim is, qui damnum pafsus est, pro nutu suo ordinem

nem in restituendo statuere potest, ut hic vel ille primus restituere teneatur. Ergo cum eum eximit, qui ex naturali æquitatis ordine, primo loco restituere tenebatur, hoc ipso ceteros etiam à restituendo liberat.

2do: Si condonatio fiat alicui ex cooperatoribus, qui nonnisi secundo loco restituere tenebatur, anteriores, & magis principales per hoc non eximuntur, quia principales tenentur ad restituendum independenter à posterioribus, & prius illis.

3tio: Si denique nullæ sint causæ primariæ aut ſecundariæ, & uni condonatio fiat, ceteræ ejusdem ordinis causæ, adhuc tenentur ad restituendum, non quidem illam partem quæ condonata est, sed id, quod ea detracta parte, supererit. Quia singuli, singulas partes debent, ergo uni remiſsio fieri potest, eadem condonatione ceteris minime conceſsa.

Quæres 6to: Quando multis diversi ordinis restitutio facienda est, & omnibus fieri nequit, quo ordine fieri debet?

Resp: Debita multiplicis generis sunt. Namque *1mo:* alia ſunt *certa*, alia *incerta*: ut si certo scias te Titio debere centum aureos, erit debitum certum: si dubites an debeas aliquid, vel cui illud debeas, erit debitum incertum. *2do:* alia sunt *realia*, cum bona debitoris obligata sunt creditori per hypothecam, sive generalem, sive specialem: alia *personalia*, cum creditor ratione debiti in personam debitoris, non vero immediate in bona ejus, actionem habet.

Debita vero sive realia, sive personalia, vel sunt *privilegiata*, vel *simplicia*, prout creditores vel habent privilegia, propter quæ aliis creditoribus præferantur, & præ illos solvantur, vel hisce privilegiis carent, ac proinde debita eorum simplicia sunt.

Item debita ſunt vel ex *delicto*, ut siquis debeat, quia furatus est, vel ex *contractu*, ut si debeat quia mutuo accepit. Tandem alia ſunt ex titulo *gratuito* vg. promiſsione, legato: alia *oneroso*, puta: emptione.

Itaque *1mo*: Debita ex delicto, vel ex titulo oneroso, prius solvi debent, quam debita ex titulo gratuito, quia alioqui gratuita promiſsio, vergeret in præjudicium tertii, illius nempe, cui aliquid debetur ex delicto vel contractu oneroso. Hinc colligitur *1mo*: illicitum eſse acceptare dona, vel legata illius, qui ex donationibus, aut legatis efficitur impar solvendis debitis, quæ titulo one-

roso

roso contraxit *2do:* Hæres prius solvere debet defuncti debita onerosa, quam legata, imo prius quam res voto appromiſsas, quia vota quæ in præjudicium tertii vergunt, á Deo reprobantur, hæc tamen, quia ipsam voventis personam ligant, prius solvi debent, quam legata.

2do: Res aliena extans, prius est restituenda domino ſuo, quam solvatur quodcunque aliud debitum. Quia hujusmodi res ad dominum ſuum clamat. Ergo ei præ ceteris est restituenda. Quare depositum, pignus, res furto ablatæ, dominis ſuis reddendæ ſunt, non aliis creditoribus exdividendæ. Quodsi ignoretur dominus rei, quæ in sua ſpecie manet, vg. hæc vestis, tunc in pauperes erogari poterat, quia non tenetur creditor debitori ex alieno satisfacere.

3tio: Debita de quibus certo constat, prius solvi debent, quam ea de quibus dubitatur, an debita sint, & prius restituendum est domino, ſeu creditori certo, quam incerto, scilicet cum de debito certo constat, sed incertum est, an huic vel alteri debeatur, & id communis hominum sensus habere videtur, & æquitatis naturalis ordo postulat, ut certa incertis præferantur.

4to: Debita contracta ex delicto, non ſunt prius solvenda, quam quæ ex justo oneroso contractu prodeunt, sed perinde est, sive hæc, sive illa prius, aut posterius exsolvantur. Quia nullo jure ostendi potest majorem eſse unius debiti quam alterius obligationem.

5to: Ceteris paribus, creditori pauperi prius restituendum non est, quam diviti, quia paupertas non efficit, ut pauper plus juris habeat quam dives. Cum ergo in paupere majus jus non sit quam in divite, consequens est, quod inter utrumque nullus sit præferentiæ ordo. Si tamen pauper in extrema neceſsitate constitutus sit, imo juxta aliquos, etiam in gravi ſolum, tunc præferri debet, aut ſaltem præferri potest diviti. Quia cum negatur aliquem alteri in ordine restitutionis eſse præferendum, id ſemper intelligendum est ſalvo ordine charitatis, quæ virtutum omnium regina est.

6to: Tandem creditoribus, quorum debita privilegium habent, prius ſatisfaciendum est iis, quam quorum debita simplicia ſunt. Unde creditores qui hypothecam habent, ceteris præferendi ſunt: ſed circa hæc ſequendæ ſunt locorum leges, & consvetudines, in hac enim materia, sicut & in aliis, circa quas jus naturale nihil præscribit, standum

dum est legibus locorum, & justæ consvetudini, quia obligant in conscientia.

Quœres 7mo: Utrum debitor, qui omnibus ſuis creditoribus ſatisfacere non potest, & uni totum ſolvit, prœtermiſsis aliis, peccet contra justitiam?

Resp: Vel ille creditor, cui debitor totum ſolvit, hoc exegit in judicio, vel extra judicium & privatim, vel nullatenus id prætendebat. Si *1mum*: Tenetur debitor ei totum ſolvere, etiamsi eſset tempore posterior, quia vigilantibus jura ſubveniunt, ſententia quoque Judicis, dat ei jus prælationis ſupra alios Creditores, & lege communi constitutum est, ut qui diligentior est in repetendo debito, ceteris anteponatur. Si *2dum*: Videtur non ſuficere privata creditoris repetitio absque ſententia judicis, quia privata repetitio non potest tribuere jus uni, quod in aliorum detrimentum vergat. Si quis tamen aliter bona fide egiſset, non deberet facile condemnari. Si *3tium*: Debitor contra justitiam peccavit, quia debet unicuique tantum largiri, quantum pro circumstantiis potest, hoc autem non facit, qui unum creditorem etiam non petentem, ceteris anteponit,, ut eidem gratificetur. Ergo peccat contra justitiam, ac tenetur de damno aliorum creditorum, æquale jus habentium, nisi eum juris vel facti ignorantia excuset, aut juxta multos Theologos, si unus creditor sit in gravi neceſsitate, non alii, quia debitus charitatis ordo exigit, ut præferatur aliis, qui cum non indigeant, non ſunt rationabiliter inviti.

Quœres 8vo: An creditor, qui jus prœlationis ſupra alios creditores non habet & ſolutionem ante alios à ſuo debitore accepit, teneatur illis restituere?

Resp: Si alii creditores jus prælationis habebant, ei cognitum, cui præ ipsis restitutum fuit, tenetur ad refundendum quod acceperat, ante ſententiam Judicis, quia recipiendo id, quod primo loco aliis debebatur, recepit id, quod ipsius non erat, & iniquæ aliorum damnificationi cooperatus est. Si etiam creditores alii non erant jure potiores, ſed omnino pares, probabilius videtur, creditorem qui totum debitum recepit, ad restituendum aliis teneri, quia ſpectato jure naturali, bona debitoris ſunt pro rata ſecundum proportionem exdividenda creditoribus æquale jus habentibus, unde creditor qui totum debitum recepit, cooperatur tum debitoris injustitiæ, tum iniquæ aliorum creditorum damnificationi, prout ſcilicet actu impedit, ne iis hic & nunc ſolvatur, quod ipsis ſolvendum est. Faten-

tendum tamen est, quod hac in re intricata, & multum controversa, facile excuset bona fides. Si tamen creditor debitum suum obtineat per fraudem vg. simulando gravem inopiam, non posset eximi à restitutione. Hinc à fortiori sequitur, eum ad restituendum obligari, qui aliquid gratuito titulo accipit à debitore, quem inde scit conijciendum esse in restituendi impotentiam, quia cooperatur iniquæ actioni, qua debitor solvendo imparem se constituit.

Quæres 9no: Cui res aliena reddi debeat?

Resp: 1mo: Res ablata restitui debet, *vero ipsius domino*, tum etiam illi, qui legitimum jus habet eam possidendi, aut ipsa utendi, qualis est conductor, commodatarius, depositarius. Quia iis rem auferendo, injuria facta est. Ergo resarciri debet, eam ipsis restituendo. Quare res ablata non semper statim est reddenda directo illius domino, ac proprietario, sed ordinarie reddi debet ei, à quo legitimo titulo possidebatur, alias contrahitur onus ipsi restituendi, & compensandi pro lucro cessante, & damno emergente. Cum vero possessor nihil patitur detrimenti ex eo quod res ab eo ablata, directo illius domino, ac proprietario reddatur, tunc nihil interest, an huic vel illi restituatur.

2do: Res aliena accepta, vel ablata ab eo, qui nullum habuit jus eam possidendi, etsi fuerit possessor bonæ fidei, vero ejus domino restituenda est, quia ei facienda est restitutio, qui jus habet in rem. Porro in hoc casu possessor nullum habet jus in rem, sed verus ejus dominus. Ergo ei nonnisi res reddenda est. Si tamen res sine gravi incommodo, vero illius domino restitui nequeat, quia vg. nimium distat, sufficit ut restituatur illius bone fidei possessori, nisi merito timeatur ne forte ipsam domino non restituat, & tunc velut res inventa, qua par est cura, servanda est. Quod si quis rem alienam ab eo oneroso titulo comparaverit, qui eam bona fide detinebat, postquam cognovit eam esse alienam; potest eam ipsi reddere, & datum pro ea pretium recipere. Unicuique siquidem licet bono proprio consulere, cum id potest sine alterius dispendio. Porro qui reddit rem ei à quo emit, & à quo bona fide detinebatur, bono suo consulit, sine alterius dispendio, supponitur enim possessorem illum à quo res empta fuerat, esse hominem in cujus manu eadem res non periclitabitur, & cui secure committi posit.

3tio: Res aliena à malæ fidei poſseſsore accepta, ablata, non ipsi ſed ligitimo illius domino restituenda est. Cavendum tamen ne injustus poſseſsor, restitutioni iterum faciendæ exponatur, quod fiet, si vel ipse, vel rei dominus, debito modo communicantur.

Quœres 10mo: Sed hic quœritur, an qui rem emit à fure, hanc ei reddere poſsit, ut ab ipso pecuniam suam recipiat?

Resp: *1mo:* Certum est eum, qui voluit quidem rem à fure emere, & pro illa pecuniam jam enumeravit, sed postquam advertit ipsam furtivam eſse, eam in suam poſseſsionem non recepit, poſse in manu furis rem illam relinquere, & pecuniam suam ab eo recipere, quemadmodum qui rem alienam in via invenit, potest eam ibi relinquere, si metuat ne propter eam furti redarguatur, quia licet unicuique sibi magis consulere, quam alteri.

2do: Res aliena etiam bona fide à fure empta, & jam poſseſsa, non potest eidem reddi, nisi moraliter judicetur, poſse illam à fure vero domino restitui, vel in manibus furis deprehendi, domino prudenter de illa admonito. Qui enim rem alienam è manibus furis ereptam, eidem reddit, causa est, cur dominus re sua privetur, emptio enim non efficit ut res domino suo debita non sit, & emptor rem illam furi reddendo, eam in pejori statu ponit quam ultimo erat, res namque illa jam in manibus emptoris secure ſubsistebat, non ita vero in manu furis. Non poterat autem emptor, nisi læsa justitia, rem alterius semel in bono statu positam, in statum periculosum dejcere. Peccat igitur contra justitiam & ad restituendum tenetur. Verum quidem est, quod durum sit, quod quis bona fide datum pretium amittat, sed si fur abiiſset, si non inveniretur, si solvendo par non eſset, res tamen furtiva domino reddi deberet, ex eo ergo quod fur inveniatur, qui reddendo pretio par est, dominus rei nihil juris sui amittere debet, & res ipsius non furi, sed ipsi restituenda est.

Quœres 11mo: Cui reddi debeant res, quarum dominus cognosci nequit?

Resp: Res, quarum dominus post diligentem inquisitionem cognosci nequit, neque illius hæredes, pauperibus ſunt erogandæ, & in pia opera convertendæ. Hoc tamen procedit quando ignoratur rei dominus tam in communi, quam in particulari, aliter enim agendum est

in

in praxi *1mo:* quando dominus cognoscitur in communi, quo pacto *vg.* milites qui quædam opida, Præfeci Provinciarum, qui Provinclas dilapidaverunt, cognoscunt in communi quibus damnum intulerunt, licet eos in particulari non posſint discernere. *2do:* Cum cognoscitur, rem pertinere ad unum ex multis, & quis ille unus sit, definiri non potest. In primo ergo casu, restitutio in communi fieri debet, idque in loco, ubi damnum illatum est, adeo, ut qui læsi sunt, vel eorum hæredes recipiant compensationem, prout prudenter ex circumstantiis eos vexatos fuiſse judicari poterit. Hinc optimi consilii est, ut restitutio istiusmodi fiat per manus Episcopi, aut Magistratus, qui cum facilius uniuscujusque jacturam cognoscere poſsint, tutius quoque debitam proportionem servare poſsunt. Quod vero spectat ad ænopolas, caupones, & alios, qui minore quam par erat, vel mensura, vel pondere, res vendiderunt, neceſsum est, ut iis qui ad officinam eorum veniunt, pretio minore vendant, sic enim paulatim refundetur, quod paulatim ablatum est, debent insuper aliquid pauperibus largiri in gratiam extraneorum, quos à se fraudatos eſse norunt.

In secundo autem casu restitutio ex æquo facienda est iis omnibus, quos dubium respicit, quia non potest totum dari uni, quod prudenter judicatur non minus ad alios, quam ad ipsum pertinere.

Quæres 12mo: Quantum restitui debeat?

Resp: Tantum restitui debet, quantum ablatum est, quia is est restitutionis scopus, ut inter ablatum & id quod redditur, constituatur æqualitas. Hinc qui alium spoliando simul excepit ignominiis, debet & rem restituere, & pro læso honore satisfacere. Unde etiam qui rem alterius in individuo apud se habet, ei non ſufficit aliam æque bonam reddere, quia cum is specialem in rem ſuam affectum habere potest, gravem tunc pateretur injuriam. Si tamen eadem res in specie restitui nequeat, quin inde fur occultus manifestandus sit, satis erit, ut reddatur æquivalens.

Quodsi res jam non extet, restitui debet valor ejus, si notus sit, si vero ignotus sit, sive quia generatim aſsignari nequit certus ablatæ rei valor, sive quia rei destractæ ignoratur quantitas, ut si domum variis ſupellectilibus instructam, quis combuſserit, adhærendum est judicio viri prudentis, & cordati, ita ut re inter plus

& minus ponderata, vel attingatur æqualitas, vel ad eam quam maxime accedatur.

Quæres 23tio: Quando facienda est restitutio?

Resp: Debita, ratione rei acceptæ, aut injustæ detentionis, restituenda ſunt quam primum moraliter fieri potest; debita autem ex contractu, tempore secundum factam conventionem, aut per leges determinato, quod si tempus præfixum non fuerit, restitutio facienda est, vel cum eam fieri exigit creditor, vel cum à debitore commode fieri poterit. Alias peccatur mortaliter & contrahitur obligatio restituendi lucrum quodcunque ceſsans, & damnum emergens. Idque verum est, etiamsi qui aliquid ex contractu debet, non interpelletur ad solvendum, quia dies definita pro domino interpellat, aut si debitor memor non sit debiti, vel etiam metu, aut aliter impediatur á repetendo.

Quæres 24to: Ubi, & cujus expensis res est restituenda?

Resp: 1mo: Qui rem alterius bona fide poſsidet, ſufficit ut eam restituat in loco ubi ipsam poſsidet, unde si eam ad dominum absentem remittat, non tenetur id ſuis expensis facere. Quia qui nullam alteri injuriam fecit, nullum etiam debet ſubire detrimentum. Porro qui rem alterius bona fide poſsidet, illius domino nullam facit injuriam, & damnum subiret, si eam ipsi suis expensis remittere teneretur. Ergo ſufficit ut ipsam restituat in loco, ubi eam poſsidet.

Si quis tamen rem alienam alio imprudenter transferret, quia nimirum noluit à domino exquirere, quid de re ſua fieri vellet, tunc teneretur de impensis, quas dominus ipse non feciſset, aliter sentiendum est, si res alio fuerat transferenda, quia poſseſsor eam servare non poterat in loco, ubi eam primum habere cæpit. Quodsi dominus rei nimium distans moneri non poſsit, aut res minoris sit momenti, quam ut certæ pro ea transferenda impensæ fieri debeant, tunc res vel in pio loco deponatur, ea lege, ut reddatur domino si comparuerit, vel donetur pauperibus, præsertim consanguineis domini illius rei, quia hanc eſse ipsius voluntatem præsumi rationabiliter potest.

2do: Qui rem alienam injuste accepit, ac inique poſsidet, propriis eam expensis restituere tenetur, idque in loco ubi eam dominus ipsius poſseſsurus erat, si ablata non fuiſset. Quia dominus rei, ex alterius iniquitate

 damnum

damnum perciperet, si rem ſuam alio ablatam propriis ſumptibus ad se revocare teneretur, Hinc alienæ rei invasor, ad plures pro ea restituenda ſumptus aliquando tenetur, quam res secundum se valeat. Certe æquius est ut delinquens duplum perdat, quam ut innocens dominus, re ſua privetur.

Hic tamen duo notanda ſunt. *1mo*: Debitor potest deducere expensas, quas ipse dominus in re ſua transferenda feciſset, satis enim est, ut debitor dominum rei præstet indemnem, non requiritur vero, ut ei etiam lucrum afferat. *2do:* Si restitutio fieri nequeat sine maximis ſumptibus, ea ex naturali æquitate differri potest, donec debitor ipsam sine tanto detrimento facere poſsit, aut resciverit à domino rei, quid de illa fieri velit.

Quodsi ea sit rerum conditio, ut nisi modo restituatur cum maximis expensis, futurum sit, ut nunquam restitui poſsit, damnari non poſset, qui rem nec omnino domino ſuo neceſsariam, nec admodum utilem, consanguineis illius, aut saltem pauperibus daret, quia tunc dominus rei nec christiane, nec rationabiliter velle potest, ut res ſua tanta cum inæqualitate adse remittatur.

3tio: Debita ex contractu diversimode restitui debent. Si contractus cedat in commodum solius dantis, restitutio facienda est expensis dantis, neque enim par est, ut gravetur aliquis, alteri favorem præstando. Si contractus cedat in commodum solius accipientis, restitutio fieri debet expensis accipientis. Hinc si tua causa equum commodato acceperis, teneris eum propriis tuis sumptibus remittere, non teneris tamen eum longius mittere, quam quo dominus ipsius commigravit, nisi aliter inter commodantem & commodatarium conventum fuerit. Tandem si contractus cedat in utilitatem utriusque contrahentis, ut si quis equum locaverit, aut pro deposito aliquid pretii acceperit, tunc impensæ in reddenda re alterius ab eo regulariter faciendæ ſunt, ad cujus exigentiam contractus fieri solet. Hinc ex communi usu qui equum conduxit, tenetur eum propriis expensis remittere, qui vero ſuum depositum alteri concredidit, illud expensis suis recipere debet, pretium enim non solet dari depositario, ut rem remittat, ſed ut compensetur ejus in re custodienda labor.

Quæres 15to: Cum res aliena per alium domino ſuo remittitur, si in via pereat, cui perire censenda est?

Resp: *1mo*: Si Dominus rei ipse eleger[it,] per quem debeat

beat ipsi remitti, aut etiam eligendi talem debitori reliquerit libertatem, hoc tantum exigens ut sibi fidelem eligat, & interim res pereat, damnum est illius, cujus res erat, quæ remittebatur. In primo siquidem casu nuntius ab ipso designatus, & misſus, personam ipsius gerit, in secundo autem, debitor id omne præstitit, quod sibi à domino rei fuit præscriptum.

2do. Res aliena, quam quis sine culpa apud se habebat, si cum domino ab ipso remittitur, & in via pereat, domino perit, non remittenti, quando is ſufficientem adhibuit diligentiam. Quia res quæ sine remittentis culpa perit, non illi, ſed domino rei perire debet. Porro in præsenti casu res perit sine remittentis culpa, neque enim hic est culpa ejus antecedens, quia rem illam non poſsedit via iniqua, neque culpa concommitans, quia omnem quæ neceſsaria fuit, in ea remittenda, adhibuit diligentiam. Ergo non ipsi, sed domino rei perire debet. Si tamen bonæ fidei poſseſsor cum domino rei convenerit, se per talem nuntium rem ipsius remiſsuram eſse, si eam committat alteri á quo decipiatur, & res pereat, tenetur ad restituendum, quia alteri eam committendo, est in culpa.

3tio: Si res per injuriam erepta, furata fuerit, omne periculum in re illa restituenda, est debitoris, unde dum remittitur, aut quoquomodo restituitur, & perit, non domino rei, ſed ipsi perire censetur. Iniquus siquidem debitor, dominum rei prorsus indemnem constituere debet. Ergo omne periculum subire tenetur. Certe si res illa in manibus debitoris periret, ipsi periret non domino rei. Porro nuntius rem à debitore domino ferens, quamvis fidelis omni sollicitudine ab eo electus sit, personam debitoris gerit. Ergo ipsi debitori semper perire censetur. Et hoc verum est, etiamsi restitutio fiat per manus Confeſsarii, & illa in manibus ejus culpate, vel inculpate perit. Hinc fieri potest ut debitor bis, & ter eamdem rem restituere obligetur. Neque id durum videri debet, quia longe durius est, quod innocens re sibi injuste ablata, spoliatus remaneat, & ex Regula juris 88. in 6to: *damnum quod quis culpa ſua sentit, sibi debet, non aliis imputare.*

4to: Res ex contractu debita, perit creditori, cum apud eum rei dominium manet, perit vero debitori, si dominium ipsius in eum translatum fuerit. Quia res quælibet sicuti domini sui est, & ad eum semper clamat, ita etiam eidem perit. Hinc qui pecuniam mutuo acce-

ptam, remittit ad Titium, cum pallio sibi ab ipso commodato, subire debet damnum pecuniæ, cuius vi mutui evaserat Dominus, non autem pallii, cuius dominium apud Titium remanserat.

Quæres 16to: Quæ causæ à facienda restitutione excusant?

Resp: A restitutione liberant & excusant, creditoris condonatio, & legitima compensatio. Et quidem creditoris remiſsio, ſeu illius cui restitutio debetur, condonatio, à restitutione liberat. Volenti siquidem non fit injuria. Ergo si creditor volens consentiat ut sibi non solvatur quod debitum est, nulla iam ei per hoc fit injuria.

Ut tamen valeat creditoris condonatio, duo requiruntur. *Primum:* ut leges condonationi non resistant, hinc condonatio à furioso, & qui annos discretionis necdum attigerat, nulla est. *Secundum:* ut sit vere voluntaria. Hinc remiſsio, condonatio, facta ex errore, vi, metu, fraude extorta, nullius est momenti, aut saltem facile rescindi potest.

An vero ad condonationem ſufficiat virtualis Domini voluntas, controvertitur. Plures Theologi affirmant, illam ſufficere, modo ex conjecturis vere probabilibus de eadem voluntate constet, unde á restituendo eximunt filiosfamilias, qui aliquid non ita magni momenti furantur parentibus, quibus sunt chariſsimi. Sed hoc plenum periculi. Certe aliud est *condonaſsem* si scirem, aliud *condono;* itaque vel petenda est condonatio, vel restituendum, nisi res sit tam levis momenti, ut ex quodam usu condonata eſse censeatur.

Quæres 17mo. Bonorum ceſsio, an eximit á restituendi obligatione?

Resp: Bonorum ceſsio, vulgo *Taxa*, *Kurs*, *Exdywizya*, fieri dicitur, cum quis solvendis omnibus debitis suis impar, ac insufficiens, bona sua creditoribus suis dimittit. Et is si quid postea acquirit, illud expendere tenetur in creditores, quibus plena satisfactio non obvenerat. Quia solum jus naturæ spectando, per bonorum ceſsionem non tollitur restitutionis obligatio, sed solum propter impotentiam omnibus Creditoribus plene hic, & nunc satisfaciendi, suspenditur, ac prorogatur. Quare ceſsio bonorum non plus jure naturali habet privilegii, quam impotentia restituendi, quæ non tollit obligationem restituendi, sed illam suspendit solum ac prolongat.

Igitur

Igitur qui post bonorum cessionem, aliquid acquirit, illud expendere debet in creditores, quibus plena satisfactio non obvenerat, Magis autem ad restituendum suis Creditoribus obligantur, qui in satisfactionem suorum Creditorum bona sua dimittendo: nonnulla ex illis maxime prætiosiora suppellectilia occultant, fictos creditores introducunt, in fraudem suorum Creditorum, donationes, inscriptiones cum anterioris temporis consignatione, vulgo *pod antydatę* faciunt, chyrographa subscribunt. Ii enim in conscientia suis Creditoribus, quibus per bonorum cessionem plena satisfactio non contigerat, ad restituendum obligantur.

Quæres 28vo: Utrum ad restituendum obligetur, qui non potest restituere, nisi per bona superioris ordinis?

Resp: Triplex est bonorum naturalium ordo. *Supremus*, *medius*, & *infimus*. *In supremo* ordine sunt, vita hominis, membra corporis, ac libertas: in ordine *medio* sunt, honor, fama bona: in ordine *infimo*, bona fortunæ.

Itaque *1mo*: debitor non tenetur restituere cum dispendio bonorum ordinis superioris, si hæc juxta prudentum æstimationem longe superent damnum quod patietur creditor. Quia tunc creditor nec est, nec esse potest rationabiliter invitus, quod ei hoc in casu non restituantur bona ordinis inferioris. Alioquin enim violaret istud Christi præceptum Math: Cap: 7. *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Jam vero qui aliquid velle non potest, nisi charitatem violando, eo ipso non est rationabiliter invitus, quod illud non fiat.

Quod si bona inferioris ordinis talia sint, & in tanta quantitate, ut prudenter judicentur æquivalere bonis ordinis superioris, tunc facienda est restitutio bonorum inferiorum, per bona superiora. Unde etsi bona fama, sit ex genere suo majus bonum quam divitiæ, si quis tamen vilis præsertim homo, rapuisset magnam alienæ pecuniæ summam, quæ nonnisi cum dispendio famæ ipsius restitui posset, certum est pecuniæ hujus restitutionem faciendam esse cum periculo etiam famæ raptoris, modo nihil vitæ ipsius timendum esset.

2do: Certius videtur, eum qui alium læsit in bonis supremi ordinis, teneri restituere per bona ordinis infimi, cum aliter non potest. Quia alioqui peior esset conditio

ditio hominis, qui læsus est in bonis ordinis ſupremi, quam illius qui in bonis inferioribus læsus fuit, prior enim et si plus paſsus est damni, nullatenus tamen compensaretur, posterior vero etsi minus paſsus sit, plenam reciperet satisfactionem. Igitur bona ordinis ſupremi per bona infimi etiam generis, ad arbitrium viri prudentis compensanda sunt, seu dando pecuniam homini, qui membro mutilitus est, seu si occisus fuerit, preces illi procurando, & efficiendo ut hæredes ejus nihil damni ex morte ipsius patiantur.

Quæres 29no: An qui debiti sui immemor, Creditori suo gratis tantum donat, quantum ei debet, à restituendo liber sit?

Resp: Non est liber, quia qui gratis donat, non implet justitiæ obligationem, sed actum liberalitatis exercet. Ergo adhuc remanet debitor. Unde & creditor debitum repetere potest, nisi ex manifestis conjecturis colligat, debitorem habere voluiſse pro persoluto, si quid deberet, & hoc intendere debent, qui egenis stipem erogant, generalem scilicet intentionem habere oportet, resarciendi debita, si quæ olim contraxerint.

Quæres 30mo: Utrum inopia, neceſsitas, impotentia, sint justæ differendæ restitutionis causæ?

Resp: Ita est. Quia ad impoſsibile nemo tenetur, & generale est principium, id omne quod facit, ut Dominus, aut creditor non sit circa dilationem rationabiliter invitus, legitimam eſse diferendæ restitutionis causam.

Porro neceſsitas triplex est, extrema, gravis, & communis. Neceſsitas *extrema* est ea, in qua homo constitutus, adeo indigens est, ut nisi ei auxilium adferatur, de vita periclitetur, vel ut aliqui volunt Theologi, de bono summi momenti, qualis est libertas. Neceſsitas *gravis* est, cum homo vel tam ægre vitam ducit, ut vix eam sustentet, vel obnoxius est periculo incurendi morbi, magnique alterius incommodi, morte tamen minoris. Neceſsitas *communis* est, cum homo propter inopiam difficulter vitam ducere valet. Et hæc neceſsitati ſpirituali, facile accomodari poſsunt.

Itaque *1mo*: Neceſsitas extrema, tam corporalis, quàm spiritualis, sive nostra, sive alterius, justa est causa differendæ restitutionis. Quia ex vulgari axiomate: in extrema neceſsitate omnia, saltem quoad usum, sunt communia. Hinc si quis restituere nequeat nisi adigendo filias suas in periculum prostitutionis, aut filios suos in peri-

periculum latrocinii, potest & debet restitutionem differre, graviterque peccaret creditor, nisi huic dilationi consentiret.

2do: Gravis necefsitas, & impotentia moralis, sive debitoris, sive eorum quos alere, & curare tenetur, est etiam fufficiens differendæ restitutionis causa. Quia in gravi debitoris necefsitate præsumi potest, Dominum, aut creditorem, efse rationabiliter contentum, quod hic & nunc restitutio sibi non fiat, cum in tali casu teneatur unusquisque proximo opitulari. Quare non tenetur hic & nunc ad restituendum *1mo*: qui ut restitueret, deberet vendere domum, vel prædium multi minori prætio, quam reipsa valet. *2do*: qui si damnum falso, quod effecerat instrumento illatum statim repararet, subiret magnæ infamiæ periculum. *3tio*: Si necefsario excideret è statu, & gradu, quam juste comparavit. Secus si rapinis, fraudibus eo pervenifset, quia hoc non est statum fuum amittere, sed dimittere alienum, & ad proprium reverti. Et si vero non est necefsarium, hic & nunc restituere, cum alioqui excidendum est á legitimo statu, æquum tamen est, ut vir ære alieno gravatus, sibi de fplendore, & decentia detrahat, quidquid ad status conservationem absolute necefsarium non est.

Transacta vero necefsitate, propter quam dilata fuit restitutio, hæc illico facienda est, quia tunc jam nulla occurrit justa causa eam differendi, cum fieri pofsit, & debeat, æquitas quoque naturalis postulat, ut res quælibet Domino suo reddatur, cum reddi potest.

Quæres 2do: Utrum necefsitas debitoris eum á restituendo excuset, si Creditor in pari necefsitate versetur?

Resp: 1mo: Si gravis sit debitoris, & creditoris necefsitas, restitutio fieri debet, quia quilibet rationabiliter est invitus, quod in pari utriusque necefsitate res sua ab alio detineatur, & id adhuc evidentius est, quando debitum ex delicto contractum est, cum ratio naturalis dictet, innocenti potius quam reo favendum efse, quapropter si propter solutionis dilationem creditor à statu suo excidere debeat, debitor restituere debet sine mora, etiamsi futurum sit, ut restituendo ipse á suo statu excidat.

2do: Si debitor, & creditor ambo in extrema necefsitate constituti sint, videndum est, an creditor in hanc necefsitatem coniectus fuerit ex rei suæ iniqua f[illegible]atione

ne

ne, an vero ex alia causa. *Si 1mum*: debitor tenetur ad restituendum, quia in pari causa melior est conditio Domini innocentis, cui quidpiam debetur, & fraus, sive rapina reo patrocinarentur, si circa rem qam inique acquisivit, legitimo illius domino anteponeretur *Si 2dum*: videlicet quia quispiam in extremam necessitatem conjectus est, non ex subtractione rei, quæ illi debetur, sed ex alia causa, videtur debitorem in extrema necessitate constitutum non teneri hic & nunc ad restituendum, quia non est causa nisi forte innocens est causa, cur alter in pari extrema necessitate constitutus sit.

Quæres 22do: *An posit differri restitutio ut interim ingens lucrum capiatur?*

Resp: Id non licere, quia æquum non est, ut creditor, sive Dominus suis rebus privetur, ut alter ex iis lucrum faciat. Excipe, si debitor lucrum quærat, ut aliis creditoribus satisfaciat, quibus alioqui satisfacere non posset, tunc enim is, cui restitutio debetur, ex charitate dilationem concedere teneretur, si commode id facere possit.

Quæres 23tio: An qui differt solvere, vel restituere id quod debet, teneatur creditori, ac Domino rei compensare lucrum cessans & damnum emergens?

Resp: 1mo: Quando debitum est ex delicto, tenetur. Quia alioqui debitor non restitueret Dominum ablatæ rei in eum statum, de quo eum inique deturbavit. Et hoc verum est etiamsi debitor sit solvendo impar, quo tempore lucrum domino cessat, aut damnum emergit, quia cum voluntarie eorum causam posuit per iniquam suam actionem, eorum quoque periculum subire debet.

2do: Quando quis debitor fuit ex contractu, fuit tamen culpabiliter in mora solvendi, & is tenetur compensare creditori lucrum cessans, & damnum emergens, quia, etsi ab initio non fuit debitor ex delicto, fuit tamen deinceps debitor quasi ex delicto, quatenus non restituit tunc, cum potuit, & debuit. Aliter dicendum videtur, cum quis fuit in mora, sed inculpabiliter, quia ibi mora culpabilis non est, ubi nulla est, aut esse potest damni iniusta causa. Hinc ex Regula Juris 41. in 6to. *Imputari non debent ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*

CAPUT TERTIUM

De Restitutionibus in particulari.

Quœres: In quibus bonis iniuria fieri potest, & pro ea facienda sit restitutio?

Resp: In bonis vel spiritualibus, vel corporalibus, vel honoris & famæ, vel demum bonis fortunæ. In his iniuriam quis pati potest, & restitutionem exigere. De iniuriis famæ, honoris, ac bonorum fortunæ, deque necefsaria in his restitutione, iam actum est in Tractatu de Divinis præceptis, reliqua hic tractanda sunt.

ARTICULUS 1mus

De injuriis in bonis Spiritualibus, eorumque restitutione.

Quœres 1mo: Ad quid teneatur, qui alium ad malum adtraxit, eique nocuit in bonis spiritualibus?

Resp: Qui vi, metu, fraude alium ad peccandum induxit, aut à bono retraxit, tenetur ex justitia ad damni hujus reparationem. Quia qui alium per vim, aut fraudem bono spirituali privat, eidem gravem facit injuriam, cum vis & dolus annexam habeant injustitiam. Omnis autem iniuria, & injustitia, ex justitia reparari debent. Ergo qui vi, metu, aut dolo, ad peccandum alium attraxit, vel à bono avertit, ad damni hujus reparationem ex justitia tenetur.

Sed etiam qui sine vi, metu, & absque dolo fuit alteri peccati author, ad restituendum obligatur, quia gravem ei facit injuriam. Unde omni qua poterit via, eum ad meliorem frugem revocare tenetur. Hæc autem obligatio potiorem locum habet in Superioribus, quales sunt Pater respectu filiorum, Dominus respectu famulorum, hi enim ex officio, specialique justitia, suorum saluti invigilare tenentur.

Quœres 2do: Utrum peccat, & restitutioni obnoxius sit, qui à statu spirituali, sive aliquo religioso Ordine, avocat, & retrahit?

Resp: 1mo: Certum eum minime peccare, imo bo-

num opus operari, qui legitimis de causis, aliquem à proposito suscipiendi statum spiritualem, aut aliquem Religiosum ingrediendi ordinem amovet, quia vg. eum videt ad præconceptum statum ineptum, ac inhabilem. Sed qui vi, metu, dolo, aliquem á statu spirituali, vel religioso retraxit, ad damnum inde proveniens, sive Ordini, sive ad Ordinem aspiranti restituendum obligatur. Quia in tali casu damnosa infertur injuria, tum ei, qui Religiosum Ordinem ingredi proposuerat, quia ubi vis, aut fraus, ibi injuria, & læsio injusta, unde is debet libertati suæ restitui, eique fraus est detegenda, tum ordini religioso, qui jus habet, sicut & quælibet Communitas nequis per vim, & fraudem ab ea divertatur, & extrahatur, unde si spes erat ut communitas illa utilitatem aliquam temporaneam á Candidato consequeretur, illa Ordini refundi deberet. Quodsi quis aliquem sine vi, metu, absque dolo, sed nonnisi consilio, persvasionibus, á Statu spirituali, sive religioso Ordine abstraxerit, peccat quidem quia à bono opere malis suis svasionibus abduxit, sed ad restituendum non tenetur, quia nulli injuriam proprie dictam fecit, nullius jus læsit.

Quæres 3tio: Sed quid, si quis in ordine Religioso professum, aut in aliqua Communitate votis obstrictum abstraxit, & abduxit?

Resp: Talem seductorem graviter peccare, & omni qua poterit via emiti debere, ut quem a sua professione, statuque abduxit, ad illum reducat, sed & Ordini, ac Communitati ad restituendum obligatur, quia violavit jus strictum, quod ordo, comnitasque habet in eum, qui sive professione, sive votis quibuslibet, est ipsi devictus. Professio siquidem religiosa, aut vota, quæ in communitate aliqua emittuntur, constituunt contractum ultro, citroque stricte obligantem, vi cujus, ordo, communitas jus verum habet retinendi sibi subjectos, tamquam membra, & ratione hujus juris, habet jus aliud in eorum talenta, qualitates, labores, functiones, quibus sustineatur, adjuvetur, his vero ordo, communitas, per seductorem privatur. Cum ergo reipsa gravis ei per hoc irrogetur injuria, stricta quoque ei debetur restitutio.

Quæres 4to: An, & qualis restitutio facienda est, qui propter actum â se debitum aliquid accepit?

Resp: 1mo: Quæ quis accepit ut faciat, vel omittat id, ad quod faciendum, vel omittendum ex justitia tenebatur, restitui ab eo debent, quia pretium accepit pro

pro eo, quod alteri ex justitia debebat, ac proinde non suum, sed illius erat. Cum igitur pretium inique acceperit, illud restituere tenetur. Unde ad restituendum tenetur, qui ut rem inventam reddat, solutionem exigunt, moniales & officiales publici pensionati, qui pro obeundis suis muneribus pretium exigunt, aut plus exigunt, quam ipsis legibus concefsum est. Haud tamen teneretur ad testituendum ille, cui offereretur munus aliquod sponte, & per modum donationis omnino gratuitæ, etiamsi munus ab eo datum fuifset eo intuitu, ut qui promptiori, & alacriori animo id faceret, quod aliunde facere tenetur, quia licet unicuique rem gratis sibi oblatam recipere.

2do: Quæ quis accipit ad faciendum opus proximo ex charitate solum debitum, sunt restituenda, si opus illud sine labore, sumptu & periculo fieri pofsit. Quia tale opus ex communi hominum sensu non est pretio æstimabile, & quod in tali casu datur, non censetur voluntarie efse datum, sed coacte, quia scilicet, qui dat, timet ne forte id quis non faciat, quod ex charitate facere tenetur. Unde si quid accepisti ut furem latitantem indicares, vel res ab eo occultatas, teneris ad restitutionem. Quodsi opus ex charitate debitum, non pofsit fieri sine aliquo sumptu, & labore qui pro eo pretium sumit, dummodo moderatum, non tenetur ad illud restituendum, quia posuit opus pretio æstimabile, siquidem laborem & sumptus exigebat, & ad illud neque ex officio, neque ex contractu teoebatur, sed ex sola charitate, quare non justitiam sed charitatem violare potuit, stricte ergo ad restituendum obligari nequit, sed operibus pænitentiæ delenda culpa, quod durius cum proximo egerit.

Quæres 5to: Utrum accepta propter turpem causam restituenda sint?

Resp: 1mo: Quæ accepta sunt pro opere illicito, *exg:* homicidio, meretricio actu, falso testimonio, nondum perpetrato, restituenda sunt, quia non potest, & debet non impleri conditio sub qua accepta sunt, & pretium datum, aut promifsum fuit, idque habet, etiamsi mali operis promifsio juramento fuifset confirmata, quia ex Regula juris 50. in 6to. *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.*

2do: Quæ quis ex crimine lucratus est, veluti meretrices, ea restituere debet, quia opus peccati nihil me-

re-

retur, nisi pænam, igitur pro eo nihil pretii accipi potest. Verum tamen an hæc restitutio stricto jure debita sit, incertum est, probabilius quidem videtur, quod fieri debeat, sed redargui non merentur, qui eos qui ex aliquo crimine quidpiam lucrati sunt, ad exactam restitutionem non omnino stringunt. Sed duo hic addenda sunt. *1mo:* eas sibi multo melius meretrices feminas consulere, quæ ut peccata sua redimant, iniquitatis suæ fructum in eleemosynas insumunt. Idem & indubie magis dicendum est de iis, qui ex homicidio, mutilatione, falso testimonio, aliisque criminibus, lucrum reportarunt. *2do:* si meretrix aut alius malefactor, à peccato resipiscens se sponte sua ad hoc pietatis opus non determinet, hanc ei pro pænitentia à Confeſsario imponendam eſse obligationem, tum quia peccatum ejus hanc pænam meretur, tum etiam ne ex peccato suo lucrum reportet, sicque ut non ad pristinum crimen alliciatur, neque ad illud, ut boni sui originem, affectum servet, atque hinc colligere licet, illa etiam quæ quis occasione criminis gratuito, & absque prævia stipulatione, recepit, vix unquam sine animæ periculo servari poſse.

ARTICULUS 2dus.

De restitutione ob injuriam in bonis corporis illatam, facienda.

Quæres 1mo: Ad quid tenetur qui alium occidit, aut mutilavit?

Resp: Qui præter intentionem, aut prorsus inculpate *vg.* ob neceſsariam sui defensionem, alium occidit, aut mutilavit, non tenetur ad restituendum, quia non peccat contra justitiam. Sed videndum est, an non exceſserit inculpatæ tutelæ moderamen, alioqui enim pro ratione exceſsus, restituere debet. Docent autem plures Theologi, eum, cujus in sui defensione exceſsus est peccatum mortale, semper teneri ad totius damni compensationem. Sed etiam invasus, & ab alio aggreſsus, qui potuit, & debuit fugere, & non fugit, si injustum invasorem occiderit, ad restituendum tenetur. Quia jam est injustus occisor. Porro injustus occisor ad restitutionem obligatur. Ex quo infertur, eos, qui in Duello alium occidunt, vulnerant, teneri ad restitutionem, non so-

lum quando alius alium quasi invitum ad certamen attraxit, ſed etiam cum ambo æque libere ad pugnam proſilierunt, quia occisor, vera, & injusta est causa omnium damnorum, quæ patiuntur, uxor occisi, liberi & creditores, ergo iis omnibus restituere occisor tenetur.

Qui ergo culpabiliter alium occidit, vulnerat, aut mutilat, ad restituendum tenetur: quia gravem proximo injuriam intulit, quæ restitutione compensari debet. Quare injustus occisor, aut mutilator, omnia realia damna bonificare, videlicet expensas quæ in curatione factæ sunt, refundere, lucrum quod ex opere suo percepturus erat compensare, neque deduci potest labor lucrando adhiberi solitus, quia alioqui ſepe nihil eſset restituendum, dum lucrum communiter ex labore pendeat, & labor operarios juvat.

Sed etiam pro damno naturali, scilicet: pro vita, membro, probabilius aliquid restitui debet, quia damnum omne, quantum fieri potest, compensari debet. Porro violenta vitæ ereptio, membri abscisio, verum, & grave est damnum, ergo pro his præcise etiam sumptis, aliquid restitui debet. Contemptus quoque qui in omni mutilatione reperitur, compensari debet, sive veniam petendo, si hoc patiatur conditio lædentis, seu doloris signa ostendendo, seu etiam satisfactionem pecuniariam offerendo, si læsus per eam placari poſsit.

Ex his autem sequitur *1mo:* eum, qui alapa, vel fustibus alium cædit, quive eum debilitat, aut deformat, ad pecuniariam compensationem teneri. *2do:* æquitati quoque valde consentaneum est, ut occisor sacrificia & preces offerat pro occiso, eamque obligationem non pauci, stricti juris eſse censent. Unde & fur, qui ablata restituere nequit, ad hanc piam restitutionis speciem obligatur.

Quæres 2do: Quibus injustus occisor, tum mutilator restituere teneatur?

Resp: Injustus occisor, ac mutilator restituere tenetur iis omnibus, quos sustentabat occisus, aut mutilatus, cum jam eos sustentare non valet, & quos neceſsario ipse alere tenebatur, atque reipsa alebat ex opere, vel quæstu; ut sunt pater, mater, uxor, liberi. Hos autem si alebat ex bonis, quæ supersunt, non tenetur occisor, aut mutilator eos alere, tametsi de ceteris damnis ipsis obligatus maneat. Fratri quoque ac nepoti occisi, aut mutilati, & aliis hæredibus non neceſsariis, quos defun-

defunctus excludere potuiſset, sustentationem & alimenta non tenetur, ii enim jus strictum ad hanc sustentationem non habebant. Et quamvis fratres, nepotes, ad inopiam redacti eſsent, injustus occisor non obligatur iis id subministrare, quod ab occiso accipere consveverunt, quia iis solum ab occisore restituendum est, quorum jus strictum quod ad occisum habebant, violatum est. Porro fratres, nepotes, jus strictum non habebant, ut ab occiso alerentur. Si quis tamen ea intentione aliquem occidiſset, ut ii, quibus ipse ante etiam gratis benefaciebat, beneficii hujus jacturam paterentur, ad hujus damni reparationem teneretur,

In defectu vero occisoris, ad compensationem damnorum hæredes ipsius obligantur, idque etiamsi occisor morte judicialiter punitus fuerit, quia hæredes ut in omnia bona occisoris succedunt, ita etiam in omnia onera ipsius.

Damna autem quæ ex occisione, aut mutilatione proveniunt, æstimari debent. *1mo:* spectando occisi aut mutilati conditionem, fueritne dives, an pauper, juvenis, an senex, ad laborem vigil, in arte sua peritus, an segnis, & imperitus, sanus, an morbo ad interritum vergente oppreſsus. *2do:* Attendendum est id, quod est in spe, ei quod est in re non æquipollere. *3tio:* Videndum tandem est, an occisus non soleret tantum consumere, quantum lucrabatur. Unde si mutilatus artem solitam exercere quidem nequeat, ſed alio modo quæstum facere possit, erit id detrahendum. Et ille qui occidit hominem, paulo post ex infirmitate moriturum, non tenetur ad restituendum, nisi pro lucris ceſsantibus secundum breve illud tempus, quo supervicturus erat.

Quæres 3tio: Ad quid stupratores tenentur?

Resp: 1mo: Eum, qui sine vi, dolo, precibusque admodum importunis, absque mediis extraordinariis, sed ex libero virginis consensu, muneribus, blanditiis aut precibus ordinariis turpem corporis illius usum obtinuit nihil ei in foro conscientiæ debere. Quia scienti, & libere consentienti non fit injuria. Aliquando tamen stuprator à Confeſsario cogendus est, ut vitiatæ puellæ dotem tribuat, si nempe dives sit, & ipsa pauper, sicque subsit periculum, ne ipsa jam vitiari facilis, de novo in crimen proruat, alias ad nihil tenetur respectu ipsius puellæ corruptæ. Solet quidem stuprator in exteriori foro ad dotandam virginem condemnari, quia vulgo præsumitur fuiſse seducta, nisi contrarium probetur. Si tamen puella corrupta sciat

inte-

interius, se nec virginem fuiſse, cum à Titio cognita est, nec reipsa fuiſse ab ipso seductam, tenetur ei refundere quidquid sub his falsis præsumptionibus sibi fuit adjudicatum. Nisi forte amasius ille, suum, & ipsius puellæ crimen jactando divulgaſset, & per hoc eam diſfamaverit, quia diffamatione est damnum injuste illatum, quod resarciri debet, ut puella perinde ac antea de nubere poſsit.

2do: Verius videtur, quod talis stuprator Parentibus puellæ restituere tenetur. Quia qui puellam sub potestate Parentum vel Tutorum ad huc positam, constuprat, iis gravem & specialem infert injuriam. Non desunt tamen discreti etiam Theologi, qui putant stupratorem satis puellæ Parentibus præstare, si veniam ab ipsis petat, aut doloris sinceri signa exhibeat. Et hæc quidem eorum decisio, admitti potest pro casu in quo vitiata puella, vel nubere non vult o vel in claram æque familiam nubit, ac si corrupta non fuiſset. Verum si, ut puella juxta suam conditionem nubat, dos ejus à parentibus augeri debeat, videtur strictam damni hujus resarciendi obligationem stupratori incumbere, quia tunc stuprator injusta est causa, cur Parentes corruptæ puellæ hoc damnum ferant.

Ceterum in usu est, ut si ex crimine secuta sit proles, mulier ipsam à partu ad triennium alat, stuprator vero ab anno tertio & deinceps donec proles providere sibi poſsit, imo à partu etiam stuprator eam alere tenetur, si vel ad id se obligaverit, vel mulier id præstare nequeat. Si proles exposita sit, & ad xenodochium translata, debent Parentes, si satis facultatum habeant, expensas solvere, quia Hospitalia egenis, non autem divitibus ædificata sunt.

3tio: Qui vi, fraude, aut falsis persvasionibus virginem corrupit, tenetur compensare quidquid inde puella, aut Parentes ejus damni patiuntur. Imo quamvis nuptias non promiserit, tenebitur in foro externo ad eam dotandam, & ducendam, ad id tamen in foro conscientiæ non tenetur ante sententiam Judicis, sed satis est, ut ei procuret matrimonium æque conveniens ac si deflorata non fuiſset. Quod si puella defædata dotem nolit, sed nuptias exigat cum injusto defloratore, is in conscientia tenetur in id consentire, quia posito etiam dotis augmento, non videtur reintegrari honor feminæ ablatus, nisi ea stupratori nubat, aut res sit occulta, & in lucem minime proditura,

ditura, atque hic pensari debet publicus contemptus, cui & ipsa mulier, & vir alius à stupratore, cui nubet, exponentur, vix enim fieri potest, ut ille non vindicet in uxorem fastidia quæ experietur, quoties sentiet, aut suspicabitur sibi probro verti quod defloratam duxerit.

4to: Si puella vim paſsa, æque nupserit, ac si oppreſsa non fuerit, vel ordinem religiosum ingrediatur, ejus corruptor adhuc tenetur ad compensationem quamdam pecuniariam, quia reipsa ei damnum intulit, quod licet plene reparari nequit, utcunque tamen saltem per bonum ordinis inferioris compensari cum poſsit, neceſsario compensari debet.

Quæres 4to: Quid sentiendum sit de virginibus quæ ſub promiſsione matrimonii, sive vera, sive ficta, corruptæ sint?

Resp: Corruptores ad eas in matrimonium ducendas tenentur, quia damnum injuste illatum reparari debet, & nemini fraus ſua, & dolus patrocinari debet, patrocinaretur vero, si ficta promiſsio, ac dolosus animus, eximeret corruptorem ab obligatione faciendi puellam indemnem. Ergo qui ficte matrimonium promisit, non satisfacit, pecuniam pro dote dando, nisi ipsa puella consentiat, aut jam in matrimonium duci nequeat, puta quia corruptor jam aliam duxerit, aut plures eadem spe deluserit. Neque huic religionem ingredi licet, quia hoc injustum foret, utpote quod adversaretur promiſsioni, quæ executioni mandari debet

Quæres 5to: Sed quid juris si virginis deflórator, qui matrimonium promisit, votum castitatis, aut religionis ingrediendi habeat?

Resp. Si votum deflorationem virginis subsecutum sit, stuprator non desinit ad matrimonium obligari, quia tale votum non plus valet, quam votum dandi pauperibus id, quod jam alteri debitum est ex justitia. Si vero votum præceſserit deflorationem, communior opinio docet, puellam adhuc in matrimonium ducendam eſse, obtenta voti dispensatione. Quia damnum puellæ illatum, potest, & debet reparari eo meliori modo quo fieri potest. Porro stuprator eam quam corrupit, obtenta dispensatione in matrimonium ducere potest, atque sic illatum ei damnum reparare. Ergo vel dispensationem à voto obtinere debet, vel ei ad quem de jure ſpectat, exhibere rationes quibus ab ea petenda deterretur, ejusque judicio acquiescere.

Verum

Verum tamen qui ficte nuptias promisit, ad eas non tenetur. *1mo*: Si præsumatur puellam non fuiſse deceptam, ſed temere, & insipienter matrimonii contrahendi spem concepiſse, quod præsertim contingit, cum magna est conditionum disparitas, ut si vir dives sit, & nobilis, femina vilis, & inops. *2do*: Si puella ex nimiis exaggerationibus, inconstantia, & ambiguitate verborum, satis advertere potuerit, promiſsionem fictam fuiſse. *3tio:* Cum deinceps cum alio fornicatur, aut si se virginem eſse mentiatur, cum jam corrupta fuerit, hoc enim in casu non tam decepta est, ſed ipsa decepit, vel etiam nobilem, aut divitem se eſse finxerit, cum non esset, nam & tunc injuste decipit, & in illatis injuriis datur compensatio. *4to*: Si prudenter timeatur, ne ex tali matrimonio suboriantur graves discordiæ inter familias, scandala, aliique id genus infelices exitus. *5to:* Si ipsa puella jam nolit stupratori nubere, aut eam ipsi denegent parentes, quo in casu multi censent stupratorem non teneri ad dandam puellæ, dotem, si hæc ejusdem, aut pene æqualis secum sit conditionis. Ab hoc tamen excipiendum est, si puella sine novo sui, vel familiæ ſuæ opprobrio hominem hunc ducere non poſsit.

Quæres 6to: Si vir conditionis superioris, promiserit nuptias puellæ, quam corrupit, ad quid ille tenetur?

Resp: Si vere & ex animo promisit, debet promissis stare, nisi hinc graves rixæ, familiæ diſsidia, vel grave scandalum merito timeatur, quia licetsi sit ſuperioris conditionis, ac fortunæ, attamen jure ſuo cedere potuit, & reipsa ceſsit, atque exceſsus, quo puellam ſuperat, eidem puellæ debetur, tum ratione promiſsionis ab eo factæ, & ab illa acceptatæ, tum ratione illati damni per déflorationem, non enim minus puella paſsa est damnum quod à nobili & divite constuprata sit, quam si à paupere & ignobili violata fuiſset. Unde non ſufficit, quod ille homo nobilis puellam dotet, quia jus habet ad nuptias cum tali, quæ ipsi promiſsæ ſunt, quodsi eam ob aliquod ſupervenienſ impedimentum ducere non poſsit, quia vg. jam aliam duxit, non satis est ut ei tantum restituat, quantum ſufficit ut ipsa virum ejusdem secum conditionis habeat, ſed quantum illi intererat, ipsum habere in virum, quia puella hæc jus habet non solum nubendi ac si deflorata non eſset, ſed nubendi viro talis conditionis.

Quodsi deflorator ſuperioris status, ficte nonnisi puellæ nuptias appromisit, tunc vel puella noverat notabilem supra se, viri illius exceſsum, vel non noverat. Si *1mum:*

Credendum est communiter eam non fuiſse deceptam, niſi quia decipi voluit. Si 2*dum*: Censent multi, stupratorem non teneri ad eam ducendam, sed satis eſse, si ei provideat quantum oporteat, ut tam commode nubat, ac si corrupta non fuiſset, quia in hoc casu puella non intendebat nisi acquirere virum ejusdem secum conditionis, non vero multo superioris status, cum superioritatem hanc in ſuo stupratore ignoraverit. Sed quidquid sit, certum videtur 1*mo:* stupratorem teneri ad ducendam puellam si id ei juraverit, nisi dispensationem juramenti obtinuerit, quia tale juramentum est de re licita, & poſsibili. 2*do*: Secluso etiam juramento, potest fieri ut stuprator qui ficte nuptias appromisit, ad nuptias respectu unius puellæ teneatur, non vero respectu alterius. Si enim virgo deflorata, bonæ sit indolis, nec consenserit, in scelus, nisi quia vg. à parentibus dure vexabatur, & in doloris æstu quæsivit liberatorem, certe magis ad eam ducendam obligatur, qui ea ſub ficta matrimonii promiſsione abusus est, quam si abusus sit puella ad scelus expedita, & quæ matrimonii promiſsionem non exigebat, nisi quia crimini ſuo ſpeciem, coloremque obtendere voluit.

Ex dictis infertur, eum qui viduam honestam, aut mulierem, quæ licet jam ab alio vitiata sit, paſsim tamen ut virgo habebatur, ſub matrimonii promiſsione etiam ficta, corrupit, ad eam ducendam teneri. Si vero vi, fraude, ſed absque matrimonii pacto, ipsa abusus sit, ad compensationem damni cujuscunque inde provenientis, in conscientia obligatur, quia eadem est, hoc in puncto ipsius conditio, quæ virginis per fraudem & dolum defloratæ.

Quæres 7mo: An & qualis propter adulterium fieri debeat restitutio?

Resp: 1mo: Si ex adulterio proles non sit secuta, nulla facienda est restitutio, quia per adulterium præcise ſumptum, nullum infertur reale damnum, nec aliquod fit detrimentum, ſed sola irrogatur personalis injuria, pro qua, si tamen publica, & cognita sit, non tam debetur restitutio, quam honoraria satisfactio, quæ fit per veniæ petitionem, & signa doloris.

2*do*. Si ex adulterio proles certo moraliter secuta sit, ut si eo tempore abfuerit maritus, 1mo: debet proles ali ubicunque fuerit, etiam in Nosocomio, si ibi posita fuerit & quidem utriusque expensis, scilicet à partu ad annum ætatis tertium, expensis adulteræ. ab anno tertio, & deinceps expensis adulteri. 2do: Adulter debet pro parte

parte ſua, compensare damnum, quod Maritus, & legitimi hæredes patiuntur ex ſuppoſitione infantis ſpurii. Adulter enim est causa tum ſuppoſitionis ſpurii infantis, tum damni inde provenientis, quia prævidere potuit & debuit, hæc ex ſuo scelere secutura. Non tamen tenetur ad totum damnum compensandum, nisi in defectu adulteræ, quia adulter, & adultera ex æquo damna quæ Marito, & legitimis hæredibus obveniunt, compensare debent, cum uterque sit causa principalis totius damni, quod ex eorum crimine sequitur.

Si tamen adulter vi, minis, aut gravi metu etiam reverentiali, uxoris alienæ consensum extorserit, tenetur de toto damno, mulier vero nonnisi in ejus defectum, quia tunc adulter est causa magis principalis adulterii, damnorumque inde consequentium. Quodsi vero adulter, adulteram nonnisi precibus, svasionibus, adduxerit ad crimen perpetrandum, videtur adulterum adhuc ad ampliorem restitutionis portionem teneri, quia duplici titulo nocuit, moventis scilicet ad malum, & malum exequentis, incertum vero est an non ad totius damni & in hoc casu teneatur, quia adulteram ad crimen sollicitando censetur totius damni reparandi onus in se ſuscepisse.

ʒtio: In dubio an proles ex adulterio secuta sit, debet adulter pro ratione dubii restituere, quia ille ad damni reparationem tenetur, contra quem est, ejusdem damni præsumptio. Porro contra adulterum est præsumptio damni. Ubi enim constat de actione per se ſufficienter damnificativa, ibi contra actionis hujus authorem est præsumptio, unde ut á restituendo immunis sit, deberet probare ex actione ſua damnum non eveniſse. Jam vero adulter actionem de se damnificativam posuit, & non probat damnum ex illa secutum non fuiſse. Ergo restituere debet, tanto plus, quanto minus probat se damni authorem non eſse.

Quœres 8vo: Ad quid adultera tenetur?

Resp: Tenetur ad reparanda, quantum fieri potest, damna, quæ ex crimine ipsius in maritum, legitimosque illius liberos derivantur. Hoc autem efficiet, plus ex propriis bonis, si quæ habet, legitimis liberis ſuis, quam ſpurio, relinquendo. Si vero propria bona ſua non habeat, caute, & prudenter persvadere conabitur patri putativo, qui ſuus est maritus, ut legitimos liberos pluribus instruat bonis, quam illegitimum. Item spurio animum addere, ad amplectendum Religionis statum, si tamen divinæ vocationis signa præseferat. Denique rem

domesticam maiori, quam alias, diligentia tractabat, curare, de solitis ſumptibus detrahere, quantum status corporis valetudo permittet.

Quæres 9no: Utrum mulier, quæ similibus m s damna hæc reparare nequit, teneatur indicare crimen suum?

Resp: Generatim loquendo non tenetur. Vel enim crimen revelaret marito ſuo, vel infanti spurio. Sed neque marito, neque infanti spurio revelare tenetur, quia revelatio hæc fieri nequit sine magna mulieris infamia, quam subire non tenetur, nec debet, quæ famam bonam publice habet: eadem etiam revelatio gravium malorum radix eſse potest, mulierem mortis, & maritum uxoricidii, aut saltem perpetui odii periculo exponit, denique spurius matri crimen ſuum confitenti non credet, nec juxta multos credere tenetur, aut si credat, vix probabile est, ut propter solum justitiæ amorem, renuntiet hæreditati, quam in exteriori foro, tuto retinere potest.

Hæc tamen resolutio limitari solet. *1mo:* Cum adultera jam ante famam ſuam publice perdidit, quia tunc ex ipsa ſua declaratione, & confeſsione, grave non patitur incommodum. Si tamen vel gravia inde mala sibi vereretur, vel prævideret sibi non credendum, rem pandere non teneretur. *2do:* Cum mulier prudenter judicat, ſpurium, utpote bonæ indolis, sibi fidem habiturum eſse, quod tamen rariſsime præsumi potest, tunc enim infamia nocentis, apud unum, aut alterum, minus habet incommodi, quam graviſsima innocentis mariti ac legitimorum liberorum damna.

Quæres 10mo: An filius teneatur credere matri, quæ aſserit eum eſse illegitimum?


Resp: Communiter respondent Theologi, filium non teneri credere matri etiam juranti, nisi manifestis argumentis id probet, ut si demonstret Maritum ſuum, ante & post conceptionis tempus abfuiſse: quia nemo unius, quamvis non ſupecti hominis testimonio, in sui præjudicium credere tenetur, præsertim cum testis ille turpitudinem ſuam allegat. Et hæc opinio tam communiter recepta est, ut ei sine scrupulo adhærendum sit.

Quæres 11mo: Quæ sunt illa damna, quæ adulteri, secuta prole, ex æquo compensare debent?

Resp: Damna illa ea sunt, quæ legitimo Marito, illiusque liberis obveniunt, ex sustentatione ſpurii, hæreditatis partitione, legatis, donationibus, in damnum legitimorum liberorum illi factis, quæ alioqui ipsis cederent.

Finis Tomi 1mi

Erevitarum Camaldulensium Montis B...



THEOLOGIA
MORALIS

2.